Digitized by Google

201
5 H
5

Digitized by Google

Digitized by Google

1246

HISTORIAE
ACADEMIAE PISANAE

VOLUMEN II.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

EJUSDEM ACADEMIAE CURATORE

PISIS)(MDCCXCII.

EXCUDEBAT CAJETANUS MUGNAINIUS
IN AEDIBUS AUCTORIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACADEMIAE PISANAE
HISTORIA.

CAPUT I.

De renovata per Coſmum I. Academia, deque latis ab eo legibus, ſeu Statutis, inſtitutisque in ipſa Collegiis.

NAtura ſemper libera, dives ſemper ſuis in operibus, ſpargit animos in corpora humana, qui magna vi ſua & pulchra aſſequi poſſunt; ſed niſi alantur induſtria, & multorum exemplo rectam noverint viam, qua ad id, quod cupiunt, pervenire poſſint, omnis illius vis facile extinguitur, vel in irritum cadit. Ex iis, quae in ſuperiori volumine attigimus, cognoſci poteſt nobiliores diſciplinas, quarum cauſſa magni ad Academias fiebant concurſus, barbariem quamdam adeo infuſcaſſe, ut etiamſi per ſumma ingenia cultae illae fuerint, nunquam tamen caput extollere potuerint, jacuerintque ſemper in ſordibus atque lamentis. Solae humaniores litterae viſae ſunt proſperiori uti fortuna, cujus rei cauſſam facile eſt in eo invenire, quod veteres ſcriptores, ad quos unice reſpiciebant homines, quique ſoli erant in honore, magis noverunt artem diſſerendi, quam vera ac falſa judicandi, parum meminiſſe viſi, caput eſſe ſapientiae humanae, quam di-

Digitized by Google

ligentiſſime, conſtantiſſimeque poſſis veſtigare rerum naturas. Quanquam id naturaliter accidere videamus, ut homo, qui rationis eſt particeps, principia & cauſſas rerum primum inquirat, mox de inveniendis imaginibus adlaboret, quibus res a ſe viſas ac mente conceptas pulchre explicet atque deſcribat, illa tamen prior facultas lente procedit, & ſaepe fatigata labore atque induſtria, quae ſumma requiritur ad removenda impedimenta, quae multa circumſtant veritatis inquiſitorem, medio in curſu conſiſtit; contra altera haec cum ſemel habenas laxavit, non moram ullam offendit, quin per immenſum campum exultans & praefidens ſibi ſurſum deorſumque curſitet. Non mirum igitur, ſi quo tempore Graecia tulit oratores ac poetas, qui perfecti in dicendo & perpoliti fuerunt, vix ullum habuerit philoſophum, qui in quaerendo ecqua ſit materia, unde conſtent omnia, qua vi, queis legibus, queis momentis ſingula fiant, minime opinionum commentis, atque ſomniis locum dederit. Nihilo tamen minus ſanctiſſima illorum exiſtimatio putabatur, nec dogmata & dicta eorum quiſquam ad examen & ad experientiam revocare audebat. Coeperunt tandem homines veluti ex longo ſomno excitari, & cum omnia ratione animoque luſtrarent, intellexerunt magno opus eſſe inſtrumento, magniſque vigiliis ad veram adipiſcendam ſapientiam, & rerum naturalium obſcuras enodandas notitias. Ad hoc aſſequendum bonum ſane non mediocriter contulerunt publicae Academiae, & quod haec Piſana par ſummis eſſe potuerit, laus ejus, quae gratiſſima memoria omnium litterarum cultorum incluſa eſt, hiſtoria quoque hac noſtra, ut ſpero, confirmabitur.

Poſtquam an. MDXXXVII. caeſo Alexandro Mediceo, qui primus regnum Etruriae occupavit, omnia ſub imperium ditionemque Coſmi I. cecidere, maximas hic curas ſollicitudineſque ſuſtinere debuit, ut intercluderet omnes ſeditionum vias, muniretque novi, nec ſatis firmi regni praeſidia. In eo quidem tanta erat animi magnitudo ac robur, tanta conſtantia, calliditas ac providentia, ut quidquid vellet efficere poſſe videretur. Tranquillitate jam parta, coepit de litteris, & de

Piſana Academia, quae tum nulla erat, cogitare, quodque his non minus, quam ceteris artibus, dignitati fortuniſque ſuis conſulendum putaverit, id ego multorum triumphis antepono. Conſilium ejus in ampliſſimis atque idoneis viris ad magiſtratus publicaque munera deligendis non ſatis quoque laudare poſſumus, cumque in ipſa aula haberet binos doctiſſimos juriſconſultos Laelium Taurellium, ejuſque filium Franciſcum, quorum ille cuilibet eorum par habitus eſt, quos prudentia, fide, integritate & conſtantia in rebus civilibus adminiſtrandis antiquitas celebravit (1), his, ut & Franciſco Campanae, qui ſibi erat ab epiſtolis, mandatum dedit condendi leges, quibus univerſa res Academica gubernaretur. Itaque an. MDXXXXIII. *Statuta* propoſita fuerunt, quae, quamvis ſtent etiam hodie, multis tamen in capitibus tot varietates habuerunt, ut imaginem quidem in iis veteris Academiae videamus, recentis non item. Etenim non omnia omnibus temporibus conveniunt, & plerumque experiundo diſcimus, quae ſint meliora; praeter quam quod tanta eſſe ſolet in Rectoribus imperiorum libido novandi, ut difficilius retineantur beneficia atque orna-

---

(1) *Multae extant Laelii litterae, ex quibus intelligi poteſt ei praeſertim commiſiſſe Coſmum Academiae Piſanae gubernationem. Natus is erat in urbe nobiliſſima, quae Fortunae Fanum appellabatur, V. Kal. Novembris 1489. Totum cum ſe dedidiſſet Mediceis, Clementis VII. nomine an. 1528. gubernavit Beneventanam provinciam, ac quadriennio poſt Florentiam acceſſit, Rotae, ut vocant, Auditor factus. Anno 1539. Coſmus illum ſuum Auditorem Generalem creavit, ac ſeptennio poſt, cum obiisset Franciscus Campana, ſibi ab epiſtolis esse voluit. Lectus quoque ab eodem in Senatum fuit, & civitate Florentina donatus, & ſive negotia publica, ſive ſua, ſive amicorum gereret, nemo illo diligentior ac prudentior fuisse videtur. Cum civilis non modo juris esset consultissimus, sed omnis elegantis doctrinae peritissimus, omnique virtute ornatissimus, contigit illi, quod haud scio an nemini, ut prosperrima fortuna ſine invidia uteretur. Mortem cum vita commutavit mense Junio an. 1576. laudatusque publice fuit a Philippo Sassettio, cujus oratio extat in* Faſtis Conſularibus *Salvini Salvinii p. 130.*

menta, quam comparentur. Sed juvat memoriam repetere praeteritorum temporum, quidque in primis ſpectaverint Statutorum latores recenſere.

Qui ad Academiam diſcendi gratia conveniebant, minus latino nomine Scholares vocabantur, & expediebat multos allicere honoribus atque immunitatibus, ut proinde vel ii ipſi, qui a litteris erant alieni, in Academia verſarentur. Porro quid poterat adoleſcenti contingere magis optandum, quam ex domeſtica diſciplina & parentum imperio ad liberum quoddam aetatis degendae arbitrium tranſire, procul a patria, procul a ſuis, ubi ſe venditare pro aetatis levitate poſſet, ubi multos inveniret aequales ſui, quibuſcum ſocietatem iniret, ubi ſuum ſibi Rectorem creando non pareret niſi iis, qui ex ordine ſuo erant, ubi magiſtros ipſos judicio ſuo deligeret, ſibique obſequentes, ubi ipſe quoque magiſter eſſe poſſet, & ex loco ſuperiore docere, quod ſaepiſſime eveniebat, ſiquis ſerio & ex animo diſciplinas coluiſſet? Adde, quod redeunti in patriam ex nobilioribus Academiis non exigua proponebantur praemia, quaſi hoc teſtimonium eſſet comparatae ſibi ſapientiae. Mirum igitur minime videri debet, ſi multi undique ad hanc Piſanam, ut & ad ceteras Italicas Academias concurrebant diſcipuli, qui omnes binas in partes dividebantur, in Tranſalpinos videlicet & Ciſalpinos. Hi rurſus in nationes, quarum tres, Germanica, Hiſpanica (1) & Gallica, ex Tranſalpinis conſtabant, ceterae vero numero uſque undecim ex Ciſalpinis, Sicula nempe, Pedemontana, Neapolitana, Picena, Veneta, Longobardica, Romana, Aemiliana, Ligura, Florentina, ac demum Etruſca, quibus poſtea addita quoque natio eorum,

---

(1) *Minime ſilentio praetereundum arbitramur. Hiſpanos majus aliquod concedere ſolitos fuiſſe Academiae Bononienſi, hincque factum, ut multi eorum poſtquam litteris vacaverant in Piſana, Bononiam concederent ad obtinenda doctrinae inſignia. Ea propter actum cum Philippo II. ut aequa & par puteretur utriuſque dignitas in concedenda laurea.*

qui in Sardinia & Inſulis Balearibus ortum habuerant, atque Lucenſis. Lege cautum qui vere Scholares dici poſſent, & quid ſolvere deberent, qui ſe in eorum numerum referri poſtulaſſent. Ex his, ſuffragium ferentibus Conſiliariis & Adjunctis, in Archiepiſcopi Aedibus eligebatur, qui per annum Academiae Rectoris nomine praeeſſet. Quaelibet natio quotannis in inſtauratione ſtudiorum ſuum ſibi ſuffragiis eligebat Conſiliarium, hique quindecim erant (1) cum bini ex numero Etruſcorum ſumerentur. Aderant Rectori in conſiliis capiendis, & interdum etiam in judiciis ferendis, & ad ipſum referebant de iis, qui in ſua natione conſcripti erant. Itaque proprium erat munus Conſiliarii, intelligere ſe gerere perſonam ſuae nationis, ejus decus ſuſtinere, ſervare leges atque inſtituta Academiae, & ea fidei ſuae commiſſa meminiſſe. Cum autem creandus erat Rector ipſe, quilibet Conſiliariorum ſocium ſibi ad ferendum ſuffragium adjungebat, eaque propter Adjuncti vocabantur, quorum binos, qui antea fuerat Rector, habebat. Kalendae Majae ineundo ſummo magiſtratui ſolemnes erant. Quod autem Rectori maxima data erat auctoritas, eum de omnibus criminibus ac controverſiis judicaret, ſcholis ſcholaſticiſque exercitationibus praeeſſet, matriculis Scholarium nomine ſuo auſpicia praeberet, Collegiis, & conventibus omnibus, in quibus aut ſcholaſtici gradus

(1) Volumus quod praedicti, de quibus ferendum ſit ſuffragium, ſint bonae qualitatis, & ſaltem annorum decem & octo completorum, & qui per triennium intraverint in aliquo Generali Studio ſumptibus ſuis . . . Conſiliariorum V. ſaltem ſint Artiſtae, & reliqui Canoniſtae & Juriſtae . . . . Si in aliqua natione nullus reperiatur idoneus, tunc pro dicta natione eligatur unus idoneus de natione proximiori. *Aucto poſtea nationum numero, Conſiliarii ad XVIII. uſque pervenerunt. Demum memoria noſtra, an. videlicet 1744. cum decretum fuiſſet, ut Pro. Rectoris munus non amplius Diſcipulis, ſed Magiſtris in orbem, exceptis iis, qui Eccleſiae militabant, concederetur, ſublati quoque fuerunt nationum Conſiliarii, ſtatutumque, ut ipſorum loco tres Juris prudentiae Profeſſores per annum eo munere fungerentur.*

diſtribuebantur, aut de rebus Academiae agebatur, praeſideret, & ne quis officium deſereret exactor diligens curaret, deſerentes autem pro ſuo jure moneret, & interdum etiam mulctaret, hinc ſapienter cautum, ne quis crearetur, niſi idem ſaltem XXIII. aetatis annum attigiſſet, & ne minus quinquennio in Lyceo aliquo doctores ſcientiarum audiviſſet, & cujus ſpectata eſſet integritas, & honorata familia. Si nullus extitiſſet idoneus, omneſque recuſaſſent ſuſcipere munus, in quo ſemper vigilandum, ſemperque adlaborandum erat, quodque ſine impendio non erat, tum Prorector creabatur, Rectori quidem auctoritate par, minime vero dignitate atque emolumentis. Quo anno primum reſeratae Academiae fores fuerunt, magna diſcipulorum voluntate, ipſoque lubente Principe, qui mirum in modum favebat Fabroniis, quos ſibi amiciſſimos ac fideliſſimos multis magniſque in rebus noverat, Prorector electus fuit Hannibal Fabronius Marradienſis, de cujus laudibus libenter dicerem, ni vererer ſuſcipionem oſtentationis in commemorandis iis, qui familiae meae ornamenta attulerunt. Magna porro pompa peragebatur Rectoris electio, cui ſuccedebant epulae, ludi, ceteraque publicae laetitiae ſigna. Illi autem non licebat in publicum prodire incomitatum, & ſine toga vel auro intexta, vel ſerica, & ſine caputio, quod erat praecipuum honoris inſigne. Loco & dignitate ceteros omnes antecedebat, uno excepto Archiepiſcopo & urbis Praeſide, hocque abſente, Maris, ut vocabant, Proviſore; & cum ſedebat pro tribunali, merum & mixtum, ut loquuntur, imperium exercens in omnes Magiſtros, *Scholares matriculatos*, *Notarium*, *Bidellos*, Laurea inſignitos, Scriptores, Miniatores, Venditores & Conglutinatores librorum, omneſque illorum famulos non ſolum Piſis, ſed etiam in univerſo Piſano agro commorantes, magnum nomen erat ejus, magna ſpecies, magna majeſtas (1). Si quid contra legem faſque commiſiſſet, ac-

(1) *Immunitas illa omnium Academiarum propria, qua Profeſſores, Diſcipuli, alii-*

accuſari minime poterat, niſi magiſtratu abiiſſet, eoque geſto, rationem muneris ſui Quaeſitoribus Academiae (Syndacos vocabant) reddebat (1). Nec vero commodis honor carebat. Etenim praeter jus ar-

que plurimi fruuntur, ut uni Rectori subditi ſint, ab Auguſto Caesare Friderico I. originem traxit: Vide ejus Authen. habita quidem Cod. ne filius pro patre ec. *Hanc ſartam & tectam ſemper esse voluerunt Medicei Principes, ac saepe Praetores Urbis, qui auctoritatem Rectoris aut aperte violare, ant clanculum impetere conabantur, ſeverioribus Reſcriptis compressere. Juvat ex multis unam Cosmi I. epiſtolam ad ipsum Urbis Praetarem afferre, datam Florentiae v. Non. Mart.* 1559. Se vi ridorrete alla memoria di quanta fatica e ſpeſa ci ſia ſtato e ſia l'indirizzare e maotenere quello Studio, non vi maraviglierete punto, ehe nell'avere inteſo, che contro gli Statuti e privilegj di qoella Univerſità ritene'e gli Scolari, e v'intromettete nelle cauſe attenenti al Rectore con moſtrare di non apprezzarlo: vi commettiamo, ehe lo Scolare ehe avete, glielo relaſſiate, & attendiare alla voſtra Gioriſdizione ſenza intromettervi nella ſua, & intieramente li oſſerviate gli Statuti e Privilegj, ehe gli abbiamo conceſſi, perchè non vogliamo, che quello Studio, che ci coſta l'anno otto in dieci mila ſcudi, ei ſi guaſti per colpa voſtra, & per la mala volontà, ehe avete al Rettore, & agli Scolari. Non mancherete dunque di eſeguire, & oſſervare quanto per la preſente da noi vi ſi ſcrive. E ſtate ſano.

Il Duca di Firenze.

***Minime praetereundum** hoc loco putamus, praeſcriptum fuiſſe Rectori, quando is erat ex Artiſtarum, ut vocabant, numero, ne quid ſine sententia Aſſeſſoris, qui legebatur ex iis, qui juris prudentiae operam dabant, in caussis tum civilibus, tum criminalibus judicandis ageret.*

(1) *Eligebantur a novo Rectore & Conſiliariis, tresque numero erant, alter ſcilicet, qui Juri civili ſtudebat, alter, qui Pontificio, tertius denique, qui Artibus. Majores ſint, inquit lex,* XXII. *anno, ſide digni, prudentes, ac per quadriennium ſaltem doctrinis vacaverint in aliquo Generali Lyceo, ſuisque ſumptibus.*

morum pendebantur Rectori C. aurei nummi, laurea ſine ſumptu donabatur, & hanc quoque gratuitam impertiebatur quatuor, quibus libuiſſet, e ſchola. Dabantur alia ad illius fructum & commodum, magnoque in pretio habebatur honos, quem univerſi diſcipuli deferebant, & unuſquiſque, exceptis ſemper Piſanis, itemque Florentinis, niſi forte e peregrinorum numero candidatus deeſſet, ſtudio & ſuffragio ſuo viam ſibi ad impetrandum beneficium munire poterat. Quod omnia legum imperio & praeſcripto fieri debebant, cautum quae eſſet judiciorum norma ac regula, & quo modo ſine ſtudiis partium ſententiae dicerentur. Rector cum ſuis Conſiliariis eligebant e Piſanis Notariis Scribam, ſeu Cancellarium Academiae, cujus officium ad quadriennium durabat. Cum vero in eo optime quis ſe ſe geſſiſſet, ſaepius retinebatur (1). Praeſto erant Academiae Apparitores quidam, quos Bidellos & hodie vocitant, eorumque praecipuum officium erat videre, num ſtudium & cura deeſſet Magiſtris in inſtituendis adoleſcentibus, & num recte ac tranquille omnia in ſcholis procederent.

His reſerandis ſolemnis erat dies feſtus SS. Apoſtolorum Simeonis & Judae. Conveniebant Doctores ac Diſcipuli omnes in majus templum, ibique antequam ſacra peragerentur, habebatur oratio de laudibus ſcientiarum; habebatur autem a diſcipulorum uno antea per Rectorem electo, ſi non erant, aut impedirentur Litterarum Graecarum, vel Latinarum Magiſtri. Edicebatur etiam quid omnes eſſent docturi, quaque hora: docendi autem initium erat poſt diem Commemorationis omnium Defunctorum. Quindecim librarum mulcta irrogabatur iis, qui minime adſuiſſent orationi, nec ſevere minus agebatur cum iis, qui quotidianum munus minime explevìſſent. De toto enim ſtipendio detrahebatur pecunia, quae praetermiſſo officio reſponderet. Nam Doctorum quilibet centum uſque & quinquaginta habere e ſuperiori

(1) *Manſit hoc jus penes Rectorem & Conſiliarios ad Coſmum uſque II. cui libuit illud ipſum ad ſe ſe transferre.*

Digitized by Google

loco jubebatur acroaſes (1), haſque per integram horam, iiſque habitis, per idem temporis ſpatium coram diſcipulis de propoſitis quaeſtionibus cum collegis diſputare, quod *circulare* dicebatur. Quanquam ſuperiori in volumine haud pauca attulimus de libris, qui praelegendi atque explicandi proponebantur tanquam diſciplinae canon, in quo partes ejus omnes expoſitae continerentur, non pigebit tamen in extremo volumine exſcribere totum hac ipſa de re Statutorum caput, ex quo judicari poterit quantum tum ſcientiae omnes nudatae eſſent iis praeſidiis, atque ornamentis, quibus nunc gaudent (1). Nam cum minime liceret vel latum quidem unguem ab iis ſcriptoribus diſcedere, qui principatum in aliqua facultate tenere putabantur, tota magiſtri induſtria verſabatur in interpretandis, vel exscribendis veterum libris, minime vero in quaerendo quid rationi & veritati magis conſentaneum eſſet. Pervulgata controverſia eſt, num priorum temporum magiſtri in publicis ſcholis dictando docerent. Negari non poteſt aliquando illos dictare conſueviſſe, non tamen aliter, quam ſi prius per horam integram memoriter diſſeruiſſent. Id praeſertim fieri conſuevit ante inventam typographicam artem, cum juventus de ſcripto diſceret, nec in ulla probaretur diſciplina, quin prius partes ejus omnes enucleate cognoviſſet. Non erat ſine laxamento labor; nam praeter dies feſtos omnes, ac diem Jovis, ſi ultra Dominicum alii non erant per hebdoma-

(1) *Quod remissiores Magiſtros esse intellexit Franciscus Magnus Dux III. in hoc exſequendo munere, litteris datis prid. Martii an. 1575. ſcripſit ad Curatorem Academiae:* Siccome ſcriviamo al Rettore dell'Univerſità, & alli Conſiglieri, vogliamo che intorno alle vacanze dello Studio si osservi *ad unguem* lo Statuto, e che per il meno venghin lette l'anno 210. lezioni. *Jussa Principis respiciebant Saturnales ferias, quarum initium erat tertio die ante Septuageſimam. Quod ad Praelectiones vero pertinet, Principis indulgentia an. 1670. ad LXX. uſque contractae fuerant, hicque mos nunc obtinet.*

dam feſti dies, vacationes dabantur in Nativitate & Reſurrectione Domini, Bacchanalium tempore, & biduo ante S. Joannis Baptiſtae feſtum *magnae* edicebantur *Vacationes*, quae ad Novembris uſque menſem durabant. Tum plerique eorum, qui ſtudiorum curſum per quinquennium confecerant, lauream poſtulabant, quae quod non ſolum praemium, ſed etiam teſtimonium eſſe debebat bene locatae operae, laureandus examini ſubjiciebatur eorum, qui profitebantur illam ipſam facultatem, cujus inſignibus ornari petebat. Graviſſimum tum erat iſtiusmodi judicium. Mitigata poſtea ſeveritas, moribuſque mollita, ex qua indulgentia non copia ſolum, ſed prope turba Doctorum orta eſt; & quod conſequitur, veteri exiſtimatione extincta, jura illorum pulcherrima & immunitates uſum amiſere. Illo ipſo tempore, de quo ſcribimus, magna horum jurium facta erat jactura, neque jam, ut olim, Doctoribus concedebatur veſtes ferre auro pellibuſque lautiſſimis ornatas, inter Principis familiares cenſeri, ejuſque intereſſe conſiliis, non faciliorem modo aditum ad magiſtratus & ſacerdotia, ſed ferme jus quoddam habere, immunes eſſe a vectigalibus atque tributis, nobilitate gaudere, vacare a militia in maximis reipublicae periculis, atque uti illo beneficio, ut ſi criminis poſtularentur, quantumlibet gravis, cauſſam dicere ex vinculis minime tenerentur, nullis torqueri indiciis poſſent, noxaeque damnati minori poena plecterentur. Haec & alia hujuſmodi multa in uſu fuerunt iis temporibus, quibus aliquid ſapere rarum erat, & mirabile videbatur. Ceterum vel ſaeculo XIV. Doctorum fama ita imminuta erat penes cordatos viros, ut vir graviſſimus Franciſcus Petrarcha ſcribere non dubitaverit (1). *Venit juvenis ſtultus ad templum, Doctoris inſignia recepturus; Praeceptores illum ſui celebrant ſeu amore, ſeu errore; tumet ille, vulgus ſtupet, applaudunt affines & amici; ipſe juſſus cathedram ſcandit, cuncta jam*

(1) Dialog. I. de vera Sap.

ex alto deſpiciens, *& neſcio quid confuſum murmurans*. *Tunc majores certatim*, *ceu divina locutum*, *laudibus ad caelum tollunt: tinniunt interim campanae*, *ſtrepunt tubae*, *volant anuli*, *figuntur oscula*, *vertici rotundum ac magiſtrale biretum apponitur*. *His peractis*, *deſcendit sapiens*, *qui ſtultus aſcenderat*. *Mira prorſus tranſformatio*, *nec Ovidio cognita*. *Sic fiunt ſapientes*. Si ſuperſunt adhuc multa, quae ſpeciem adulandi habent, decernunturque nunc doctrinae inſignia non minus immeritis, quam meritis, non tamen magni facimus eos, qui Academicos titulos tueri haud valent. Timide dico, ſed tamen dicendum eſt. Quotidie remittitur aliquid de priſtina ſeveritate, & quae remedia eſſe deberent ſegnitiae adoleſcentium, nulla erunt, niſi magiſtri adlaborent, ne ipſi ſegniores videantur in exequendis ſuis officiis atque muneribus. Coſmus ipſe Dux, quod ſane plurimum expediebat ad continendos omnes in officio, quam ſaepiſſime fieri certior volebat de Academicis ſtudiis, exercitationibus, atque experimentis, & cum raro lenitati daret locum, quod hanc mollitiem animi imitari dicebat, minime ſinebat eſſe negligentes ſine timore animadverſionis.

Sed ut ad Statuta per ipſum Coſmum propoſita redeamus, poſtquam in priori libro de Officialibus Academiae egit, in ſecundo autem praeſcripſit quae ſervanda eſſent tum in docendo, tum in doctrinae inſignibus tribuendis (1), in tertio denique quibus gaudere deberent

(1) *Haec ſerme praescripta fuisse videntur*. *Qui lauream poſtulabat*, *certis monumentis probare cogebatur se per quinquennium publicis*, *privatisque lectionibus Profeſsorum adfuisse*, *ac sedulam & diligentem operam ſtudiis melaude dedisse*. *Tum a Profeſsoribus universo Collegarum coetui*, *& Archiepiscopi Vicario praesentabatur*, *atque Puncta*, *sortito ducta*, *poſtero die cum moriter explicare*, *argumentis confirmare*, *& quae contra dicerentur*, *diluere tenebatur*. *Quae si rite laudateque peregisset*, *ac secretis Patrum suffragiis probatus esset*, *Vicarii auctoritate Doctor renunciabatur*, *ac praeſcriptis ver-*

privilegiis tum Magiſtri, tum Scholares, quibuſque coercendi poenis

---

bis Principi fidem, Rectori atque Academicis legibus obedientiam ſe praeſtiturum jurabat. Tum nb Professorum uno, quem Promotorem elegerat, oratione laudatus consuetis Doctoratus inſignibus, annulo nempe, laurea, libris ornabatur. Aliquando tamen non ob unico, ſed a duobus Promotoribus, qui Candidati lateribus oderont, haec inſignia dabantur, ut an. 1478. Joannes de Scuselle Ulyſipponenſis in Civili jure a Bartholomaeo Soccinio, ne in jure canonico a Georgio Natta promotus fuit. Quin etiam hoc ipso Promotoris nomine ac munere fungebantur octo nntiquiores Collegii Profeſſores, ideoque Numerarii dicebantur, cum tamen Candidato liceret plures etiam alios, veluti Suprnnumerarios adſciſcere; quae tamen diſtinctio, cum plurimarum turbarum cauſſn foret, sublnta fuit, meritoque decretum, ut omnes illi, qui Profeſsores ordinarii ſunt, Promotores dicantur: quemodmodum in Theologorum Collegio, quod infrequentius eſſe solet, omnes Ordinarii, ntque idcirco Promotores esse debent. Illud etiam in Tneologis ipſis peculiare esse ſolebat, quod Punctorum recitatio apertis auloe foribus publice habebatur, cum in collegiis aliis id secreto fieret, ac nemo prorsus admitteretur, niſi totius Collegii conſenſus ntque auctoritas accederet. Quanquam autem solempis illo Candidati inauguratio aut in ſecretiore parte Eccleſine S. Michoelis, aut in Academiae oula, aut in S. Martini Templo peractn memoretur, frequentius tamen in Archiepiscopi aedibus fieri conſuevit, cum in Magno Academiae Auditorio Judaei solum promoveri ſoleant, qui jam inde ab anno 1595. non Apoſtolica, sed Regia solum auctoritate lauream obtinent. In hoc Sapientiae theatro laurea donabantur, qui nobilium more ſplendidius promoveri poſtulabant, tumque Candidatus ſolitam Punctorum recitationem, ſublato prorſus examine, aggressus, oborto Auditorum plauſu & acclamatione, interrumpebatur, perinde quaſi ſupra omnem ingenii aleom poſitus indubiom ſui ſpem excitaſſet, ideoque novum doctrinae ſpecimen edere, novumque diſcrimen ſnbire non deberet. Ceterum in ferendis ſupputandiſque Patrum ſuffragiis tanta ſeveritas fuit, ut aliquando Juvenis, niſi ex tribus ſuffragiorum partibus duas obtinuiſſet, repulſam pati & inglorius obire co-

criminum rei expoſuit (1). Bene enim Solon duabus rebus contineri Rempublicam dixit, praemio & poena. Et sapienter ille quidem providit non modo ut arcerentur crimina ab Academia, ſed etiam ut decus ſervarent, qui illi addicti erant (2) & cohiberetur inſolentia ju-

---

geretur, aut ſi plures, quam quatuor calculi contrarii fuiſſent, legitime tantum *probatus diceretur. Ac ne qua fraus, paulloque liberior indulgentio in illis ſupputandis irreperet, id Rectori conceſſum, ut ſuffragiorum numerum inſpicere, & explorare poſſet, quod poſtea Priori tributum eſt. Omnino id curae erat moderatoribus Academiae, ut ſuffragiorum auctoritas non od obtinendum mendacium, ſed od verum probandum valeret, quopropter Taurellius deleri ex Statutis optobat formulam illam*, nemine penitus, penitus diſcrepante, *cum mos, ut diximus, invaluiſſet decorandi laurea illos etiam, qui cunctis ſuffragiis minime probati fuerant. Non unus Doctoratus gradus in Academiis conferri conſuevit; etenim eront quoque* Baccalaurei, Licentiati, *& quamvis horum exempla nonnulla occurrant, perpauca quidem, in monumentis Academiae noſtrae, haec tomen uno Doctoratus gradu, qui erat omnium ampliſſimus, contenta fuiſſe videtur. Miror equidem eum, qui tum cum a Coſmo renovata fuit ipſa Academia, vices Archiepiscopi gerebat, recuſaſſe auctoritatem ſuam interponere in creando Doctore quodam. Extant in Tabulario ipſius Archiepiſcopi* (Filza, Inſtrumenta diverſa) *Coſmi litterae datae an. 1543. quibus jubet eumdem vetus inſtitutum tenere. Quod ad jusjurandum ſpectat, accidit aliquando, ut nobilis quidam Ferrarienſis recuſaverit fidem ſuam obligare Principi, qua de re conſultus Taurellius ipſius Principis nomine reſcripſit*: Se non vuol giurare ſecondo gli ordini, non ſi dottori. *Multa ſunt olio ad Doctoratum pertinentia, quae hoc loco referre poſſem. Sed modum adhibendum putamus, praeſertim cum alio in loco dicendum ſit, quid recentiſſimis legibus hac in re mutotum fuerit.*

(1) *Cetera inter praeſcriptum fuit, ut* quaecunque ad Scholarium & Profeſſorum uſum pertinentia, *niſi vetita illa essent, & victui quidem inſervirent, a vectigalibus immunia forent. Cautum etiam ne Aedium Domini pactam mercedem pro locatione augere & hoſpitem ſemel receptum obigere poſſent.*

(2) *Haec Laelius Taurellius aliquando ſcripſit ad Rectorem Academiae*: Con di-

venum, qui nimium aetatis aeſtui indulgentes aut civitatem perturbabant clamoribus ac motibus, aut impediebant Magiſtros ab exe-

---

ſpiacere non poco ho inteſo il procedere di alcuni Dottori, & comparire in abito incivile non ſolamente per la città negoziando, e procedendo indifferentemente in abito corto, ma ancora comparendo così in Collegio, e nelli atti pubblici, coſtume poco grave, & poco honorato alla profeſſione di coloro, che hanno a inſegnare ad altri non ſolamente le lettere in cattedra, ma ancora li buoni coſtumi coll' eſempio. Di che non dubito che se li Sereniſſimi noſtri Signori aveſſero notizia, parimente ne avrebbero diſpiacere. Eſorto pertanto la S. V. a provvederci con far loro intendere, che ſe non correggeranno tale errore, ſaranno coſtretti non ſolamente con riprenſioni . . . . ma ancora nelle occaſioni sarà fatto loro qualche carico, nè ſi potranno dolere d' altri, che di ſe ſteſſi. Di Firenze il dì 28. d'Ottobre 1570. *Veſtis, qua induebantur Doctores, toga erat lanea nigri coloris. Anno 1615. mulcta x. uſque centuſſium irrogata fuit illis, qui illam diu, non vero noctu deferre recuſassent; & noſtra quoque memoria saepe decretum fuit, ne quid de veterum legum ſeveritate hac in re laxaretur. Ac mirari certe non poſſumus ſi tanta fuerit majorum noſtrorum memoria hac ipsa in re ſeveritas, quod ceteris in Academiis idem mos ſervabatur, & quod ubique gentium veteri conſtantique conſuetudine receptum erat, ut qui peculiari cuidam ordini, ſive militaris, ſive togatus ille eſſet, nomen dediſſet, ſuis diſtinctiſque veſtibus uteretur, quibus a ceteris omnibus facile agnoſceretur. Hinc Etruſcarum antiquitatum peritiſſimus Scriptor Borghinius aſſerit*. *quod aetate ſua Florentini cives illi, qui medicorum Collegio adſcripti erant, togis roſei coloris uti conſueverunt; ac lepidiſſimus fabulator, & acerrimus morum censor Jo. Boccaccius circiter annum 1350. miram hanc veſtium varietatem, ſimulque magnificam inſignium pompam deſcripſit, qua Doctores, Judices, aliique utebantur: atque ingenue profitetur magnificis hisce ornamentis non ſemper doctrinam respondiſſe* (Novella 79.). *Mutatis vero moribus, Principis indulgentia factum vidimus, ut Profeſſores omnes hoc externo cultu in Academicis ſolum Aedibus, ac in publicis actibus decorentur, illa potiora ornamenta exiſtimans, quae a fama doctrinae quaeruntur.*

quendo munere. Nam qui plurimum elaboravit in optimis eligendis, ut haberent adoleſcentes, unde diſcerent, quae tradi ſolebant in celebrioribus Gymnaſiis, non minus ſibi curandum putavit, ut quotidiana diſcipulorum aſſiduitate & frequentia illorum ſcholae ornarentur atque celebrarentur. Ea propter renovavit legem, quae, mulcta D. Florenorum propoſita, vetabat Etruſcos in externis Academiis operam diſciplinis tradere, in iiſque doctrinae inſignia accipere. Diximus alias quantum incolis viduata fuerit civitas Piſarum, ex quo in poteſtatem Florentinorum cecidit. Nam multi indignitate rerum ceſſerant in agros & in alienas urbes, ſuarumque rerum erant, amiſſa publica; tantum ab injuria ſe abeſſe rati, quantum e congreſſu, ac praeſentia impotentium dominorum ſe amoviſſent. Deliniendos revocandoſque hos putavit Coſmus praemiorum ſpe, gloriabaturque ſe inſtauraſſe Academiam Piſanam non modo ad uſum utilitatemque univerſae Etruriae, ſed etiam ad decus atque ornamentum civitatis. Quod beneficium, ut eſſet perpetuum, obtinuit a Summo Pontifice Pio IV. quo nullum habuit indulgentiorem, ut Academia ſuum aerarium, ſuoſque annuos reditus haberet ex bonis Eccleſiae in Etruria collocatis (II). Aliquid hujuſmodi conceſſerant tum Paullus III., tum Julius III., ſed temporaria illorum liberalitas fuit, & percommode accidit, ut iis ſuccederet Pontifex, qui magnam se conſequi laudem putabat, idcirco quia fama de ſua ſingulari in Coſmum, quem gentilem ſuum vocabat, voluntate percrebuerat.

Conſuluit quoque Coſmus iis, qui egeſtate bonam ingenii indolem alere, & ad Academiam accedere impedirentur. Nam gratuitum iisdem hoſpitium aſſignavit, in quo alerentur, abundarentque non doctrinarum modo, ſed & bene vivendi praeceptis. Principio, dum aedes & cubicula ad continendos XL. adoleſcentes Etruſcos parabantur, multi eorum incoluere conclavia quaedam Coenobii Minoritarum, quod S. Franciſci nomine appellatur. Poſtea vero quam aedes an. MDL., juvenibus alimentariis exaedificatae, & Gymnaſio publico ab ipſo Coſmo magnificentius inſtaurato additae ſunt (quas ae-

des Collegium Ducale aut Sapientiae nominant) tum vero ibidem (1), uti per annos ſex alerentur, utque confecto ſtudiorum curriculo laurea decorarentur, decretum eſt. Haec ut gratuita eſſet, effecit pietas ac liberalitas Doctorum, qui, latis ſuffragiis, an. MDXXXXVIII. quod iis lege pendebatur, libentiſſime remiſerunt. Collegii regimen principio alumni ipſi habuere. Ex his ſex, quos ſors dederat, totidem collegas proponebant, candidatus vero ille, quem, univerſo alumnorum coetu ſuffragium ferente, major pars elegiſſet, id muneris per integrum anni ſpatium adminiſtrabat, praeibatque honore non Diſcipulis modo & Magiſtris, ſed & vel ipſis Academiae Curatoribus (2). Quem-

---

(1) *Haec ſupra illius fores, quae meridiem ſpectant, poſita inſcriptio fuit.*

COSMO MED. FLOREN. DUCI II.

GYMNASIO HOC MAGNIFICE INSTAURATO

AC COLLEGIO INGENUORUM SUAE DITIONIS

ADOLESCENTIUM

LIBERALITER INSTITUTO AN. MDL.

Super oſtium vero Collegii haec legitur inſcriptio.

OCULI EJUS IN PAUPERES

INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI.

(2) *Anno 1615. ſecus decretum eſt in eo quod ſpectat ad Academiae Curatores; qui praefecti ipſis Collegiis tanta pollent auctoritate, ut ſcito Principis, quod factum eſt an. 1599., ii juſtis ex cauſſis poſſint movere loco alumnos ſenz'*

Digitized by Google

admodum vero alumnorum quilibet, ut a reliquis diſtingueretur diſcipulis, talarem togam cum capitis integumento, panneo & nigri coloris, quod laevo humero adfigebatur (1), ita Rector, ut eum ab alumnis cultus ipſe diſtingueret, utebatur caputio ex ſerico villoſo panno punicei coloris contexto. Paullatim haec, Academiae ſane decora, obſolevere, ſolitique Principes omnia ad ſe transferre, ab an. 1618. coeperunt ipſi eligere Rectores, quorum perpetua dignitas eſſet, ni ſecus ipſis libuiſſet. Ut vero eſſet, unde ſumptus neceſſarii Collegio ſuppeditarentur juſſit Cosmus bona, quae rebellibus adimerentur, quaeque juris Fiſci eſſent, illi addici (III.) quibus deinde ex privato Principis aerario redditus alii ſuffecti fuerunt, ut ſingulis annis ſummam trecentorum ſupra mille centuſſium & amplius conficerent. Jus conceſſit Coſmus ipſe Volaterranis binos ex ſuis eligendi adoleſcentes, qui in eodem Collegio alerentur; atque ea compenſatio fuit bonorum, quae in ſuum Seminarium civitas juſſu Principis erogarat, quaeque antea deſtinata fuerant ad ſuſtentandos cives, qui Bononiam ſtudiorum cauſſa concedebant. Demum noſtris hiſce tem-

altra ſormalità e ſenza formare proceſſo, nè altra ſcrittura. *Vid.* Filza, *quae inſcribitur* dall'an. 1575. all'an. 1655. p. 39.

(1) *Soluti hac lege fuerunt alumni a Coſmo II. ſic enim ipſe an. 1614. juſſit.* Volendo noi provvedere più che ſia poſſibile alla quiete del noſtro Studio di Piſa, & in particolare delli Collegj di quella Città, inſieme al decoro e mantenimento dell'antico ſplendore di quello delli Dottori, abbiamo riſoluto di revocare & annullare, come con le preſenti noſtre revochiamo & annulliamo tutti gli ordini della Sereniſſima A. Paterna, che ſia in gloria, dati e confermati da noi ſopra il portarſi delle toghe e cappucci dagli Scolari delli Collegj Ducale e Ferdinando, volendo che detti Scolari poſſino veſtire a loro modo, in abito però modeſto e civile, come ſi conviene, non innovando coſa alcuna intorno alli Rettori delli Collegj. *Hi, cum eſſent presbyteri, an. 1647. petierunt liberari onere ferendae togae, eorumque precibus satisfactum eſt.*

poribus additum Collegio Sapientiae aliud Collegium fuit, quod ad memoriam Victoris de Rubeis, qui illud condi juſſerat, Victorianum appellatur. Non omnia, quae ille teſtamento praeſcripſerat, ad exitum pervenerunt. Ex hereditariis tamen illius bonis tantum obtentum eſt, quod ſatis eſſet ad alendos tres adoleſcentes in civitate Ducali ortos, unum autem Florentiae, cujus nominandi jus habet Collegium Presbyterorum a S. Philippo Nerio inſtitutorum. Fuit ille vir medica doctrina clarus, ex qua divitias, cum ſaepe adhiberetur etiam in curationibus Mediceorum Principum, ſibi paravit. Has vero contulit tum ad nobilitandam familiam, tum ad ornandam patriam (in ipſa enim civitate Ducali natus erat, quanquam illius pater Petrus Matthaeus diu in Belgio fuiſſet medicus Margaritae Auſtriacae) tum ad declarandum gratum animum ſuum erga Florentinos, a quibus civitate donatus fuerat. Obiit hic vir non tam prudentia, quam ceteris virtutibus ſpectatiſſimus an. 1641.

Non multo poſt quam inſtitutum Coſmianum Collegium fuit, aliud & condidit Joannes Riccius Politianus S. R. E. Cardinalis, & Piſarum Archiepiscopus, ut civibus ſuis conſuleret. Ea propter Collegium *Riccium*, vel *Politianum* nominatur, in quo illius urbis vicinique agri juvenes educantur, quorum ut & Moderatoris eligendorum poteſtas eſt penes ipſam Ricciorum familiam. Si deſunt, qui eligantur, redditus a Cardinali relicti ad dotandas ingenuas puellas impenduntur. Hi principio ſatis fuere alendis XII. adolescentibus, mox VIII., verum iisdem imminutis, fieri quoque jacturam ſtudiosorum neceſſe fuit. In ipſius Collegii aedibus, quae a Lyceo parum diſtant, haec poſita fuit inscriptio.

COLLEGIUM RICCIUM POLITIANUM
JOANNIS RICCII. CARD. POLITIANI
PATRIAſQUE PATRIS PIETATE AC
IN CIVES SUOS LIBERALITATE
INSTITUTUM
A. D. MDLXVIII.

Qui hujuſmodi inſtitutiones improbant, ajentes ad incertum caſum & eventum certos quotannis labores & certos ſumptus impendi, & pericula creari adoleſcentibus, ſi unum in locum plures congregentur, inſcitiae cauſſam ſuſcipere, & plus moveri ſuſpicione errorum, quam ratione ſalutis videntur. Nam qui hujuſmodi Collegiis praeſunt, ſua ſapientia, auctoritate, diligentia ac bonis inſtitutis providere poſſunt, ut viae adoleſcentiae lubricae, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poteſt, magna ex parte obſtruantur; poſſunt ſegnioribus, vel jam jam currentibus calcaria adhibere, monereque eos, quos minus ad ſtudia aptos eſſe intelligunt, ut alia ingrediantur itinera: demum ni haec ſubſidia adoleſcentibus pararentur, multi eorum, qui prae ſe ferunt magnam ingenii indolem, domeſtica paupertate impediti ad dandam operam diſciplinis, quae tradi ſolent in publicis Gymnaſiis, quarumque prorſus magiſtri deſunt in parvis civitatibus oppidiſque, vitam vel in otio, vel in illiberalibus artibus tranſigerent. Utinam plures eſſent, qui ad calamitates juvenum indigentium ſublevandas excitandaque ingenia divitias, quibus abundant, conferrent, & hoc munus fortunae ampliſſimum pulcherrimumque exiſtimarent, poſſe litteris, in quibus hominum felicitas continetur, conſulere. Qui ſecus faxint, litterae ipſae vindices ſunto, ſinentes obſcurari, & interire illorum memoriam.

Riccii Cardinalis exemplum imitatus eſt Piſanorum Archiepiſcopus alter Carolus Antonius Puteus, ea in Pedemontii urbe natus, quae Bugella appellatur. Fuerat hic Ferdinando I. cariſſimus, cujus conſilium in meritiſſimis viris ad ſacerdotia deligendis cum fuiſſet ſemper probatum, non dubitavit virum optime de ſe, atque de Republica meritum, quamvis alienigenam, ampliſſimae Etruſcorum Eccleſiae praeficere. Multa hic non ad exigui temporis, ſed & ad omnis poſteritatis memoriam praeclara geſſit, & hoc quoque ſe debere patriae putavit, ut in foro Equitum Stephanianorum, & in ipſis Ordinis, ut loquuntur, aedibus Collegium eſſet, in quo ſeptem Pedemontani juvenes alerentur, quorum eligendorum penes heredes ſuos, gubernandorum

BIBL. NAZIONALE V.E. ROMA

Digitized by Google

vero poteſtas eſſet penes Piſanos Archiepiſcopos. Hujus pietatis liberalitatisque ut extaret memoria, haec ſupra Collegii ipſius fores poſita eſt inſcriptio.

COLLEGIUM PUTEANUM

PIETATE ET LIBERALITATE

CAROLI ANTONII PUTEI

ARCHIEPISCOPI PISANI

FUNDATUM ET DOTATUM

ANNO M. DC. V.

Ceteris Collegiis, quae recipiendis educandiſque alumnis in Piſana Academia diverſis temporibus inſtituta ſunt, anteire omnibus videtur, ſi non antiquitate, certe ſplendore, ipſorumque alumnorum numero, quod ex Inſtitutoris nomine *Ferdinandum* vocatur, ac Etruſcarum urbium vel oppidorum, ſive nationum Collegium vocari facile poſſet. Plurimae enim urbes, & illuſtria quaedam Etruriae oppida vel ab antiquis temporibus, praeſertim vero poſtquam litterarum ſtudia Piſis reſtituta fuerunt, de civium ſuorum commodo ſerio cogitarunt, ideoque praeſidia, ſine quibus ali, ac decore Piſis eſſe non poterant, iis ſuppeditanda curarunt. Ejuſmodi vero cenſus partim ex privata ditiorum civium liberalitate, partim ex publico locorum ipſorum aerario conſtituti ſunt, accedente Principis auctoritate. Ex iis Piſtorienſis civitas XIV. uſque adoleſcentes aluit. Joannes Rainerii moriens juſſerat binos ſua pecunia Pariſiis, vel Florentiae, vel Placentiae, vel Mutinae erudiri, quod tenuit, donec ſancitum, ne quis ſtudiorum cauſſa ab Etruria abeſſet. Liberalius etiam ſe ſe geſſit Nicolaus Forti-

guerra Cardinalis. Is enim pecuniam legavit, quae ſatis eſſet XII. ingenuis adoleſcentibus in ipſa Piſtorii urbe alendis, dum publicis diſciplinarum Magiſtris operam dabant. Quod ii praeceperunt ſane utilius obtineri poſſe judicatum eſt, ſi adoleſcentes illi Piſas mitterentur. Cum facta vero eſſet cenſus diminutio vel hominum incuria, vel temporum viciſſitudine, neceſſe quoque fuit minui adoleſcentium numerum.

Piſtorienſium caritatem aemulati ſunt Pratenſes. Etenim Philippus Inghiramius, Petrus Franciſcus Riccius, Petrus Domitius, Dominicus Georgius, Philippus Modeſtius variis temporibus bona legarunt ad XV. uſque educandos in optimis ſtudiis adoleſcentes. Ipſorum exemplo Aretina civitas quatuor, binos Cortonenſis, & vicinum huic oppidum, cui nomen eſt Caſtilio Florentinorum, ſex eligebant. Pari modo Miniatenſis civitas primum quinos, mox binos eligere conſuevit, qui ex bonis a Marchione Raffaello relictis alerentur. Ceterum adoleſcentes omnes, quibus tali modo ſubveniebatur, ſeorſim degere conſueverant, nec raro accidebat, ut eorum nonnulli libertate abutentes ſubſidia induſtriae atque inſtrumenta virtutis in libidine deſidiaque conſumerent. Huic malo ut conſuleret Ferdinandus I., a quo ſane multa divinitus inventa atque inſtituta ſunt ad Etruriae felicitatem, exeunte an. 1593. juſſit illos unum in locum cogi (1), iisdemque regi legibus, in quibus rogandis religionem cum doctrina conjunxit, quasque fidei ſapientiaeque optimi Moderatoris credendas eſſe putavit. Emit itaque domum non longe a principe Eccleſia, quae ad nobiliſſimam Familiatorum familiam pertinuerat, & in qua Bartolus habitaverat, aliaſque huic vicinas, & tale ex his omnibus aedificium extruxit, facile ut omnium domos & laxitate & dignitate ſuperaret. In illius foribus ſub marmorea Magni Ducis imagine hoc inſcriptum elogium fuit.

(1) *Ii quoque, ante quam exaedificaretur Collegium, apud Minoritas fuisse videntur. Vide Fabbruccium Opusc. XIII. in principio.*

Digitized by Google

Ferdinandus Medices

Magnus Dux Etruriae III.

Has aedes

Quas olim Bartolus

Juris interpres celeberr. incoluit

Nunc renovatas et instructas

Adolescentibus qui ad

Philosophorum et Jurisconsultorum

Scholas missi

Publico urbium atque oppidorum suorum

Sumptu separatim alebantur

Publicae utilitati consulens addixit

Legesque quibus in victu vestitu

vitaq. simul degenda uterentur

Tulit an. salutis

Mdlxxxxv.

Hujus

Digitized by Google

Hujus aedificii ſuperior pars quinquaginta fere poſt annos octo novis cubiculis aucta fuit ad totidem continendos adoleſcentes Geminianenſes, qui ex pecunia relicta a Dominico Mainardo Piſis ſtudiorum cauſa alendi erant. Alia & idem praeſcripſit, quo ipſi ad Academiam paratiores, inſtructioreſque venirent, & ne patriae logices praeceptores deeſſent. Saepe enim fieri videmus, ut adoleſcentes nullam, aut mediocrem ex Academia percipiant utilitatem, propterea quia minime praepararunt animos humanioribus praeſertim litteris ad ſcientias concipiendas. Ut vero extaret memoria ejus & in patriam & in Collegium ſtudii, haec in ipſo inſcripta fuit epigraphe.

Serenissimo Ferdinando II. M. D. regnante

Collegio Ferdinando

Hac parte jam aucto octo deinde

Superiora ejusdem partis cubicula

Aere Dominici Mainardi Geminianensis J. U. D.

Nicolaus Fantonius Riccius Patricius

Senensis S. M. D. Auditor ac testamenti

Executor Albizi Vecchii Geminianensis

moderatoris diligentia

Addidit A. D. MDCXLIII.

Conſequentibus temporibus Franciscus Bonamicius Florentinus civis, ut

Digitized by Google

locus eſſet in eodem Collegio tribus juvenibus ex Dicomani & S. Gaudentii oppidis oriundis, Joſephus vero de Papa binis Emporii natis, bona reliquerunt, quos viros nomine & memoria dignos libenter commemoravi, ut ceteros, quibus ſecunda fortuna elargita eſt divitias, ad eorum imitanda exempla excitarem. Etſi autem non omnia, quae diximus, ſervata prorſus fuerint (1), cum cauſſae reperiantur hujuſce mutationis, non vereor ne retrahantur homines a caritate patriae, & a studio & benevolentia in eos, qui litteris operam ſunt daturi.

(1) *Hiſce temporibus conſtat Collegium ex Piſtorienſibus IX. Pratenſibus IV. Aretinis IV. Geminianenſibus II. Dicomanenſibus II. Miniatenſibus II. Caſtilionenſibus II. Cortonenſibus II. Emporienſibus II. Foianenſibus II. Biturgienſibus I. qui omnes ſummam conficiunt XXXII.*

Digitized by Google

CAPUT II.

De Curatoribus, ſeu Proviſoribus Academiae.

NE quid deeſſet, quod conduceret ad bene gerendam & gubernandam Academiam Coſmus Curatotis, ſeu Proviſoris munus honorandum putavit. Sane viros habuit, qui cum prudentiſſimi inter ſuos numerarentur, ejus deſideriis cumulate ſatisfacere potuerunt, deque iis nunc eo libentius dicam, quod ex illorum dignitate magno quoque honore aucta & decorata fuit Academia ipſa.

Philippus Migliorius natus Florentiae an. 1500. nobiliſſimis parentibus Antonio Migliorio & Flammetta Cambinia, fuit ſane vir non modo doctus, ſed ad omnes res aptus conſiliique plenus. Cum puer patrem amiſiſſet, ejus tutores, venalitii homines, mercaturae faciendae illum deſtinarunt, perveneratque jam ad nonum ſupra decimum aetatis annum, cum illum puduit ſe in ſumma rerum omnium ignoratione verſari, & vel ipſa dedidiciſſe, quae puer acceperat. Tanta vis fuit poenitendi, ut Joanne Baptiſta Gellio ſtudiorum comite, brevi hauſerit ab Antonio Francinio ea omnia, quibus pueri ad humanitatem informari ſolent. Hujus conjunctionis Gellius ipſe teſtimonium reliquit in Praefatione Ecubae Euripidis a ſe Italicis verſibus redditae, & Migliorio ipſi dicatae. Vix hic ab adoleſcentia exceſſerat, cum coepit publicis in rebus adhiberi. Praefuit annonae iis calamitoſiſſimis temporibus, quibus Florentia a Caeſarianis & Pontificiis copiis obſeſſa eſt, & cum intelligeret ſe plurimum prodeſſe Reipublicae, ſaepe ad populum & ad Senatum conciones habuit, in quibus omnes non

tam ejus praeſtantem prudentiam, quam eloquentiam (1) admirabantur. Quamquam ad patriam ſervitute liberandam omni ferretur cogitatione, cujus rei cauſſa exilio aliquando damnatus fuit (2), videbat tamen ſuum priſtinum ſtatum illam retinere amplius non poſſe; & cum neceſſe eſſet unius imperio atque poteſtati ſubjici, vehementer laetatus eſt obtigiſſe illi Ducem poſt Alexandrum Mediceum Coſmum I. a quo magnam inierat gratiam. Ab adoleſcentia enim ita eniſus erat, ut ab optimo quoque probaretur. Amicitia illi igitur Coſmi bona atque honeſta permanſit, cum omnes intelligerent non ejusdem potentiae ſe decus & libertatem ſuam gratificatum eſſe, ſed neceſſitati paruiſſe, ſtuduisseque, ut ex maxima invidia in gratiam & favorem ipſe veniret potentiorum, quibus nihil reliqui erat, niſi ut ſuorum & patriae tranquillitati conſulerent. Poſtquam Coſmus dexteritate & ſeveritate ſumma pericula averterat, ſuumque jam bene firmaverat imperium, rei litterariae, ut ſupra diximus, liberaliter providit, & de renovanda Academia Piſana ſedulo cogitavit. Tantum autem in hac re Migliorii prudentiae confidit, ut eum legatum Ticinum, Mediolanum & Patavium miſerit ad conducendos doctrina excellentes ma-

---

(1) *Meminere de praestanti eloquentia Migliorii Franciscus Robortellius, cum illi inscriberet suam* de Rhetorica Facultate *Disputationem, Joannes Argentarius, & praesertim Paullus Jovius, & Scipio Ammiratus, qui illius orationes quasdam ad Senatum in historias, quas de rebus Florentinis scripsere, retulerunt.*

(2) Ma egli, *inquit Varchius Hiſt. lib. XII.* il quale uomo ſaccente era, ed è, fece tanto, e tanto diſſe, che ſolo di tutti i Confinati ottenne d'eſſere ſcancellato: la cagione, ſecondochè afferma egli, l'aver dato la caccia a' topi, e ſpazzato di ſua mano più volte la libreria de' Medici di S. Lorenzo. *Hujus enim neglectae curam ipſe omnium primus anno ante ſuſceperat, & in eam diligentissime incubuerat.*

giſtros, id ſe ratum habiturum ſpondens, quod illi libuiſſet. Quia gratiſſima Coſmo fuit Migliorii cura de illo primo & maximo mandato, ipſum & legavit ad Ferrantem Gonzagam, qui tum Luxemburgum oppugnabat, ut cum illo de quibusdam rebus ſuis magni ſane momenti ageret. Quibus aliiſque mandatis confectis, primum Piſarum & Maris, mox Academiae noſtrae Proviſorem, ut appellabant, creavit. Satis dici non poteſt, quanta cura, opera, diligentia, gratia providit, ut quam rectiſſime agerentur omnia, atque ex iis, quae de illo ſcripſit Bargaeus, ſatis conjici poteſt, tanti illum feciſſe Piſanos Doctores, ut illius abſentis deſiderium vix ferre poſſe viderentur (1). A Piſanis quoque multas amoris declarationes habuit, & Miglioriam familiam in civitatem adſcivere, quod idem fecerunt Aretini, cum an. 1559. Philippus illorum urbis praefecturam gereret. Eo tempore, quo Coſmus Dux (ardentem enim in cupiditatibus lubido maxima invaſerat augendae potentiae) iniit conſilia ſubigendi Senenſes, utiliſſimam illi operam navavit tum in colligendis copiis, quarum imperium decretum fuerat Aſcanio Corniae, tum in obeundis legationibus. Miſſus etiam cum mandatis ad Ferdinandum Caeſarem fuiſſet, niſi, dum iter parabat, in periculoſum & diuturnum morbum incidiſſet, ex quo licet convaluerit, captus tamen adeo oculis fuit, ut alba & atra diſcernere non poſſet. Tum aetas ejus perfuncta rebus ampliſſimis tanquam ex longa navigatione in portum confugit, & cum haberet villam in Feſulano (2), in ea ſic vivebat, ut omnia cum amicis com-

---

(1) *Vid. Bargaei oden quamdam ad Laelium Taurellium, quae ſic incipit.* At Muſae tua &c.

(2) *Huic nomen erat Bivillianum, de quo haec cecinit Bargaeus.*

Hoc, inquam, rude prominenſque ſaxum
Cum ruris Dominus Bivilliani
(Hunc dico Miliorium Philippum,

munia habere videretur. Ne paucis pateret, etiam ſictis illam ſe dedicaſſe ridens ajebat, quanquam cum eſſet ipſe vir integer, innocens, religioſus moribuſque facillimis, omnes ad ſe ex animo amandum non alliciebat modo, ſed pene etiam cogebat. Semel iterumque uxorem duxit, primum Catharinam Tedaldiam, mox Mariam Stroctiam, ex qua liberos ſuſcepit. Vitam cum morte commutavit prid. non. Feb. an. MDLXIV. ſepultuſque fuit in Florentina Aede S. Marci in ſepulcro Majorum.

Suffectus in Philippi locum fuit ad Academiae res curandas illius filius Antonius Migliorius, quo ſane nemo felicior exitit in aemulandis imitandiſque paternis virtutibus. Nondum expleverat ipſe XV. aetatis annum, cum magnos plauſus excitavit in Academia Florentina, aut exponens Cini Piſtorienſis carmen quoddam, aut de laudibus Ardinghellii Cardinalis dicens, quae ut gratiora eſſent effecit, oris pulchritudo, vocis ſuavitas, geſtus venuſtas, & mixta modeſtiae gravitas, quibus nihil admirabilius fieri poſſe videbatur. Cupiditas agendi ſemper aliquid laude dignum adolevit in ipſo una cum aetate, & teſtes ſunt Franciſcus Robortellius, & Rupertus Titius, cum ei aliquid ſuarum lucubrationum donarent, & Benedictus Varchius, qui eumdem verſibus celebravit, praecellenti fuiſſe & animo & virtutibus. Anno 1566. uxorem duxit nobiliſſimam feminam Angelam Guidottiam, quadrien-

---

1

Quo nemo melior, benigniorque,
Nemo affabilior domi, foriſque
Aut eſt, aut fuit, aut erit, nec ullus
Qui Muſis faveat magis libenter.
Magiſque ex animo) negotioſa
Ab urbe aufugiens, forenſiumque &
Rerum pene odio domeſticarum
In ſinum quaſi convolans quietis
Atque otj, propere recepıt hinc ſe.

nio ſcilicet poſtquam, vivo adhuc patre, res Academicas curare coepit. Hoc munus laudabiliſſime exercuit ad an. uſque 1573. quo vitam finivit, cum eſſet annorum ferme L. Uterque Migliorius in exercendo Curatoris munere minime Piſis commorabantur. Bis in anno ad Academiam accedebant, & in Monaſterio Camaldulenſium habitabant. Viſum eſt poſtea Magno Duci prorſus addicere Academiae ſuum Proviſorem, juſſitque cum hoc munere jungi & illud Antiſtitis (Priorem dicunt) Stephanianorum Equitum. Huic onus impoſitum moderandi ſcholas, continendi in officio tum Doctores, tum Diſcipulos, componendi controverſias, quae inter Doctores eſſent, ſolvendi ſtipendia merentibus, praeſidendi Horto Botanico & Collegiis, & hujuſmodi res alias curandi, quae bono eſſent Academiae.

Joannes Tonſus Mediolanenſis primus utrumque munus geſſit, geſſitque ab an. 1575. ad annum uſque 1586. Natus ille Mediolani menſe Junio MDXXVII. nobiliſſimo genere, quod ab Etruria in Inſubriam conceſſerat, ac patre Joanne Baptiſta, quem Carolus V. honorificentiſſimo decreto an. 1541. Comitem Palatinum creaverat, cum eſſet annorum XXV. lauream in Lyceo Ticinenſi accepit, poſtquam ſedulam operam navaverat Graecis Latiniſque litteris, ac Juris prudentiae. Biennio poſt inter Protonotarios Apoſtolicos cooptatus fuit, quodque nil tam colebat, quam pietatem, ſanctitatem ac religionem, Humiliatorum familiae nomen dedit. Praepoſitus Mediolanenſi Coenobio, quod Brerae dicebatur, elucebat omnibus tanquam lumen ſanctitatis, prudentiae atque ingenii, quare de eo vere dictum videtur ab illius collega Octaviano Puccio, quem inſtituendis tyronibus deſtinaverat: *De gratia ſpeciali a Reverendo Fratre Joanne Tonſo Braidae Praepoſito utriuſque juris Doctore, & viro tam Latinis, quam Graecis litteris clariſſimo, & facundiſſimo, & quem praeter ejus facundiam, acumenque ingenii tam Eccleſiaſtici, quam laici Principes mirifice diligunt, omnes vero illum obſervant ac venerantur.* Tredecim poſt annos ad regendum Cremonenſe coenobium Sancti Abundii vocatus fuit, cumque tum ex Humiliatis plurimi in S. Carolum Borromaeum con-

Digitized by Google

juraſſent, & in vitae diſcrimen eumdem adduxiſſent, poena dignus quoque habitus eſt Tonsus, non quod faviſſet conjurationi, quam conſtabat ipſum deteſtatum fuiſſe, ſed quod, antequam erumperet, non detuliſſet. Relegatus itaque fuit primum in Mediolanenſe collegium, quod S. Barnabae nomine vocatur, mox in ſuburbanum Cartuſianorum coenobium, quod a Mariniano nomen habet. Venia deinde impetrata Romam concedendi, honores obtinuit a Summo Pontifice, ſed non diu ibi manſit, cumque Florentiam veniſſet inter Stephanianos Equites an. 1574. lectus fuit, & anno poſt praepoſitus ſacris ejusdem equeſtris ordinis & curandis rebus Academiae. Quanquam haec, paullo poſt quam mortem obierat Coſmus, acciderunt, laus tamen illi tribuenda eſt, quod Tonso pro ſingularibus illius meritis munera haec apud nos ampliſſima deſtinaſſe videtur. In his per totos XI. annos ipſe perſeveravit, poſt quod tempus cum Aſcanio Columna Cardinali in Urbem rediit. Eidem quoque adfuit in comitiis, quibus Pont. Max. creatus eſt Greg. XIV., & quod ſumma erat opinio illius prudentiae ac dexteritatis, multis graviſſimiſque in negotiis adhibita illius opera fuit. Id non ſolum honori, ſed etiam emolumento ipſi fuit, locupletatuſque fortunis, otium cum dignitate in patria quaeſivit. Ab hujus tamen ſinu gremioque abſtraxit illum Emanuel Philibertus Allobrogum Dux, cui a conſiliis fuit, eratque hujus aula aptiſſimum domicilium humanitati Tonsi, quod in ea ſedem poſuiſſe videbantur litterae, manſuetioreſque muſae. Inde haud multos poſt annos domum redux, ibi diem extremum obiit, veriſſimo multorum, quibuſcum vixerat, ſcriptorum praeconio ad omnem poſteritatis memoriam commendatus. Illum enim ſemper omnis ars, & doctrina liberalis, & maxime humaniores litterae (1), ac philoſophia delectarunt, vitaque illius omnis ple-

---

(1) *Extant illius carmina quaedam inter carmina illuſtrium Poetarum a Jolito Venetiis an. 1552. impreſſa, & Mediolani an. 1563. per Jo. Paullum Ubaldinium, qui mentionem fecit de odis a Tonso eleganter ſcriptis.*

Digitized by Google

na honorum fuit ſaepe geſtorum, ſaepius meritorum. Nam, ut diximus, utramque tulit fortunam. Sepultus eſt in S. Angeli apud Franciſcanos in majorum monumento, in quo hic poſitus titulus fuit.

JOANNI TONSO

VIRO SINGULARI DOCTRINA ET PRUDENTIA PRAEDITO

OB EGREGIAS ANIMI DOTES, ET MORUM SUAVITATEM

SUMMIS PONTIFICIBUS GRATO

LIBRIS HISTORIARUM

LATINO, ELEGANTIQUE SERMONE EDITIS MIRIFICE

COMMENDATO

A FRANCISCO MAGNO HETRURIAE DUCE

GYMNASII PISANI

AC ECCLESIAE EQUITUM DIVI STEPHANI PRAEFECTURA

ET MAGNAE CRUCIS SIGNO

PRO SE ET EJUS FAMILIA DECORATO

MOX A CAROLO EMANUELE PHILIBERTO

ALLOBROGUM DUCE

AD CONSILIARI MUNUS ELECTO

GABRIEL TONSUS J. E. DECURIO

URBIS ITEM PRAEFECTUS

AGNATO CLARISSIMO

DEBITUM PIETATIS MONUMENTUM

ANNO SALUTIS MDCIV.

OBIIT DIE TERTIA NOVEMBRIS MDCI.

Hujus de virtutibus, vitaque ſatis erit dictum, ſi unum adjunxero omnes, qui teretes aures habebant intelligenſque judicium, conſenſiſſe in efferendis illius Latinis Italicisque carminibus, & libris, quibus memoriam prodidit poſteris factorum Alphonſi Avalos Vaſti Marchionis, & Emanuelis Philiberti Allobrogum Ducis (1).

Quanquam primis hujuſce voluminis capitibus propoſitum nobis ſit ea exponere, quae ad Coſmum pertinent, ne interrumpatur tamen ſeries Curatorum Academiae, hoc loco de iis quoque dicemus, qui poſt eum ad Ferdinandum usque II. huic ampliſſimo muneri praefuerunt. Primus poſt Tonsum mihi ſe ſe offert Capponus Capponius Joannoctii Senatoris, & Jurisconſulti filius (2), cui adoleſcenti honori fuit, quod nec proſpera, nec adverſa fortuna majorum ſuorum vel in conſervanda, vel in repetenda libertate extollere, ac minuere ejus animum potuit. Cum actionum dictorumque ſuorum moderatricem haberet prudentiam, idemque percomis eſſet, omnium facile conſequebatur benevolentiam. His virtutibus adjuncta erat pietas, bonitas, liberalitas ac benignitas, & quod non minus excellebat opinione doctrinae, quam praeſertim hauſerat ex hac noſtra Academia, docuit in

---

(1) De vita Emanuelis Philiberti Allobrogum Ducis Libri II. Auguſtae Taurinorum 1596.

Alphonſi Avalos Marchionis Vaſti vita. Ibid. 1596. per Jo. Dominicum Tarinum in fol. *Mediolani autem in Italicam linguam converſa* 1602. in 4.

F. Franciſci Panigarolae Eſtenſis Eccleſiae Epiſcopi Diſputationes Calvinicae a Joanne Tonſio Mediolanenſi Patritio in Lätinum conversae: Mediolani apud Pontium 1594. *Gratias egit Panigarola Tonso (Vide illius epiſtolas pag. 98.) quod in hujuſmodi interpretatione laborem inſumpſiſſet. Dedicavit illam Tonſus Clementi VIII. Pont. maximo, cujus maxime intererat vulgari opus ad Calvini fraudes detegendas accommodatiſſimum.*

Epiſtola ad quemdam excellentiſſimum Anonimum Romae commorantem & eruditum. *Extat inter epiſtolas Goſelini.*

(2) *De eo diximus ſuperiori in volumine pag. 173.*

ea primum jus civile ab an. 1557. ad annum uſque 1563. poſtea Pontificium cum ſtipendio CC. centuſſium. Anno demum 1587. menſe Novembri in Stephanianorum Equitum ordinem lectus, coepit illius ſacris & Academiae praeeſſe, & ex conſilio illius, quod graviſſimum putabatur, quia ſibi magnum nomen fecerat, multa ſane ſaluberrima conſtituta fuere. Obiit Piſis, cum ſeptuagenario major eſſet, an. 1603. monumentumque habuit a Petro fratris filio in Aede S. Frigdiani, in quo haec poſita inſcriptio fuit.

CAPPONO CAPPONIO PATRITIO FLORENTINO

JURIS C. OLIM PUBLICO PROFESSORI

ABBATI S. ZENONIS

EQUITI COMMENDATARIO S. STEPHANI

PRIORI ECCLESIAE CONVENTUALIS EJUSDEM

ET ACADEMIAE PISANAE PROVISORI

ORNATISSIMO ERUDITISSIMO ET PRUDENTISSIMO PATRUO

PETRUS CAPPONIUS HAERES

HONORIS ET PIETATIS ERGO P. A. MDCVI.

Extat & alia inſcriptio in Templo S. Zenonis, cujus Abbatiam gerebat, quae teſtis erit quantum illius utilitati conſuluerit. Sic enim ſe ſe habet. *Templum hoc reſtituit, Effigiem marmoream erexit, agros redemit, excoluit, exſiccavit Capponus Capponius Abbas, & Eques D. Stephani Anno MDXCI.* tantum abfuit, ut ex Eccleſiae bonis aliquid in commodum ſuum transferre voluerit.

Digitized by Google

Succeſſit illi Ludovicus Covus Joannis Franciſci Brixiani & Magdalenae Franciſcae Durantiae filius. Vel ab anno 1574. cum eſſet annorum XXIV. in Stephanianam militiam adſcriptus fuerat, & carus erat Mediceis Principibus, quod iis multa fidei ſuae, vel labores, vel pericula obeundo, pignora dederat. In ejus Praefectura quidquam memorabile haud fuit. Ita tamen illam geſſit, ut non defuiſſe Principis beneficio videretur. Nec ſane ingenii & litterarum expers erat, & vitae gravitate praeſtitit. Obiit Piſis XI. Kal. Decembris an. 1607. Miror equidem poſt illius obitum vices Academiae Curatoris per biennium ferme geſſiſſe Laurentium Gondium Florentinum tum Piſarum urbis Praetorem, cum rationibus illius ſic providendum ſemper putaverint Medicei Principes, ne quid commune haberet cum iis, qui gubernabant civitatem.

Tandem Academiae an. 1609. obtigit Curator Arcturus Pannochieſchius e Comitibus Ilcii, & Caroli Uraniaeque Bellantis Senenſium filius. Vel a prima aetate multum ſe exercuit in humanioribus litteris, & cum floruiſſet jam ingenii laude in patria, ſolitus frequentare Academiam Philomatorum, quae tum maxime celebrabatur, Romam conceſſit, ut honori velificaretur ſuo. Habebat ille non adumbrata, ſed expreſſa ſigna magnarum virtutum, valebat philoſophia, theologia, & eloquentia, cujus praeſertim indicium dedit, cum coram Pontifice Sixto V. laudes celebraſſet ſanctiſſimi viri Didaci Minoritae, generis nobilitate, blanda conciliatricula, commendabatur, non erat inops ab amicis, iiſque gratioſiſſimis, nihilo tamen minus ſuis haud ſatisfacere potuit deſideriis, quae fortaſſe ad nimiam ambitionem nitebantur. Pertaeſus itaque Urbanae commorationis, remeavit in Etruriam, & a Coſmo II. quem laudaverat Italica oratione, quae tantummodo eſt in manibus hominum (nam ceterae, quas habuit, minime in vulgus editae fuerunt) facile obtinuit, ut praeeſſet & Academiae, & Stephaniani Ordinis facris. Haec munera per quinquennium exercuit, ac de se minime mentiebatur in gloriando, quod nulli peperciſſet labori, ut res Academica florens eſſet. Autumni tempore ſolitus ruſticari in Monti-

Digitized by Google

genioliano, quod oppidulum eſt in Comitatu Ilciano, ibi diem extremum obiit XII. Kal. Octobris an. 1614. cum minime complesset adhuc L aetatis annum. Ejus cadaver translatum Senas ſepultum fuit in S. Auguſtini Aede cum funeris pompa, qualem decebat Antiſtitem, quanquam obſtitiſſent, qui pro Archiepiſcopo jus dicebant, ajentes indumenta Epiſcoporum propria haud convenire, in aliena praeſertim Dioeceſi, homini, qui ſpeciem illorum habebat.

Hunc ſecutus eſt Hieronymus a Sommaja, qui per totos uſque XXII. & amplius annos ita praeſuit Academiae, ut neminem illi parem ponam diligentia, ſedulitateque in procurandis illius rebus, notaudiſque, quae ad illam quomodocumque pertinebant. Quare huic ſupra ceteros grati animi teſtimonium debemus. Is natus eſt Florentiae an. 1573. XV. Kal. Quintiles Patre Joanne, qui propter nobilitatem familiae, ſingulareſque virtutes locatus fuerat a Coſmo in Senatoriis ſubselliis. Quod litterarum erat Hieronymus ſtudioſiſſimus, has non modo coluit in patria, ſed etiam in Hiſpania, cum quinquennium & amplius in Salmaticenſi Academia verſatus fuiſſet. Ibi familiariter vivebat cum eruditiſſimo viro Laurentio Ramirezio, cujus amicitiam non modo ad doctrinam, ſed etiam ad virtutem percipiendam magno ſibi adjumento fuiſſe grate teſtatus eſt. Ex illo regno rediit Florentiam aeſtate an. 1607., & haec civitas non modo in illo habebat ſpecimina innocentiae atque prudentiae, ſed etiam ſingularis ſtudii in litteras. Nam ſaepe ejus vox erudita audiebatur in iis coetibus, qui Academiae vocitari ſolent, ſive carmina pangeret, ſive orationes diceret. Inſignia autem doctrinae accepit Piſis an. 1612. a Petro Girolamio Juriſconſulto, & quam hic de illius laudibus orationem habuit, dignam putavit luce hominum, ut iis eſſet incitamentum laboris atque induſtriae (1). Non

(1) *Extat inter illius miscellanea quaedam edita Florentiae an. 1670. apud Franciscum Onuphrium.*

multo poſt ipſe Romam acceſſit, in ſpem fortaſſe adductus ſe conſecuturum honores, qui plerumque otioſis atque dormientibus tribuuntur. Annum & amplius ea in urbe fuit, cum in ſtudiis cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi, remotus ob oculis populi, omne otium tempuſque contriviſſet. Nihilo tamen minus inanis inde remeavit in patriam, neque multos poſt menſes Academiae Praefecturam adeptus eſt. Vitae morumque integritas, civile ingenium, & prona ad beneficiendum natura illum omnibus conciliavit. Is profecto, ſi quis unquam alius, recte novit, quod proverbio dicitur, foro uti. Quare & in laude, & in gratia fuit apud omnes eos, qui in Etruria aut imperium, aut auctoritatem tenuerunt (1). Vereor ne quis eum leviorem

---

(1) Nihil sane in Academia gerebatur, niſi de auctoritate & ſententia illius, & ad faciendam fidem ejus, ut & ceterorum Curatorum poteſtatis, hoc libet referre Reſcriptum.

Ferdinando II. G. Duca di Toſcana
& le Sereniſſime sue Tutrici

Convenendo che il Provveditore dello Studio di Piſa, che di preſente è Monſignore Girolamo Sommaia, eserciti la sua carica con quella opportuna autorità, che ricerca il suo officio, e che hanno avuto i suoi Predeceſſori e lui medesimo fino al preſente, e che ſia obbedito, e per tale riconoſciuto da' Dottori e Scolari & altri dependenti e ſottopoſti all' Univerſità di detto Studio, vogliono le loro AA. SS. ch' egli ſeguiti di pigliarſi la cura di ordinare le materie, che si deveno leggere da' Dottori in Sapientia, e quanto altro occorra per il Ruolo, & che i Dottori nel leggere & nel diſputare ne' Circoli, & altre ſimili funtioni non manchino dell' obbligo loro, & non ſeguino tumulti, nè altri inconvenienti tra i Dottori e Scolari. Et in occaſione di concluſioni, che ſoſtenghino Scolari, provegga a quanto occorra perchè tutto paſſi bene; & ſoprattutto, che li Scolari vivino & trattino quietamente ſenza riſſe e tumulti, e particolarmente in Sapienza, & nelle Scuole. Et provegga che ſi legga quel numero di Lectioni in capo all' anno che

putet, quod multa & minutiſſima ſcripto mandaverit, quae ad ſe ceteroſque pertinebant. Hujuſmodi ſcriptorum magna copia eſt in bibliotheca Magliabechiana, ut & alibi quoque, eaque cum legeris neque admodum proficies, neque admodum delectaberis. Sed ita comparatus erat natura Hieronymus, ut nihil melius induſtria & diligentia putaret; praeter quam quod non ceteris, ſed ſibi ſcribebat, & ſive ſcri-

---

conviene, ſentendo loro AA. questo capo eſſere non poco traſandato: & non ſieno impediti i Dottori nel leggere. Come ancora in occaſione di Notomia ſi faccia il medeſimo maſſimamente nel Teatro: Dandoli facultà intorno a' predetti, & altri ſimili affari attenenti a detta sua Carica, per mantenere l' obbedienza & l' oſſervanza de' buoni ordini, di potere, quando bisogni, far carcerare Scolari, & imporre a tutti pene pecuniarie, o di contumacia a suo arbitrio. Et per quelli caſi & capi di cose, che a detto Provveditore parranno degni della notiria di loro AA., o dell' Auditore Giulio Cavallo, che di preſente ha la cura de' Negotii di detto Studio, ne ſcriva, & dia conto o all' AA. loro, o al medeſimo Auditore, con il quale ſecondo la qualità de' caſi, mandando in mano di detto Auditore le relationi, perchè poſſa proporle a loro AA. e fare quanro a lui per detta sua Carica s' aſpetti. Vogliono ancora che detto Provveditore s' interponga in tutte le differenze che naſceſſero fra i Dottori dello Studio, e potendo le componga, altrimenti ne dia quanto prima conto; Et che habbia la Sopraintendenza de' Collegj di Sapienza & Ferdinando & del Giardino de' Semplici. Et inſomma vogliono che come Provveditore di detto Studio babbia l' autorità in tutti gli affari di eſſo, provedendo a' bisogni, e rimediando a' diſordini. Et perchè l' Ufitio & Carica del Rettore dello Studio in queſti tempi è aſſai relaſſato, e talvolta ſi è riſcontro in ſoggetti, che hanno apportato brighe, e moleſtie a Ministri & all' AA. loro medeſime, vogliono & comandano, che il medeſimo Provveditore ne faccia un negotio, e particolare relatione, proponendo i diſordini, che ſuccedono, e i rimedj, che si poreſſero applicare con quanro altro a lui occorrerà, quale loro AA. faranno molto bene conſiderare per riſolvere & comandare a ſuo tempo la loro volontà.

Il Gran-Duca di Toscana.

Leonardo Accolti 26. Aprile 1624.

beret, ſive legeret, nunquam usus eſt amanuenſi, & anagnoſte. Coluerat praeſertim juris prudentiam, philoſophiam item, ſed barbaram, hoc eſt ſcholaſticam, quare minime eſt mirandum, ſi Galilaeiani ſuſpecti eidem eſſent. Ad extremam uſque ſenectutem ſui ſimilis, retinuit conſtantiam, gravitatem, humanitatemque ſingularem, & ſedulitas illius magnum ſane attulit fructum Academiae. Perfecit enim, ut nemo unquam poſt hominum memoriam paratior, vigilantior, compoſitior ad illam regendam veniſſe judicaretur. Naturae ceſſit exeunte an. 1635., atque extitit nemo, qui in illius funere minime illacrimaretur. Omnes enim in illo conſenſere elogio, Academiae noſtrae fuiſſe parentem, & quaſi numen beneficentiſſimum. Per totum illud tempus, quo Academia ſuo caruit Proviſore, partes illius gerere juſſus eſt Rector, de conſilio tamen Pinoccii & Fachinei, qui prae ceteris multarum doctrinarum peritia, & uſu complurium negotiorum florere putabantur.

CAPUT III.

De Academiis ad exercendos adolescentes in doctrinarum ſtudiis, deque ludis ad eos oblectandos.

Mos erat adoleſcentes, qui ingenio et ſcientia videbantur praecellere, in Academiam aliquam legere, ac nemo sane ignorat quantum veteribus temporibus hujusmodi litterariis coetibus tribueretur vel ad revocandam, vel ad conservandam disciplinarum dignitatem. Omnium apud nos antiquiſſima Academia fuit, quae Rudium nomine appellabatur, ad excolendas res philoſophicas in ipsa Lycei renovatione instituta, et Cosmi ipſius auctoritate comprobata. Suis illa regebatur legibus, quarum hae praecipuae fuerunt.

Quindecim, ſummum, numero Academici ſunto: Ex iis Conſul, Conſiliarius, ſententiarum propugnator, earum oppugnatores per sortem eliguntor.

Statis certiſque vicibus, ſingulis ſcilicet Solis diebus, a Kalendis Decembribus usque ad totas ipſas Idus Majas certae coitiones ſunto.

Duplici munere ne quis ſungitor.

Nemo reluctator, detrectatorque: ſed modeſte, ac ſine recuſatione, ni cauſſa ſuberit, parento. Qui ſecus faxit, eum Magiſtratus e Collegio ſejungito.

Pugnam, qui ſortiti fuerint diſceptationis, depugnato.

Quem ſors dederit, Academicorum Princeps eſto. Si quando abſuerit, Conſiliarius Proconſul eſto, Magiſtratus quindecim dies habeto.

Conſul in cuiuſque anni auſpiciis Academicorum animos excitato.

Qui in publico Gymnaſiorum pulvere Profeſſoribus biennium operam non dederit, de eo in Collegium cooptando referre nefas eſto.

Qui ſtudiorum optatam metam attigerit, is Academicorum numero eximitor. Aſt ad Academiam accedere anni reliquum, ſi volet, ei poteſtas eſto. Exinde patriae gloriam augeto, domum cum laude redeunto.

Qui Piſas non amplius accedet, Conſuli ſignificato. Is perpetuam ejus abſentiam memoriae mandato.

Qui ex Academicorum numero non ſunt, iis in Academiam aditus ne eſto. Aſt ſi Academicus non Academicum introducat, coetu ſtatim movetor

Qui de Academicorum numero fuerit ejectus, de eo ad Academiam referre in poſterum ne liceto.

Probrum in Academia ne relinquunto. Is ordo, vitio averruncato, ceteris ſpecimen eſto.

Pomeridianis horis, quibus ad publica Gymnaſia Scholares convocantur, Academiae adſunto.

Propugnator unicum theorema defendendum proponito. Oppugnatores duorum argumentorum telis certamen ingrediuntor. Theſes ex Ariſtotelicis, quae Ordinarii Extraordinariive ineunte anno in Scholis interpretabuntur, ſtatis comitiorum diebus diſceptandas in medium afferunto. Arbitrarium inſuper theorema proponere ſi volent, eis jus faſque eſto. Aſt qui contra differant, ex Academicis ſibi paranto.

Quatuor ante certamen dies Propugnator theſim in tabellam referto, Conſuli ratam ſubſcritione faciendam dato, eam promulgato.

Qui priorem oppugnandi ſortitus fuerit locum, is prior in arenam deſcendito, prior hoſtem ad certamen provocato.

Conſulis poteſtati ſine recuſatione pareto. Eius juſſu interpretationes aggrediuntor, diſputationum certamen ineunto, iis finem imponunto. Aſt ſi quis contra nitatur, eum Conſul, Conſiliariuſque poena coercento. Ni inter eos de poena convenerit, ad Academiam referunto.

Conſul, Conſiliariuſque, quique vel concertaturi, vel interpretaturi erunt, tempori adſunto. Qui nec aderit, aut cauſſa, aut culpa eſto. Si cauſſa, an juſta ſit, Academiae judicium eſto. Si culpa, is ex Academicorum grege eiicitor. Ceteri ſi ſemel, iterum ac tertio ceſſaverint ab Academia, ni juſta cauſſa ceſſationem purgaſſint, culpae rei habentor, eorumque nomen albo deletor.

Quae cum Academia agenda erunt, ea Conſul ſtatis comitiorum diebus Academiam rogato, deque iis proximis ſtatis itidem comitiis, ſuffragia ferri jubeto.

Suffragiorum bes in approbando plus valeto.

Quid ſemel Academia prohibuerit, de eo omni ante annum referre nefas eſto.

Novas leges pro re nata, temporiſve conditione rogare, haſce obrogare, derogare, ſubrogareve fas eſto. Aſt nemo abrogare audeto.

Quae ſcita fuerint, quaeque legibus addenda, adimendave fuerint, ea Conſul in tabulas referto: id jus ratumque eſto. De quo non decretum, dum Academia decreſſit, conſuetudine ſervanto.

Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit, quae Academia decrevit, ſanxit, firmaque eſſe duxit, ea ſancta, firma, rata, perpetuaque manento.

Anno 1617. ſociorum Academiae numerus ampliatus, tribus ſuperadditis, neque multo poſt ſuum ipſa emblema legit ſibi, tornum fabrilem, ut eſſet indicium a ſe, quae erant rudia & impolita, perfici. Vix autem obtineri hoc potuiſſe videtur, niſi poſtquam, ſi non omnino ſiluerunt Peripatetici, multum tamen imminuta eorum auctoritas fuit.

Minime quoque defuit Academia Juris prudentiae ſtudioſis. Itaque Sodalitium alterum extitit (dixere Umbroſorum) cujus ortus ab an. 1587. repetendus eſt. Ex hac umbratili exercitatione multi cum prodiiſſent medium in agmen, in pulverem, in caſtra atque aciem forenſem, qui magnum nomen ſibi & Academiae pepererunt, quam diu-

tissime illa floruit. Pauci, numero uſque XVII. quorum duo tantum ex Citramontanis eligebantur, in ea locum habebant, nec petere poterant niſi ii, qui per quadriennium Juris prudentiae vacaſſent, & magiſtrorum teſtimoniis ſuam diligentiam, optimamque indolem comprobaſſent. Hujus Academiae fores XVII. Kalend. Decembris reſerabantur, occludebantur vero ineunte Junio: ipſa ſuum ſibi Conſulem quotannis creabat, ſuis regebatur legibus, plerumque die dominico ſuos celebrabat coetus, ad quos nemo accedebat, niſi paratus eſſet ad diſputandum non modo ad philoſophorum morem tenuiter, ſed & ad copiam rhetorum in utramque partem, ſeque plurimum in interpretandis Romanis legibus exercuiſſet. Quod ſibi patronum elegerat S. Gregorium Magnum, in feſto illius die Academicorum unus Latinam orationem habebat de ejusdem laudibus, atque hic mos, quia minime ſemper retentus fuerat, ſolemni decreto, Conſule Franciſco Venuto, an. 1673. revocatus eſt.

Sero prodierunt in Academicum pulverem theologi, neque enim ante an. 1694. prodire coeperunt, venia a Principe impetrata (1).

Sereniſſimo G. Duca

(1) Coſimo Girolami, Ranieri Delci, Luigi Marzi Medici, Guido Seravallini, ſupplicano l'A. V. a degnarſi di concedere ai medeſimi facoltà di erigere nell' Univerſità di Piſa un' Accademia di ſacra Teologia ad imitazione delle altre due, che vi ſono di Filoſofia e Legge. *Conſultus hac de re Franciſcus Maria Sergriſius Academiae Curator & Auditor, haec ad Principem retulit.*

Altre due Accademie ſono ſtate in diverſi tempi erette per eſercizio de' giovani Studenti nell' Univerſità di Piſa, la prima denominata de' Rozzi nel 1544. per gli Artiſti, e l' altra degli Ombroſi nel 1587. per i Legiſti, & ad ambedue è ſtato permeſſo l' adunarſi nella Scoletta di Sapienza, nè dependono da altri Superiori, che dall' A. V. e ſuoi miniſtri. Queſte Acca-

Digitized by Google

Quanquam huic coetui ſplendor minime defuerit, vix tamen ejuſdem memoria ad nos uſque pervenit. Neque multo poſt alia inſtituta fuit Academia Inexpertorum dicta, in qua ſtudioſissimi quique apud Magiſtros, in jure praeſertim civili, exercebantur. Lex erat: *Qui, ceteris in campo ſe ſe exercentibus, ſpectatores otioſi in herba recumbunt, amoveantor*. Sed in ea nunc devenimus tempora, quibus aut irridemus, ant contemnimus praeclaras haſce majorum noſtrorum inſtitutiones ad alenda adoleſcentium ingenia accommodatissimas. Plurimum quoque illae proderant ad avertendos eos a deſidioſo otio, & a pravis cupidinibus, atque ad excitandam glorioſam aemulationem, & ad noſcendum quanta vis ingenii & doctrinae eſset in iis. Quod vero nunc multi ad Academiam accedant, qui quamvis non honorem, non ſtudia virtutis, non ullum exiſtimationis bonae fructum cogitarint unquam, non ſolum in ea ſine dedecore verſari, ſed inſignia quoque doctrinae obtinere poſsint, profecto hoc in malis ponere minime dubitamus. Porro ſi virtuti tantummodo honor daretur, & plu-

---

demie rieſcono di gran profitto alla Scolareſca, perchè danno alla medeſima maggior ſtimolo da ſtudiare, & inſinuano nella gioventù una virtuosa e lodevole emulazione. Coll'eſempio di dette due, deſidererebbero i ſupplicanti fondarne una ſimile per gli studj di Teologia, e ſebbene ſi trova diſpoſto negli ſtatuti di detta Univerſità, che non ſi poſſano più erigere Accademie, pare però che ciò ſi deva intendere di quelle che foſſero dell' iſteſſe Profeſſioni, onde ſtimerei che i Supplicanti foſſero capaci di eſſere benignamente esauditi dall' A. V. con che doveſſero oſſervare le medeſime formalità, che ſi praticano dagli altri Accademici.

Di casa 3. Decembre 1693.

His rescripsit Princeps:

Approvaſi, e facciaſi come si propone.

res apertae viae eſſent ad illam aſſequendam, neque ii, quibus per fraudem jus eſt, honeſti putarentur, quod incultu atque ſocordia bonum ingenium torpeſcere ſiverint, praeſertim cum tam multae variaeque ſint artes, quibus claritudo paratur, non dubito quin adoleſcentes ad egregia ingenii facinora edenda excitarentur. Falſo nunc querimur de natura, quaſi ea effoeta ſit; nam illi magis induſtria hominum, quam vis deeſt, quapropter qui illam accuſant, ſuam quique culpam actores ad negotia transferunt. Dolens ſaepe ad eamdem rem redeo, quod nil moleſte magis feram quam nos vinci a majoribus induſtria & diligentia in comparandis doctrinis, in exercendis adoleſcentibus, quibus ingenium non hebes, non languidum natura largita eſt, & in accendenda in illorum pectoribus aemulationis flamma, & gloriae cupiditate.

Neque in eo minorem curam poſuere majores noſtri, ut ſtatis temporibus adoleſcentes oblectarent animum ludis, qui laxamenta laborum eſſent. Hinc ſaepe factam mentionem invenimus taurorum venationis, aliorumque certaminum, in quibus corporis vires exercebantur. Bacchanalibus vero feriis aut perſonati per urbem incedebant, (1) aut apparabant convivia pecunia ab ipſis magiſtris ſaepe impetrata, aut fabulas agebant. Quot riſiones, quot joci, quot ſaltationes, blanditiae, prothymiae! Notabatur interdum, caſtigabatur etiam quorumdam licentia, ſed efferri & pene bacchari honeſta alacritate & laetitia rectum putabatur. Quoniam vero non in Etruria modo, sed & in uni-

---

(1) *Extat epistola Rectoris Academiae data an. 1550. ad Coſmum I. quae ſic incipit.* Eſſendo coſa ordinaria, che avanti la vigilia di S. Antonio ſogliono i Scolari fare una maſcherata e venire in la Sapienza a fare alli aranci con li altri Scolari e Dottori per fare le aranciate, coſì questa mattina all'improviſo ſendoſi maſcherati circa 25. o 30. Scolari, vennero in la Sapientia, & giocando & ſcherzando tra loro fecero che i Signori Dottori ſopraſedeſsero dal leggere, & coſì ſi dette vacanza. *Haec res caussa rixarum fuit.*

verſa ferme Italia nihil celebratius erat Pontis, ut vocant, ludo, quem Piſani aemulatores Graecorum, a quibus originem duxere, ad haec uſque tempora ediderunt, de eo hoc loco dicendum putavi, quanquam nihil commune habeat cum Academia noſtra praeter ſtudia ardentia multorum tum diſcipulorum, tum magiſtrorum in illo celebrando, quod tertio quoque anno accidebat. In eo quidem deſcribendo ſequemur potiſſimum Valerium Chimentellium virum Graecis Latiniſque litteris eruditiſſimum, qui haec ferme, ut pote a ſe iterum ac ſaepe viſa, ſcripto mandavit; & dabit mihi, opinor, hanc veniam lector bonique conſulet, ſi diutius, quam par eſt, in hac re immorabor, neque ablegavero ab narratione pigmenta quaedam, quae illius aetatis ſcriptoribus fuiſſe in deliciis videntur. Sed cuique ſaeculo ſua, ut ita dicam, natura eſt, ſuumque ingenium; & gratulandum eſt noſtro, quod non probare ſoleamus niſi ſcripta, in quibus naturalis ineſt, non fucatus nitor.

Binae ſunt factiones, vel potius bini exercitus, Ciſarninus alter, ſive Borealis, Ultrarninus alter, ſive Meridionalis. Sex utrimque cohortes variis nominibus, partim ab ea urbis regione, quam incolunt, partim a teſſeris, ſive imaginibus, quas geſtant. Sic fulmina, leones, ſatyros, dracones ſe vocant, militari ac formidoloſa nomenclatione ad terrorem hoſtibus incutiendum. Quaeque cohors ſuos habet ductores, unum, aut plures, prout apparatus atque impenſae unius, vel plurium pecunia ſtetere. Quae autem Mattaccinorum appellatur ex

Nam cum in atrium majus Lycei intraſſent captivorum multi bacillis armati, res ad manus atque ad pugnam venit. Improbavit haec Coſmus, reſcripſitque: Se li Scolari attendeſſino, come ſaria el debito loro, alle lettere e alli studj, & non come fanno alle baje, o ché almeno nel far le baje, non offendeſſino le perſone, non ne naſcerebbono di queſti inconvenienti. *Ne Coſmus in magiſtros ſtomachum erumperet, cum non modo iis, quam diſcipulis iratum eſſe videret, effecit Taurellii prudentia.*

urbanis conflata, democratico utens imperio, collato aere conſcribitur. Solent ductores ſagula commilitonibus gratuito praebere, praeſertim pauperibus, ac minus honeſtis, ut ſibi habeant exacto ludo. Solent quoque congiarium, ſive annonam viritim erogare, neque eam ita caſtrenſem ac vilem, quin viſcerationem addant. Utrique exercitui ſuus eſt Imperator, qui populari acclamatione ex nobiliſſimis plerumque familiis eligitur. Cum dies atque hora pugnandi advenerit, quam, propoſito libello, ante indicunt, tum commotio, atque apparatus urbem miſcent. Omnia uſquequaque martiali perſonant ſtrepitu. Sed eapſe die horam anteverrentes ſimul coeunt de ſumma belli, totaque conficiendi ratione deliberaturi, Ciſarnini Athenaeum hoc noſtrum, alteri fanum, aut porticus S. Sepulcri pro tabernaculo, aut Practorio habent. Atque bellicis conſultationibus ipſi quoque Medicei Principes, diverſas ſecuti partes, intereſſe ſolebant, eoſque tanquam numina tutelaria omnes venerabantur. Haud minus diviſa ſtudia Feminarum Principum, quae ſua itidem auſpicia pugnantibus commodabant. Capita igitur militaria, reliqua etiam gregariorum manus ingenti & confuſa multitudine, conviciis & clamoribus variis (quippe vino & ferocia calentes) unum in locum coeunt de pugna ineunda conſulturi. Nec deſunt viri ſeniores ac pullati, qui conſulte, docte atque aſtute ſententiam dicunt, non ſecus ac ſi de aris ac focis eſſet pugnandum. Quis rumor interim concionis inconditus? quis diſcurſantium, coeuntium, remeantium ſtrepitus? quot clamores tolluntur a colluvie populi, quam inter omnes, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, conſtat eſſe ſpe atque laetitia inſaniſſimam? Poſtquam ſatis diſceptatum eſt, ad egreſſum ſe ſe componunt. Ante omnes Imperator equo inſidens, aliis ſtipantibus tum pediſſequis, tum equitibus, ſpecie cultuque ſupra ceteros decoro. Militantium hic habitus. Ferreus thorax, humerale ferreum, ferrea caſſis, eaque depicta, & ſagulo concolor, nonnullis etiam criſtata. Grave ſcutum e ligno iiſdem coloribus, oblongum & acutum, ut ſimul feriat, ſimul propellat. Thorax opertus ſagulo, ſive induſio ad genua uſque producto. Id lineum & fucatum,

non-

nonnunquam emblematis ac figuris variegatum, prout factio, vel teſsera postulasset, vel gerentis conditio atque honestas. Ductores enim plerique serico usi amiculo, armisque praefulgidis, balteis, cothurnis auro intextis se praebent insignes. Ceterum duodecim cohortes totidem visendae coloribus. Multae illarum haud uno contentae, duobus, aut pluribus divisim interstinctae, tesserulis, trabibus, meandris alternantur, truculenta simul belluarum forma depictae. Agminatim egrediuntur, ac procedunt in palaestram, sive pontem, cujus utrimque aequam longitudinem secat transversum lignum antennae specie crepidini objacens pro confinio & repagulo; eo usque enim progredi ante ludum fas est pugnaturis, dum ostensio, aut traductio fit. Concrepantibus tympanis, clangore tubarum edito, explicatis vexillis per paria, terni etiam quaternive circumeunt. Cohors cohortem sequitur, ac visendam ordine se praebet. Interim clamoribus, ululatibus, tripudiis ferociam testantur, arma ventilant, aut concutiunt, non secus ac de antiquis Germanis in pugnam ituris tum Caesar, tum Tacitus narrant. Probra quoque & scommata in adversarios invicem fundunt, ac militaribus lascivientes dicteriis subsannant, illudunt, cavillantur. Ubi utrimque se ostentarunt, iterum se colligunt, atque instruuut, sed properanter, in suis quisque manipulis. Denuo in pontem itur. Vera belli species obversatur, cum septies, octies centena armatorum, aut eo plura adesse videantur. Binae in fronte cohortes binis objiciuntur cohortibus, ut mutuo se se tangant, manus manum, pes pedem, umbo umbonem. Sed ligneum illud retinaculum, donec jacet, pro freno est. Nefas enim more majorum ante belli signum hostile aliquid moliri. = Leviores tamen proluduut offensiunculae, praesertim verborum: aliquo ictu se se audaciores carpunt ac proritant, moram pati nescii, invicemque attentant velitatione nescio qua & lacessunt, quasi antecoenium irarum, & decumani mox furoris libantes promulsidem. Praecipua laus, & cardo victoriae adversarium loco & statione pellere, quemque gradum quis fixerit, eum pertinaciter retinere: quod si hostes paullulum cesserint, tunc urgere, tunc premere, totaque in illos mole se se effundere.

En jam pugnae initium intentus quisque expectare. Inter voluptatem & metum nemo nou sollicitus. In vultibus pallor, anxietasque, & ambigua spes, ira quoque eminere. Campanae sonus pro signo, aut Principis manus annuentis. Tunc antennae illius transversum subsidentis caput tollitur, altrinsecus pede fixo. Sic praelio fit aditus, atque ire iam licet in hostem, vi manuque rem gerere. En truculentus miscetur concursus, en furor, & verberum confragosa tonat procella. Mirum quam efferate, rabieque acti desperatissima se se tundunt, rudibus illis, verius quam clypeis, batuentes. Nunc ambabus manibus ruina incidentis scuti, quasi factum facturi de alieno capite; nunc punctim pectora, ventrem, inguina fodicantes: quanquam lege ludi vetitum improtectas partes ferire. Cominus primum, ac nullo intervallo se se urgent, stantque in gradu obstinatissime, dum posterior priorem trudit, & quadam veluti anteride suffulcit. Nonnunquam postremo agmine, quod si forte alicunde moveantur, aut titubent, non singuli, sed spissa & solida cohorte fluctuant, ac nutant, ut propugnaculum ambulans, aut aggerem mobilem merito quis dixerit. Tam arcto enim compacti nexu agrestes potissimum se se colligunt, conficiuntque scutis supra capita densatis, quasi stratum opus facientes, ut si forte turbidus Jupiter deplueret, veluti tecto incussus imber intactis corporibus laberetur. Auctor est Florus, Romanos, elatis supra capita scutis, cum se veluti testudine Barbarus tegeret, super ipsa scuta insiluisse; neque absimilia narrat Caesar in libro I. belli Gallici. Ait enim: *reperti sunt complures milites, qui in phalanga insilirent, & scuta manibus revellerent, & desuper vulnerarent.* Haec fortitudinis exempla interdum renovata videre licuit in Pisanis pugnis, dum mediis e cuneis quidam magno nexu se se exererent, & capita suorum supergredientes ad verberandos hostes properarent, haud secus quam stabili solo persultantes. Pessime autem omnium accipiuntur, qui intra militares globos constricti nec animam quidem valent prae angustiis reciprocare; quod si in adversarios forte incidant, immotos tanquam in luto haerentes, se se tundendos praebent. Sed jam spargi-

Digitized by Google

tur acies, manipulatim alicubi, alicubi terni, quaterni, seni andabatarum more plagas commiscent. Nec raro observatum est caeca pugnandi temeritate, aut mutua violentia praecipites in subjectum flumen fuisse actos, omnino depontanos, quanquam florenti juventute. Neque in hibernalibus tamen aquis succensus furor, aut ultio refrigebat, sed ruebant pugnantes, pugnabant natantes, altero hostem brachio, altero aquam verberantes. Non desunt in hoc ludo suae bellandi artes, dum impetum faciunt, aut vitant, dum plagas inferunt, aut eludunt: nunc se se implicant, nunc expediunt, procurrunt, recurrunt, pedem figunt a fronte, a tergo in orbem assultant, supplantant, simulant, fallunt, praehendunt. Non armis tantum, sed his amissis, aut fractis, reliquum furoris consumunt pugnis, calcibus ferientes, ac nisi cassidis obex vetaret, morsibus se se peterent. Eadem quoque praeliandi solertia, non singulis ac disjunctis, sed universae cohorti, quam duces .regunt; alii etiam civili habitu atque officio, tum a tergo, tum globis suorum immixti, magistros dicerem atque hortatores ad fortiter callideque faciendum. Sic fessis cohortibus recentes substituunt, nudatas protegunt, imminutas supplent, fotas atque instauratas reducunt. Cuneis autem potissimum utuntur, ut adversam aciem facilius penetrent atque exturbent, minaci quidem nixu irruentes, dum ne inconsulto praetervecti in hostico undequaque circumveniantur, quod saepe accidit eo in ardore pugnandi. Captivorum vero miserrima conditio vel supra Spartanorum Helotas. Crudeliter namque trahuntur, vapulant, proteruntur, pedibus, brachiis, collo raptati ac distorti. Protinus galea exarmantur, tanto furore ac vecordia, ut nec aperta fibula, nec loris laxatis, nec solutis retinaculis, nec diducto offendice cum casside tantum cutem non reddant, moribus id forsitan institutum, ut dedecus ac turpitudinem captivitatis, libertatisque jacturam horrerent, quidvis facerent, ac paterentur, vel ultimum spiritum fortitudini ac gloriae devoventes, antequam in hostilem praedam venirent. Multae itaque vibices in ore livescunt, & lurida plagarum vestigia, luxata membra, denormati artus, excussi dentes, vulsi crines,

cum sudore sanguis non raro mixtus, & vinum, recentisque crapulae cruda colluvies, quam rimosa cassis eructat, dum constricti, contusi, compulsi in acie laborant. Perruptae hic galeae, discissae vestes, thoraces fracti, disjecta scuta, sparsa ornamenta, cristae, armillae, ceteraque mundi martialis. Multae quoque post pugnam debilitates, longique decubitus, quandoque consecuta mors =. Non minori feruntur ardore, qui ad visendum certamen veniunt, in quibus varie laetitia, moeror, luctus atque gaudia apparent. Quod si apud Graecos in illa quinquennali celebritate ludorum prope majus & gloriosius fuit, quam Romae triumphasse, eadem ferme dicito de Pisanis, cum agunt magna sane pompa, magnoque victorum plausu de victis triumphum.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Horto Botanico, deque Botanices Magistris

QUoniam hoc propositum Cosmo I. fuit, ut ad omnem doctrinam concipiendam facta Academia esse videretur, non negligendam rem herbariam esse putavit, cujus magna vis est in medicina facienda. Mirari sane debemus, cum multae sint stirpes & herbae, quarum utilitates longinqui temporis usu & periclitatione percepimus, majores nostros minime sollicitos fuisse, ut essent in Academia, qui eas oculis discipulorum subjicerent, earumque naturam, vim proprietatesque declararent, praesertim cum harum rerum scientia non propter utilitatem solum, sed etiam propter oblectationem sit expetenda. Sunt in natura invitamenta ad illa noscenda admirandaque, quibus ipsa maxime ornatur, & quae ipsorum hominum caussa fortasse genuit. Sane a multis summis viris vidimus ultimas terras peragratas, & labores, sollicitudines, vigiliasque incredibiles perlatas fuisse, ut quaererent nova herbarum genera, ab antiquis investigata reviserent, omniumque noscerent explicarentque naturas, quod sane minime fecissent, nisi tanta vis esset talibus in studiis, ut ingenuas ac suavissimas pariant ex doctrina oblectationes. Etsi autem in iis disciplinis, quibus propositum est res a natura occultatas, & latentes indagare, sint quidam gradus, & quasi genera, ut vincantur minora majoribus, fateri tamen debemus nulli earum concedere Botanicen, dolere vero, quod serius apud nos illius lumen apparuerit, eodemque nomine gratiam Cosmo habere, quod curasset, ne illo diutius careremus. Hujus rei caussa ex Academia Bononiensi ad Pisanam an. 1544. accersivit Lucam Ghinium, vi-

rum omni naturali historia eruditissimum. Fuit autem hic statim auctor Principi munificentissimo, ut in ea urbe Hortum Academicum, & alium Florentiae non multo post instruendum curaret, & quamvis omnia rerum principia parva esse soleant, factum est tamen & studiis Ghinii & liberalitate Cosmi, ut hortus noster esset non minus ad adspectum pulcher, quam ad usum utilis & copiosus. Non deerant illi ornamenta exterarum plantarum, ac praesertim Cretensium, qua in re utebatur Ghinius fratris opera, qui in illa insula commorabatur, & quod ortu praecesserat Patavinum (1) & Bononiensem, hoc etiam nomine commendationem aliquam consequebatur. A nonnullis appellatus est navalis hortus, quia proximus erat aedificio, quod ipse Cosmus prope Arni ripas ad aedificandas naves excitandum curaverat. Mutavit inde sedem an. 1563. ejusdem aedificii amplificandi caussa, habuitque prope sacras aedes S. Vivianae, quas modo incolunt S. Marthae moniales. Sed ut ad Ghinium revertar, is natus videtur circiter an. 1496. eo in Bononiensis agri loco, qui dicitur *Corvara d' Imola*, praeceptoremque habuit Nicolaum Leonicaenum, qui postquam Ferrariensi Gymnasio lumen ingenii ostenderat, an. 1508. cum esset ferme octogenarius, amplo stipendio Bononiam vocatus est, ut medicinam ea in urbe publice doceret. Is Botanicen coli pene desitam omnium primus revocasse dicitur, qua in disciplina adeo profecit Ghinius, ut illius tradendae in ipso Bononiensi Gymnasio an. 1527. omnium suffragiis munus acceperit. Nunquam illum fama deseruit, quam ut non solum conservaret, sed etiam augeret, dum mansit in Etruria plurimum laboravit. Mansit autem ad annum usque 1555. carus Cosmo, qui re herbaria multum delectabatur, utilis Academiae Pisanae excolens universam naturalem hi-

---

(1) *Hortus Patavinus initium ducit ab anno 1545. Nihilo tamen minus Pontedera in epistola quadam contendit aetate illum anteire Pisanum. Vide ejusdem* opera posthuma Vol. I. p. 251.

Digitized by Google

storiam, cujus caussa loca aspera & montuosa saepe peragrabat, & gratus discipulis suis, quorum studiis mirabiliter inservivit, quosque multos & nobilissimos habuit. Ex iis memorantur praesertim Andreas Caesalpinus Aretinus, Rainerius Solenderus Cliviensis, Caesar Odonus Bononiensis, Aloysius Anguillara Romanus, Ulysses Aldrovandus Bononiensis, Petrus Matthiolus Senensis, Bartholomaeus Maranta Venusinus, Gabriel Faloppius Mutinensis, & Franciscus Calceolarius Veronensis, quorum plerosque Ghinius auditores habuit Bononiae, antequam ad nos veniret. Non multo post quam illuc rediit, aestate scilicet an. 1556. vitam amisit. Ejus scripta, cum ad manus pervenissent Ovidii Montalbanii, plurimi sane is facere videbatur, ex iisque haud pauca erant, quibus usus fuerat Pisis ex instituto Academiae Dioscoridem publice interpretans. Porro omnes, qui iis temporibus rem herbariam, ceteraque ad historiam naturalem pertinentia excoluerunt, in illo laudando consensere, & Matthiolus alterum Dioscoridem Ghinium appellare minime dubitavit. Satis de hoc: ordiamur modo hominem, quo neminem illustriorem habuit nostra haec rei herbariae Praefectura, &, ut vocabatur, Simplicium cathedra, quique plurimum etiam auxit ipsius, quam profitebatur, disciplinae dignitatem.

Is est Andreas Caesalpinus nobili genere doctoque patre Joanne Aretii natus an. 1519. quique tanta pollebat ingenii docilitate & acumine, ut ad omnem scientiam factus esse videretur. Quapropter non in una Botanica constitit, usus, ut diximus, institutore Ghinio, sed & anatomen a Realdo Columbo, medicinam a Guido Guidio, aliasque ab aliis physicas facultates didicit. Quod dum philosophabatur, sic adamaverit Aristotelem, ut ad eum tanquam ad saxum interdum adhaerescere videretur, aetati potius, in qua vixit, quam illi vitio tribuendum putamus. Ceterum multa instrumenta habebat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, & cum primum an. 1555. ob Ghinii ab Academia discessum coepit in ea Botanicen explicare, magna de eodem illico fama surrexit. Novit eum illo ipso anno clarissimus Botanicus Gallus Bellonus, isque illustre testimonium dedit tum praestanti

Digitized by Google

doctrinae Caesalpini, tum ubertati horti, cui hic praeerat, in quo dixit *magnis sumptibus coli atque educari plurimas pulcherrimas plantas, & multa ejusmodi rara, & excellentia, eaque nusquam alibi inveniri*. Et quidem tota haec copia tam bene nota erat Caesalpino, ut facile in ejus auctoritate ceteri acquiescerent. Neque modo & campi & montes, sed & maria & littora illi opes suas, quas multo labore quaerebat, suppetebant. Gaudebat enim omni re, quae ad historiam naturalem pertinebat, imitatusque Ghinii exemplum multa hujusmodi collegerat ad instruendum Academicum museum. Vidit ipse omnium primus non satis esse ad botanicen provehendam multas separatim noscere plantas, nisi eae suas ad classes referrentur. Et sane in generibus plurimis constituendis, quae minus nota fuerant superioribus Botanicis, quaeque ex semine maxime hujusque receptaculo sumpsit, naturam optimam ducem secutus est, laudemque obtinuit se novae methodi inventorem fuisse. Scripsit itaque libros XVI. de Plantis, eosque an. 1583. Florentiae excudit, quod opus ab Hallerio (1), ceterisque Botanices scriptoribus prorsus eximium praedicatur, quanquam ii queri videantur, quod usus sit stirpium nominibus Etruscis usitatis, alienigenis plerumque incognitis. Non multus fuit in describendis ipsis stirpibus, cum id unum laborasset, ut optimas notas indicaret; naturam consuluit in hujusmodi descriptionibus, & nihil tribuit antiquitati, nisi in eo quod pertinet ad vires potestatesque

(1) *Haec habet Hallerius* in adnot. ad method. Stud. Medici Boerhaave Tom. I. p. 83. Venet. edit. Eximium opus est, sed difficilis lectionis, quod ſtirpium nomina Etrusca fere ponat nullo cum synonimo. Ceterum primus systema ex receptaculo fructus perfecit, idque fideliter persecutus est. Descriptiones breves, sed utiles, virium tractatio fere ex veteribus. *Quae in istud opus addidit de aromatibus, prodierunt Romae an. 1603. cum Sylvii Boccone Musaeo Plant. p. 115.*

Digitized by Google

que ipsarum stirpium declarandas. Suum & sibi hortum comparavit quem siccum Botanici vocitant, isque extat adhuc Florentiae apud Pandulfinios, & teste Michelio non tam herbarum copia (ad 760. enim usque illae perveniunt) quam arte quadam in digerendis classibus, quantum fieri tum poterat, is est commendandus. Fuit igitur talis Botanicus Caesalpinus, ut non solum primos aetatis suae vinceret, sed ne de majoribus natu quidem quisquam illi anteponeretur. Multum etiam in medicina est versatus, magnamque gloriam ex ea obtinuit, quamvis multa adsciverit, quae ad nostram consuetudinem sunt levia, & prorsus contemnenda. Hanc ipsam facultatem ab anno 1569. ad annum usque 1692. Pisis docuit magna discipulorum frequentia, & laudi illi datur, quod in describendis morbis, eorumque caussis ac sedibus indagandis saepe anatomen consuluerit. Is tamen a vero plurimum abesset, qui arbitraretur Caesalpinum tum in docenda, tum in facienda medicina Hippocraticam rationem, simplicem videlicet & congruentem naturae unice secutum fuisse, quamvis de ea satis scite disseruerit eo in libro, quem inscripsit: *Speculum artis medicae Hippocraticae*, quemque ob semplicitatem ipsam, atque ob ordinem plurimum commendat Hallerius. Fidem enim mirabilibus rebus interdum adjungebat, falsa somnia, captiosas probabilitates, & inanitatis plenas hypotheses non semper rejiciebat, incerta remedia pro certis saepe venditabat, & universam medicinam scholasticorum sordibus commaculabat, ut ex illius libris *Quaeſtionum Peripateticarum* intelligi maxime potest. Quae quidem cogitans soleo saepe mirari insolentiam, ne dicam stultitiam multorum philosophorum, qui dum naturae cognitionem efferunt, ejusque inventori & principi gratias exultantes agunt, quod vias quasdam aperuerit ac patefecerit, quibus ad veritatem pervenire possimus, attamen non secus ac si aliqua vi morbi impediti essent, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videant, nec audiant, quae experientia, & observatio prudentiorum docuit. Sane medicina minus haberet obscuritatis & erroris, si illius cultores, Hippocratis secuti exemplum, in hoc uno elaborassent, ut memoriae proderent, quae prodesse so-

Digitized by Google

lent, aut obesse diuturno tempore, & significatione eventus animadversa atque notata. Miraberis tamen hominem, qui errantes opiniones Peripateticorum aucupabatur, usque eo ut negaret nervos a cerebro oriri, idcirco quia Aristoteles eorum ortum a corde repetierat, non obscure adumbrasse, sed aperte descripsisse sanguinis in humano corpore circuitum, vel ipsa *circulationis* voce adhibita, qua nunc uti solemus. Quocirca, ut est sententia Astrucii, aliorumque illustrium medicorum, *hujus dogmatis inventor & auctor habendus est Caesalpinus*, *cujus Guillelmus Harvaeus promotor tantum & amplificator fuerit* (1). Sed Hallerius hac in re minuere videtur gloriam Caesalpini, affirmans (2) circulationem sanguinis minorem, quae per pulmonem fit, notam quidem plurimis fuisse, sicuti Galeno, Serveto, Columbo, Pigafettae, majorem vero, qua sanguis ab extremis arteriis in venas transit, atque cor versus redit, perpaucis innotuisse, & quamvis Caesalpinus ejus indicia dederit haud obscura in capite II. libri I. de Plantis, ubi alimentum a venis ad cor duci, inde per arterias in totum corpus adduci ait, non satis tamen manifesto addidisse, ab arteriis sanguinem in venas redire, minimeque omnis hujus circuitus leges, quemadmodum Harvaeus fecit, explicasse. Atque hoc dabit profecto Hallerius, necesse fuisse illa serere Caesalpinum, ut Harvaeus metere potuisset gloriosissimi inventi fructum. Auctor quidem est Isaacus Vossius (3) sententiam Caesalpini perplacuisse Paullo Sarpio, atque per hunc in Britanniam pervasisse. Jam vero illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem iniquiores etiam in Caesalpinum fuisse illos (4), qui eum atheum dixere ob ea praesertim, quae de bruti foetus

(1) De morbis Venereis Tom. II. p. 304. Venetae editionis.

(2) In Adnot. ad method. Studii medici Boerhaave.

(3) In libro *Variarum Observationum* edito Londini 1685. p. 71.

(4) *Vide Nicolaum Taurellium Altdorfinum philosophum in libro* de Alpibus Caesis.

procreatione & animatione ex putri, & de Peripatetica Daemonum investigatione protulit. Explicavit enim aliorum, non suos deprompsit sensus, & si qua in re peccavit, in eo certe peccavit, quod nimium temporis & laboris consumpserit in inquirendis Aristotelis ceterorumque Peripateticorum sententiis. Fortasse illa cum loquebatur secum ipse ridebat; neque revocari quidem in dubium potest, ea de humana anima sensisse, quae Christianum & religiosum virum decent, scilicet eam minime esse posse naturae opus, sed divinitus ad nos delatam, & non cum alio nullo nisi cum ipso Deo, cujus imago est, comparari posse. Eadem facultate, qua discipulis in schola consulebat Caesalpinus (neque tacendum arbitror in illorum numero fuisse Galileum Galilejum, quamvis a Caesalpino nihil hauserit illius doctrinae, qua physicam ad vitam revocavit, nomenque suum immortalitati commendavit) consulebat & aegrotis, cum celebraretur omnium sermone illius in medicina facienda ars atque peritia. Hoc etiam nomine, ut & aliis multis gratissimus erat Francisco Mediceo, qui Cosmo I. successit, & ejus uxori Blancae Cappelliae. Nos in Ephemeridibus Litterarum, quas Pisis edere solemus, (1) retulimus Caesalpini epistolam ad ipsam Blancam, qua eidem est auctor, ut mergat se in Agnani fonte quodam, cujus aquas ad procreandos liberos, quibus ipsa aegre carebat, plurimum conducere posse putabat. De illarum vi potestateque sic disputavit cum Jacobo Fabronio ejus discipulo, gentilique meo, ut si ejus dicta cum iis, quae recentiores chemici tradere solent, conferre veli-

D 2

quo palam & acerbissime impietatis accusavit Caesalpinum. Et de hac quidem accusatione plura protulit Bruckerus in Hist. Critica Philosophiae Tom. IV. P. I. p. 221. *& Baylius, ad quos delegamus Lectores.*

(1) Tom. VIII.

mus, balbutire videatur. Honores & praemia (1) quibus decorabatur in Etruria Caesalpinus minime valuere ad extinguendum in eo invidiae motum, ex qua laboravit postquam Hieronymo Mercuriali & primus inter medicinae Doctores locus cum Supraordinarii titulo, & annuum stipendium mille centussium assignatum est. Utramque rem consequi curavit in Romano Archigymnasio studiis Michaelis Mercati Miniatensis, qui ex illius schola prodierat, quique plurimum gratia poterat apud Summum Pontificem Clementem VIII. Romam itaque concessit Septembri an. 1592. (2) eaque in urbe medicinam & docuit, & fecit vel ipsius Summi Pontificis Archiater ad annum usque 1603. quo id. Martii ex pleuritide obiit. Plura Romae degens in vulgus emisit, Appendicem scilicet ad librum de Plantis, libros tres *de metallicis*, qui non magno in pretio habentur ab harum rerum peritissimis viris (3); *Quaestionum medicarum libros duos* (4) totidemque *de medicamentorum*

---

(1) *Quando ab Academia discessit, ex hujus aerario pendebantur illi cccc. centusses.*

(2) *His verbis rem istam narrat Vigna.* Die 8. Septembris 1592. vocatus a Sanctissimo D. N. Papa Clemente VIII. favore D. Michaelis Mercati Romam adivit, ubi undecim annos medicinam superordinariam publice professus fuit cum ſtipendio mille scutorum, quorum 600. accipiebat a S. P. Q. R. pro Lectura, & 400. a R. C. tanquam medicus Suae Sanctitatis.

(3) *De iis tamen hoc protulit judicium Hallerius*, ad method. Studii Medici. De metallicis libri tres Romae 1596. & Norimbergae a Sonero recusi. Simplex est opus absque multa caussarum inquisitione, tractatio de omnibus fossilibus, nam solus tertius liber metalla tractat Pliniano more, & eo, quem in plantis secutus est. Veterum descriptiones, & virium medicarum enarrationes refert, additis quibusdam suis, aut recentiorum experimentis, plerumque nihil habentibus reconditum.

(4) Venas vinculum inter & partes extremas intumescere adnotat, eumque tumorem receptae sententiae adversari; verum tamen sanguinis venosi ductum inde non eruit, vero licet proximus: & sanguinem quidem per somnum

Digitized by Google

facultatibus, quibus si addas libros quinque, quos supra nominavimus, *Peripateticarum Quaestionum*, (1) & *de Peripatetica Daemonum investigatione*, operum Caesalpini catalogum contextum habebis.

Per totos triginta septem illos annos, quibus apud nos fuit, Caesalpinus non semper Simplicia, ut loquebantur, docuit, nec semper praefecturam horti Academici gessit, & gessisse videtur ab an. 1555. ad aestatem usque an. 1571. quo Thomas Mermannus homo in Germania natus illi ad ordinariam practicae medicinae vocato succedere jussus est. Vel ante hoc tempus factam mentionem inveni cujusdam Aloysii Leonii Forojuliensis, cui Cosmus Dux commisisse videtur curam Pisani horti. Verum si in hujusmodi re hic tribuit nobis paullum operae, Botanicen quidem minime docuit e superiori loco, quare illum minime in magistrorum numero collocabimus, de quibus nunc propositum nobis est dicere. Navus & industrius, diligentissimus & experientissimus fuisse narratur Botanicus ille Mermannus, sed quia minime aptus erat ad cathedram, non ultra annum apud nos moratus est. Suffectus in locum illius fuit Baldellus Baldellius Cotronensis, qui per XXIV. & amplius annos (vitam enim amisit an. 1596.) Simplicium cathedrae sic satisfecit, ut teste Vigna, sibi maximam laudem comparaverit, atque mirifice juverit discipulos

omnino per venas, non per arterias ad cor redire docuit; sed a vero hactenus abfuit, quod in Euripi modum sanguinem per easdem venas ire & redire persuaderetur. *Haec Hallerius* Biblith. anat. Tom. I. p. 239. *illud & addens*: In Quaestionibus medicis etiam habet pro chiasmo nervorum aliqua, etsi contra eum validissimum argumentum profert.

(1) *Dat Caesalpino laudi Hallerius, quod bene noverat, cui muneri destinasset naturae opifex valvulas in cordis ostiis positas. Hoc ipso in loco negavit esse diversam memoriae & imaginationis sedem, affirmavitque animam in corde habitare, & absque sanguine nullum esse sensum. Quae de generatione tetigit, non probantur.*

& pharmacopolas. Illo docente per biennium, an. scilicet 1582. & eo, qui consecutus est, Camillus Christophorus Montemarcianensis secundum locum inter Botanices Magistros tenuit, sed cum nulla ei merces penderetur, non magna de illius doctrina opinio fuisse videtur (1). Cum e vita migrasset Baldellius, ejus locum occupavit Joseph Rovezzanius Joannis Pisani filius, qui, teste Vigna, nemini secundus futurus fuisset in herbarum scientia, nisi eum mors in flore aetatis hominum luce privasset. Discipulorum, quos incredibili diligentia erudiebat, studia in se verterat, & hoc quoque in gloriam illius cecidit, quod quoties meditata dissereret, nemo elegantiam, quod raro evenire solebat, desiderabat. Factus omnino ad scholam videbatur. Existimationem hominum merito positum monumentum fuit in claustro Coenobii Carmelitarum cum hac inscriptione.

D. O. M.

JOSEPHO ROVEZZANIO JOANN. FIL.

PHIL. ET MED. DOCTORI PIS. CIVI

PRO MAGNO HETR. DUCE IN PATRIO

GYMNASIO SIMPL. MED. PUB. DOCENTI

VITA FUNCTO PRID. NON. MAII MDCII.

AET. AN. XXXVI.

PETRUS FRATER MOESTISSIMUS POSUIT.

---

(1) *De eo ita rescripsit Princeps.* Ai Semplici basta il Baldello, e se vuol leggere per suo capriccio S. A. ne lascia il pensiero a lui.

Cornacchinii Fratres Marcus & Horatius Thomae Aretini filii, qui diu in hoc Lyceo medicinam professus fuerat, unus post alium Botanices cathedrae praefuerunt, ille ab an. 1601. usque ad annum 1606., hic vero duobus consequentibus annis. Ut Marcus vacuum locum relinqueret fratri, fecit jussum Principis vocantis ipsum ad medicinae cathedram, quam rexit ad annum usque 1621. quo vitam finivit. Non mediocrem sibi famam comparaverat, editis Patavii an. 1605. *Tabulis Medicis* Thomae patris, & opusculo quodam a se confecto, quod inscribitur: *Methodus, qua omnes humani corporis affectiones ab humoribus, copia, vel qualitate peccantibus, genitae, tuto, cito & jucunde curantur* (1). Tota haec ars versatur in usu cujusdem pulveris ad alveum leniter solvendum idonei, qui componitur ex diagridio, cremore tartari atque antimonio diaphoretico, quique nunc etiam pulvis *Cornacchinus*, vel pulvis *Comitis Warwick & de Tribus* vocitatur. Horatius, antequam ad nos veniret, logicam in Patavino Gymnasio professus fuerat, emiseratque librum cum hoc titulo: *Indagatio verae & perfectae definitionis logicae*. Sane utiliora vulgasset, si diutius vixisset. Multa cogitans, quae naturalem historiam illustrarent, alpes, totam Ilvam, & alias Etruriae regiones, cum maximi essent calores, peragravit, ex quibus contracto morbo, vitam in aetatis flore amisit. Quod ei calamitati fuerit studium artis, quam profitebatur, quodque in ea non mediocriter profecisset, memoriam sane posteritatis meretur.

Hunc secutus est Dominicus Vigna, qui Februario an. 1609. extra ordinem, Octobri vero an. 1620. ordinarius Botanices & Historiae

---

(1) *Semel, iterumque ac saepius editus libellus fuit. Sed quod genus erat istud ostentationis & gloriae? Palam oppugnarunt propositum a Cornacchinio remedium Joannes Nardius & Stephanus Rodericus e Castro, qui & Faleucium composuit*: in tumulo medici, qui aegros purgabat pulvere composito ex tartaro, scammonio & antimonio, quo ipse accepto periit.

Naturalis Magister declaratus est. Didicerat has facultates a Rovezzanio atque Francisco Malocchio, & ex animadversionibus, & observationibus in Theophrasti libros de natura & caussis Plantarum Florentiae editis an. 1625. cognosci potest experientissimum atque diligentissimum fuisse Botanicum. De hoc quidem opere hujusmodi protulit judicium Hallerius (1): *Dictionarium ceterum est Graeco-Latinum & Italicum. Intercedunt aliquae adnotationes de Agallocho, de Gori Sanamundae certa vi adversus haemorrhoides dolentes, de Cytiso, quem putat noster se detexisse, de herba Lucciola (Junco Luiula), de pannis ex Genista textis, & de locis natalibus variarum plantarum.* Reliquit & alia hujusmodi inedita, quorum meminit Targionius Tozzettius, quaeque publica luce digna putavit (2). Continent enim plura ab illo primum animadversa in agro praesertim Pisano, cujus nulla est pars, quam ipse diligentissime minime perlustraverit. Exercuit & medicinam, vel antequam ad nos veniret, atque ex hac divitias sibi comparavit. Ea propter plures Pisis emit domos, instauravitque, & ex titulis, quos inscripsit, cognosci potest patriam illi fuisse Florentiam, patrem Herculem, genus nobile & antiquum ex Prosperorum familia, delatosque honores, praeter illos Academicos, Equitis Aurati & Comitis Palatini. His quidem illum praetulerim, quod inter suos discipulos numerare potuerit Franciscum Redium, quodque Pisis docens ad ineuntem usque an. 1647., quo vitam cum morte commutavit, multos alios reliquerit doctrinae suae heredes. De eo Paganinus Gaudentius hoc cecinit elogium *Vi-*

(1) Biblioth. Botanic. p. 436.

(2) Prodromo ec. p. 217. Catalogi di Piante e Droghe descritte da esso Vigna, e delle sue lezioni sopra le gomme, e le resine, e de' suoi viaggi botanici per la Toscana. *Vide etiam ejusdem Targionii opus, quod inscribitur*: Notizie degli aggrandimenti delle scienze fisiche accadute in Toscana ec. Tom. III. *in princ.*

Digitized by Google

Vigna senex obiit, cultor notissimus Horti,
In quo plantarum conditur omne genus.

Hactenus de iis, qui Theophrasti libros interpretantes e superiori loco Simplicia, ut loquebantur, docuere. Iisdem temporibus fuerunt alii, qui Praefecturam gessere Horti Botanici, quamvis publici Doctoris munere minime fungerentur. Utrumque sane munus exercuit Vigna, aliique, de quibus diximus. Ex veteribus autem Praefectis maxime commemoratur Laurentius Mazzanghius Bargaeus, Caesalpini discipulus, quo curante factum est, ut Hortus noster & copia & nobilitate plantarum vel absentibus notus esset. Ea propter plura is suscepit itinera, & dum montes patrios perlustrabat, detexit jaspides Bargaeos, quibus nihil ad speciem pulchrius suppeditat universa Italia. Porro non ulla aetate uberior in Etruria Botanicorum foetus fuit, quam regnantibus Francisco, Ferdinando, & Cosmo II. Mediceis, quod iis studia rerum naturalium perplacere omnibus compertum erat. De Francisco quidem vere praedicavit Laurentius Giacominius in illius funebri oratione. *Nullis impensis pepercit, ut ex omnibus fere terrae partibus ſtirpes, vel florum elegantia, vel fructuum suavitate, vel medicis facultatibus praeſtantissimas obtineret: immensis propterea, & undique conquistis naturae muneribus elegantissima viridaria sua mirifice illustravit* (1). Nihil attinet de Ferdinando illius fratre dicere, Nihil enim est praeclarum, nihil Principe dignum, quod ipse non no-

(1) *His adde, quae de eo narravit Augustinus del Riccio in libro, cui titulus dell' Agricoltura tom.* 2. Si dilettava (*inquit ille*) di Giardini e de' Semplicisti. Ognuno faceva a gara a portargli piante rare di fiori e di frutti, sapendo che gli facevano cosa grata ec. Egli molte ne fece venire d'altre Provincie ec. Le prime piante d'aranci della China ec. *Quod ad Pisanum vero viretum per illum auctum ait.* E' nominato quel di Pisa per tutto il mondo sì di bellezza, sì di abbondanza di piante.

Digitized by Google

verit, adamaverit, summoque studio perfecerit. Hic & suo exemplo excitavit Reges ad mittendos homines in remotissimas regiones comparandi caussa rariores minusque notas plantas, quae postquam sua ditarunt ornaruntque viridaria, per Italiam, & per universam Europam propagatae sunt. Ceteros inter usus hac in re est Josepho Benincasa, sive, ut aliis ipsum vocitare libuit, Casabona, origine fortasse Pisano, sed in Belgio nato, quo nemo peritior erat, cuique mandatum dedit novum Pisis & elegantius instruendi Hortum, in quo omnia illa esse debebant, quae recenter in Etruriam ex dissitissimis regionibus importata erant. Locus ei datus est in via, quae S. Mariae dicitur, adjunctaeque illi fuerunt aedes, in quibus Praefecti habitarent, & servarentur ea, quae ad historiam naturalem, in quibus colligendis plures adlaboraverant, pertinebant. Haec ad exitum magna quidem impensa, operaque multa perducta fuere an. 1595., cujus liberalitatis ut extaret memoria, haec in ipsarum aedium fronte posita fuit inscriptio.

FERDINANDUS MEDICES MAGNUS

DUX ETRURIAE III.

UT ADOLESCENTES STUDIOSI PARATUM

HABEANT LOCUM IN QUO FRUTICUM

HERBARUMQUE FACULTATES ET NATURAS

PERNOSCANT HORTOS INSTRUENDOS CURAVIT,

DOMUMQUE SUA PECUNIA EMPTAM ET SCITE

INSTAURATAM ADJUNXIT, PER QUAM EOS

INGREDI CUPIENTIBUS ADITUM PATERE

VOLUIT ANNO SALUTIS CIↃ. IↃ. VC.

Digitized by Google

Eodem illo anno, quo Benincasa Ferdinandi mandata expleverat, naturae cessit, inchoatumque reliquit opus, doctum sane et laboriosum, quo non describebat modo plantas, quibus ornaverat Pisanum Hortum, sed et earum icones exhibebat, usus opera Danielis cujusdam pictoris, quocum patriam communem habebat, quemque hac de caussa in Etruriam accersiverat. Filium praeterea erudierat nomine Franciscum in arte, quam profitebatur, et in qua excellebat, sed hic inter eos, qui operam praestiterunt suam Academiae minime numerandus videtur. Hujus enim monumenta testantur successisse Iosepho in Horti Praefectura Polydorum Matthaeinium de Sancto Mamme (hoc oppidulo nomen) de quo nihil se habere, quod scriberet, dixit Dominicus Vigna (1) vel quia ceteris, quos nominavit, doctrina inferior erat, vel quia ad paucos menses munus suum executus est.

Relictum a Matthaeinio locum an. 1596. occupavit Franciscus Malocchius e Franciscanorum familia Florentiae natus, & a Salvatore Scalandronio optime institutus, de quo mirabilia prorsus idem Vigna praedicavit, non putans existimaturum quempiam se assentatorie loqui, quippe de mortuo. Nullus sane erat, quocum esset libentius Magnus Dux Ferdinandus, in suis sermonibus collocutionibusque multa saepe injicens de botanica, universaque historia naturali, addam etiam de chemia, in quibus Cucullatus ille praestare putabatur. Et has quidem acultates omnes plurimum ille provexit totos illos octodecim annos, quibus Pisis fuit, ubi & ipsius Ferdinandi jussu elaboratorium, ut vocant, chemicum instruxit, tum ad odores, tum ad medicamenta paranda. Nemo ignorat quam facile iis praeteritisque temporibus verba sibi dari patiebantur homines ab iis, qui pharmaca de furno promebant. Postquam vero minus creduli esse coeperunt, & suis circum-

(1) In Praefat. Animadvers. ad libros Theophrasti.

scripta limitibus chemia fuit, deridemus majorum nostrorum levitatem; & queri de Arabis solemus, quod, ut disciplinas plures, sic medicinam ejusmodi sordibus inquinarunt. Quantam vero tribueret fidem Malocchius delirantium chimicorum somniis in medicina facienda, liquet ex libro quodam, qui extat adhuc, in quo plura hujusmodi medicamenta a se, atque ab aliis chemiae subsidio inventa recensuit. Neque minus putabat esse momenta maxima ad aegros sanandos in herbis, quarum augendarum et alendarum in horto suo nunquam curam dimisit. Ea propter varia itinera suscepit, et ex Corsica, quam totam peragravit, ad nos quaedam Botanicorum vulgo incognita, sicuti Scyllam detulit. Quaerabat curiose

Quaeque arcana tenent flumina, terra, mare,

hisque Academiae museum ejus consilio exaedificatum in ipsa Praefecti domo ornabat, cum hoc proprium esse suum munus diceret, ut ita erudirentur discipuli, ut cognoscere judicareque possent quantis divitiis abundaret natura tum ad humanae vitae necessarios usus, tum ad perfruendas voluptates. Pisis obiit Malocchius XIV. Kal. Februarii an. 1614., & quod reliquum illius anni fuit sic praefuit horto Joannes Rocchius, vel Bocchius, qui cum eodem maximis propinquitatis vinculis conjunctus erat, ut non modo plantas descripserit, sed etiam coloribus ad vivum expresserit.

Eodem anno Jacobus Macolus Scotus vocatus ad Academiam fuit cum illius Fratre Joanne. Illi Cosmus II. horti curandi, et medicinae publice tradendae, huic exercendae chemiae onus imposuit. Ili autem cum expectationi, quam sui concitaverant, minime satisfecissent, et negligentiores etiam fuissent in exequendis iis, quae suorum munerum erant, Academia post triennium moti fuerunt (1). Uterque tibi deli-

(1) Parendo a S. A. di non valersi più dell' opera delli Dottori Giovanni et

rare viderentur, si referre vellem portenta et miracula, quae se patraturos spondebant chemiae subsidio tum ad debellandos morbos, tum ad vitam producendam, tum ad parandas divitias. Indicia quaedam hujus levitatis, vel potius stultitiae habes in *Theoria Chimica luis venereae* (sic enim opus inscribitur) quam Joannes Florentiae edidit an. 1616. nuncupavitque Iulio Caballo, qui erat Maguo Duci a cognitionibus. In ea hermeticae medicinae elementa pandere sibi proposuit, quod se debere munus discipulis suis arbitratus est, quibus in Lyceo hora tertia antemeridiana *Praxim Iatro-Chimicam* monstrare aggressus fuerat. Minime profecto affirmare dubitabis, Scotos hos magna mercede auditores suos nihil, vel potius prava sapere docuisse. Nihilo tamen minus cum Joannes in Britanniam a nobis concessisset, famam, honores, atque divitias consecutus est. Ut gratum se praeberet Iacobo Regi hujus nominis primo, cujus erat Archiater, et a quo maximis ornatus fuerat beneficiis, anno 1622. nuncupavit eidem *Iatriam Chymicam, exemplo Therapeiae luis Venereae, illustratam*. Ex hoc quidem patet suis in veteribus sententiis ipsum perseverasse, quas non docte modo, sed etiam stomachose confutat Austrucius (1). Quis enim ferre potest veterum Chimicorum insolentiam? Si ipsi Austrucio credimus, obiit Joannes Londini 1659. Satis de his viris dictum erit, si hoc unum adjunxero, floruisse Iacobum apud suos laude Latinae

---

Iacomo Macolo Scozzesi, ordina al Provveditore dello Studio, che si faccia fare la consegna del Giardino e Galleria, et ne tenga cura fino a novo ordine, e volendo loro servire nella lettura fino a Quaresima prossima, sieno pagati interamente dello stipendio solito fino al detto tempo, che intanto potranno provvedersi.

20 Ottobre 1617.
Camillo Guidi.

De iis mentionem fecit Dempsterus in Etruria Regali Vol. II. p. 256.

(1) De morbis Venereis.

Poesis, & extare quaedam illius carmina de laudibus Mediceorum Principum non omni elegantia carentia in *Deliciis Poetarum Scotorum hujus aevi illustrium*, *quas Ioannes Bleau edidit Amstelodami an.* 1637.

Necesse fuit Vignae et Pancratio Mazzanghio Bargaeo magnitudine laborum sarcire damna, quae Horto attulerat negligentia Macolorum fratrum. Doctus sane et industrius erat Mazzanghius, seque flagrantem studio laudis in spem impulerat Cosmus consequendi praemia liberalissima. Quae gesserat in Praefectura exposuit iis, quibus, extincto Patre, in tutelam traditus fuerat Ferdinandus II., atque ab iisdem aequam laborum mercedem obtinuit. Post id negligentior fuit in exequendis iis, quae sui officii erant, propptereaque an. 1626. loco motus (1). Non defuerunt qui insontem poena affectum fuisse affirmarent. Demum Florentiae medicinam faciens, ut vitam sustentaret, XIII. Kal. Novembris 1628. naturae cessit. Atque haec satis ad Horti nostri historiam, de qua integrum scripsit volumen Joannes Calvius, vir sane diligentissimus, et in medicina facienda satis doctus, sed elegantiae omnis expers.

(1) *Hujus rei monumentum extat* in Filza di Negozj dal 1555. al 1655. pag. 558. *Ibi quoque extat rescriptum, quo ad Praefecturam an. 1617. vocatus fuit Mazzanghius, postquam per duodecim annos medicinam fecerat in Etruscis triremibus.*

CAPUT V.

De Anatomes cathedra a Cosmo I. instituta, deque ejus Professoribus.

NAturalis philosophiae pars, quae viventis humani corporis organa, insitamque iis movendi se facultatem contemplatur, & Graeco vocabulo dicitur anthropologia, ad noscendos praecipue morbos, qui manu curantur, serius omnino, quam par erat, in publicis Gymnasiis excoli coepit, quanquam illius vestigia in vetustissimis, quae supersunt, rerum humanarum monumentis facile esset invenire. Chaldaei quidem, Persae, Poeni, soliti, ut ait Ennius, mactare superis liberos suos, Etrusci, ac praesertim Aegyptii non ignari hujus artis fuisse videntur, & Graeci, qui penitioris cujusdam medicinae dogmata ab Aegypto arcessivere, felicius etiam eamdem excoluerunt. Homerus vulnera lethalia graphice describit, tendinumque insertiones indicat, immo & ligamentum vidisse crediderim, quo hepar septo transverso nectitur, & reconditos ischiorum sinus rotundos; quibus femorum capita arctantur atque moventur. Maiora etiam fortasse in Empedoclis carminibus invenirenius, si ea ad nos usque pervenissent, ut e paucis fragmentis, quae supersunt, conjicere possumus, in quibus & subobscure sanguinis circuitus indicatur. Cui vero nota non est medicorum Italica schola, quae Crotone erat, & peritia Crotoniatis Alcmaeonis in secandis animalibus, & studium Pythagoreorum omnium in anatome, & Platonis Italicum iter, ut a Timaeo disceret, quae ad mundi & humani corporis fabricam pertinent, atque illius discipuli Aristotelis industria in

scrutanda animalium natura? Quis ignorat Erasistrati & Herophili sedulitatem in humanis cadaveribus secandis, quorum licet exempla multi indigna dixerint, & vetita etiam fuerint a rerum publicarum rectoribus, sic ut vix unum, aut alterum vel hostis in bello caesi, vel mortui infantis expositi cadaver festinanter, et meticulose etiam dissectum inveniamus, non ideo tamen ignavos fuisse putandum est in perquirenda hominis natura clarissimos illos medicos, qui deinceps vel in Graecia, vel in urbe Roma Graecorum aemula floruerunt, ut ex hac cognitione subsidia arti, quam profitebantur, minime comparaverint. Cujus quidem cognitionis studio aequales omnes suos vicit Galenus, qui licet hominem nunquam secuisse videatur, ita tamen diligenter superiorum libros excussit, & quae casus obtulit vel mortuorum ossa, vel vivorum vulnera contemplatus est, et animantium tam frequentes & privatim & publice sectiones administravit, ut posteris spem pene omnem per multa saecula aliquid arti difficillimae adjicendi praeripuerit. Opinio, quam de se excitavit, malum sane gravissimum peperit, quod in eius unius scriptis volutandis salus & vita hominum, & medicinae dignitas consistere putaretur. Cum autem res Asiae et Europae ab Australibus illic, a Borealibus hic barbaris funditus eversae fuissent, & Gymnasia omnia conticuissent, & Arabes ad se se transtulisse gloriarentur Graecorum sapientiam, hi dialecticorum tricis impliciti, & nugacibus quibusdam religionibus impediti humani corporis scientiam, cujus tamen praestantiam noverunt, colere & assequi minime potuere. Redditis demum Italiae post longam plurium saeculorum noctem suis Gymnasiis, maximae his curae fuit de disciplinis omnibus medico necessariis, quas etsi non ex purissimis Graecis fontibus, sed ex Arabicis rivulis hauserint lutulentas, grande tamen facinus primi mortalium majores nostri aggressi sunt, corpora scilicet morte damnatorum hominum publice secandi, & omnium oculis exhibendi. Cujus quidem exempli gloria celebrandi sunt Bononienses, apud quos primus Italorum omnium Mundinus anatomicum opus, humanis inspectis cadaveribus, conscripsit. Sed haec incunabula fuere renovatae anatomes,

quae

quae levare caput coepit, postquam ducentos fere post annos invaluit optima consuetudo corpora quaecunque hominum haberi poterant, vel etiam morbo defunctorum incidendi, sublato e medio metu injuriae faciendae iis, qui jam cives esse desierant, violandaeque religionis, quae duae res antiquis ad cognitionem impedimento maxime fuerant.

Diximus jam superiori in volumine vix anatomes vestigia apparuisse in nostra Academia, quamvis in ea nonnulli fuerint, qui chirurgiam profiterentur. Necessitatem illius colendae novit Cosmus (1) & favit illi fortuna quod Columbum & Faloppium ad se allicere potuerit, qui tum in Italia Anatomicorum principes numerabantur. Ille prior Cremonae natus, Mediolani autem institutus in humanioribus litteris, & in philosophia, Patavii vero sub Vesalio in rebus chirurgicis & a-

(1) *Decrevit itaque in Capite L. Statutorum*. Perutilis et neceſſaria inſpectio eſt eorum, quae in humano corpore clauduntur his, qui perfectam medendi artem adipiſci volunt. Quis enim languoribus, & morbis hominum interioribus, a viſuque humano penitus semotis, aptum, aut perfectum scierit adhibere remedium? Totius igitur humani generis saluti prospicientes, statuimus quod Rector, singulis annis, tempore hyemali, cum illi commodius videbitur, teneatur providere quam accuratissime poterit, ut habeantur duo cadavera, de quibus Anatomia fieri possis, unum maris, alterum feminae, si commode haberi potuerint, sin minus saltem unum. Ut autem hoc facilius fieri possit, ordinamus, quod D. Commissarius Pisarum teneatur assignare Rectori dicta cadavera aliquorum Delinquentium, de quibus supplicium sumendum sis, ad omnem ejus requisitionem. Si vero sub tempus Anatomiae Pisis nullus occurrat talis Deliquens, tunc Rector scribat Florentiam ad Dominos Octo Custodiae, & Baliae ad hoc, ut commode dicta cadavera habeantur. Declarantes quod Anatomia fieri non possit de corpore alicujus Civis Florentini, vel Pisani, aut alicujus Doctoris;

natomicis, ex hac urbe, ubi Magistri in Hispaniam profecti locum obtinuerat, ad nos venit exeunte an. 1545. Assignatum illi stipendium fuit DC. centussium, ea conditione, ut quando scholae reliquae cessabant, anatomen, reliquis vero diebus chirurgiam doceret. Magnum sane nomen illius fuit, & quod ab Academia discessit, postquam illi per triennium operam suam navaverat, suum incommodum detrimentumque ipsa dolere debuit. Theatrum quidem nobilius idem habuit in urbe Roma, cum anatomen doceret in Archigymnasio, & vel Chirurgus, vel Medicus adhiberetur in nobiliorum curationibus. Non erat enim aut mediocre, aut obscurum eumdem multum se exercuisse in secandis hominum cadaveribus (quatuordecim usque se intra unius anni spatium secuisse glorians affirmat, quod iis temporibus non rarum modo, sed & singulare putabatur) & in incidendis vivis animalibus, a quibus exercitationibus plurimum adjuvari medicina judicabatur. Et

---

vel Scholaris, nisi proximiores eorum ad id conſenſerint. Ne autem in dicta Anatomia aliquis excitetur tumultus, & ut omnia ordinate procedant, Statuimus, quod per Rectorem & Consiliarios eligantur duo Scholares idonei, qui ſtuduerint in aliquo Generali Studio in Artibus, & Medicina, ſaltem per quadriennium, & si possibile sit, qui viderint alias anatomias. Vocentur isti Anatomiſtae, quorum ſit officium praeesse dictae Anatomiae, & providere omnibus neceſſariis, ac etiam taxare cum Rectore, & Consiliariis secundum quantitatem expenſarum, quantum unusquisque videre volens, ſolvere debeat. Nullus autem ad eam videndam admitti poſſit, niſi Scholaris ſit matriculatus, aut Doctor alicujus ex noſtris Collegiis. Rector vero, ac omnes Doctores de Collegio Medicorum, quatuorque Scholares pauperes per ipſum Rectorem, & Conſiliarios eligendi, ſine ulla solutione, ad eorum libitum Anatomiam videre poſſint. Reliqui omnes, qui eam videre voluerint, solvant, semel tantum, id quod, ut supra diximus, taxatum fuit: servetur autem ordo incidendi cadavera, & legendi Anatomiam, prout Rectori, & Doctoribus Collegii Medicorum, ac etiam quinque Conſiliariis Artiſtis opportunum, & commodum videbitur.

videre quidem licet in ejus libris *de re anatomica* (sic enim opus inscribitur, quod vulgavit an. 1559. & Summo Pontifici Paullo IV. nuncupavit) ad morbos praesertim curandos illum retulisse animadversa a se se in cadaveribus, sive venarum & viscerum varietates, sive sanginis per pulmones circuitum, & ejus per arteriam venosam cum aere ad sinistrum ventriculum transitum, verius quidem & accuratius, quam ceteri ante eum omnes, sive ossa, cartilagines, ligamenta, jecur, venas, cor ejusque arterias, cerebrum & nervos, glandulas, velamenta corporis & cetera hujusmodi inquireret & explicaret. Haec ferme sunt XV. librorum, in quos opus tribuitur, argumenta, quodque bis illud Parisiis decem annorum spatio, postquam Venetiis primum ediderat, typis impressum fuit, sibi non solum praeconium tributum, sed etiam grave testimonium impertitum esse dicebat Auctor de sua praestanti in rebus medicis & anatomicis doctrina. Non enim modum habebat in cupiditate gloriae, a qua abreptus non modo Galenum aliosque anatomicos, sed quod mireris praeceptorem ipsum suum Vesalium, cui majora, quam sibi tribuere & concedere necesse erat, saepius momordit. Quare minime mirandum est si multos habuerit invidos & obtrectatores, e quibus Jo. Baptista Carcanus, qui fuit e Faloppii discipulis unus, prorsus removere & dejicere eum de gloriae possessione conatus est. Negavit omnino nervos penis, quamvis crassos, ut & arterias illius a Columbo potuisse inveniri, qui ex illius sententia rudis adeo erat, ut aliena opera in scribendo indigeret, quod temere atque injuriose dictum arbitramur. Nam ut ait Hallerius: *multa utiliter vidit, cor conſtringi quando arteriae dilatantur, & vicissim; cerebri motum cum cordis motu incidere, & perinde cerebrum alterne dilatari, & constringi, & hoc ante nuperos: aqueum humorem in vivi animalis pericardio esse confirmavit; pulmones inflatos cor amplecti: & pulsum altius exurgere .... ventriculi sinistri sanguinem calidissimum esse*. (1) Hallerius ipse non diffitetur illum in errores multos lapsum fuis-

(1) Bibliothec. Anatom. Tom. I. p. 214

ro, in quorum nonnullis notandis se se probavit omnibus Morgagnius Anatomicorum hujus saeculi facile princeps. Si Arisio, qui de viris illustribus Cremonensibus opus exaravit, fidem habemus, obiit ille mense Quintili an. 1577. incertum vero an Romae, vel alibi, quod nullum, quod extet, monumentum eidem positum fuerit. Romae quidem in Templo Deiparae sacro in ipso portae Flaminiae ingressu extat sepulcrale marmor, quod Lazarus Columbus Realdi filius, chirurgus & ipse, posuit amantissimae conjugi, in quo de patre honorificam mentionem fecit (1).

Desiderium sui, quod Columbus ab Academia discedens reliquit, cumulatissime explevit Gabriel Faloppius, qui ipsum profecto superabat anatomica doctrina a se multis inventis aucta. Is omnium primus auris labyrinthum perlustravit, novaque luce auditus organa sparsit, indicans aperte & candide quod suum esset, quidque ceterorum (2); primus ossa foetuum contemplatus est, neque de ossibus modo, sed

---

(1) *Vide hunc titulum in extremo libro, qui inscribitur*: Cremonenſium monumenta Romae extantia collegit atque illuſtravit F. Thomas Auguſtinus Vairani; Romae 1778.

(2) *Ut unam alteramque rem exempli gratia ponamus, cum de stapede dissereret ait*: poſtquam audiviſſem, tertium quoque officulum quoddam repertum, ego etiam illud mox inveni, hocque tam exiguum esse conſpiciens, obſervatoris Ingraſſii Siculi praeſtantiſſimi medici operam laudavi, comparationemque cum ſtapede apud Neapolitanos equites factam jucunde recepi. *Idem cum de musculo quodam manus motore verba faceret* (obſervat. anatomic. p. 74) *ait*; Hoc equidem meum inventum non eſt, sed Jo. Baptiſtae Canani Ferrarienſis Medici . . . qui mihi communicavit, egoque poſtea Piſis, atque hic Patavii ita publice propalavi, ut ad omnium aures facillime pervenire potuerit. *Atque haec attulisse sufficiat (innumera enim proferre possem) ad probandum neminem Faloppio aequiorem fuisse in suo cuique tribuendo; & poterat facile, cum suis inventis ditissimus esset.*

& de vasis, deque cartilaginibus, quae induratae cum osse coalescunt, praeclara & prorsus nova disseruit; articulationum novam quoque protulit tabulam trochoidem ginglymum addens; ita oculorum musculos ac praesertim obliquos descripsit, ut vix pauca a ceteris addi mutarive potuerint; de universa musculorum doctrina ita meritus est, ut invenerit bene multos, occipitales nempe, auriculae tres, levatorem palpebrae superioris, pterygoideum externum, geniohyoideum, trachelomastoideum, rectum lateralem capitis, cervicalem descendentem, musculos veli palatini, & pharyngis plerosque, &, ut de ceteris sileam, pyramidalem abdominis, Vesalio tamen non prorsus incognitum. Dertium caveam, arterias venasque, & nervos rectius, quam ceteri, perfecit. Venas sinusque medullae spinalis invenit; uteri tubas, ab ejus nomine Faloppianas dictas, detexit, & bene multa, quae ad generationem pertinent, sagacissime indicavit. Ventriculi structuram, & ea praesertim, quae ad fibrarum carnearum ordinem spectant, recte adeo atque aperte exposuit, ut hanc ei praeripere laudem, teste Morgagnio, frustra Willisius adlaboraverit: prorsus ita erat natura comparatus (nam sibi ipsi dux fuit in anatomicis studiis) ut magnum incrementum adderet ei, quam porfitebatur, disciplinae. *Candidus vir*, inquit Hallerius, *in anatome indefessus, magnus inventor, in neminem iniquus, nisi forte in Eustachium, & .... in Vesalium, cujus viri potissimum menda correxit, summa reverentia*. Natus is est Mutinae circiter annum 1523, patre spurio, qui posteaquam aurificis artem exercuerat, militiae nomen dedit, & in summa egestate decessit. Non defuit tamen Gabrieli amicorum & propinquorum liberalitas, quod summa esset in puero spes, summa ingenii indoles, summaque virtus. Condiscipulum habuit in humanioribus litteris Carolum Sigonium, & multum jam per se profecerat in anatome & botanice, cum Ferrariam venit ad audiendum Antonium Musam Brasavolam. Jam tum dignus habitus est, qui magistri personam gereret. Sed non ultra annum in illius urbis Lyceo anatomen exercuit, cum autumno an. 1548. Pisas vocatus fuisset. Quod in omnibus rebus singulari erat prudentia

atque industria, magni opera ejus aestimata fuit sive e superiori loco doceret, sive medicus & chirurgus ad aegrotos accederet, sive consilia amicis & studiosis daret. Multos etiam liberalitate sua sibi devinxerat, quare fiebat, ut omnium oculi in illum essent conjecti. Neque audiendos illos puto, qui illum accusant, quod dum Pisis fuit, morte damnatum opio occiderit, venia a Cosmo impetrata, ad illius secandum cadaver. Aliquid sane hujusmodi extat in illius operibus, sed nemo ignorat multa in illa addita fuisse prorsus Faloppio indigna ab illius discipulis, qui ea post mortem ipsius vulgarunt, neque omnia scripto mandata, sed multa ex ore docentis excepta. Quae spectant ad ossa luxata & fracta, atque ad ulcera, magna ex parte in hoc ipso Lyceo explicavit, nec dubitamus hoc in illius laudibus ponere, quod exponens librum Hippocratis de vulneribus capitis fassus est *se fuisse caussam mortis centum hominum*, quod ad liberandum cerebrum a sanie vulneratam calvariam omnino non aperuisset. Non enim facile invenisses illo candidiorem, cupidioremque veritatis patefaciendae, quin ex hoc ceteri aliquid offensionis essent habituri; & quia verebatur ne confutans saepe Vesalium ejus laudis invidus videretur, nunquam sententiam suam dixit, quin omnem culpam in necessitatem transferret. Ex optimis naturae principiis & experientiae exemplis hauserat ille medendi artem, qua tantum profuit hominibus, ut tanquam alter Aesculapius, & Hippocrates divino munere iis ad minuendas, ac levandas vitae molestias cencessus esse judicaretur. Sane infinitus essem si omnia illius praeconia colligere vellem (1) & si tibi videbitur, dum anatomica tractabat, non minima quaeque inquisivisse, memineris, quaeso, ut ait Morgagnius (2) non paucas illum & minutas spicas, sed uberrimam quamdam & beatam messem habuisse, in qua colligenda minus,

---

(1) *Vide horum multa apud Tiraboschium*; Biblioteca Modanese Tom. II.
(2) Epist. Anatomica XI. 9.

Digitized by Google

quam nos, esse anxium, atque adeo interdum etiam, si vis, negligentem, neque ita dedecebat, & in parte necesse erat. Toto illo triennio, quo Pisis fuit, minime patriam cogitavit, utque liberius studiis vacaret, cum fuisset antea in Mutinensium Canonicorum collegium cooptatus, hoc se liberavit onere. Cumque peragrasset omnes Etruriae provincias, eique vicinas terras, gaudebat se multa vidisse & collegisse, quae ad historiam naturalem pertinebant, cujus mirifice erat studiosus. Chemiam praeterea excoluit, nec juvat referre quid quaererent homines in illis hujus disciplinae tenebris caecisque nubibus, ne nugis videar addere pondus. Ipse ex Pisano ad Patavinum Lyceum transiit, in quo tenuit eum cursum, quem a prima aetate susceperat, proficiendi semper aliquid in contemplatione naturae. Hac ipsa de caussa fecit itinera tum in Galliam, tum in Graeciam, Romam etiam venit medicinam allaturus Summi Pontificis Iulii III. Fratri, & cum continuis frangeretur laboribus, valetudinem amisit, quam nec intermissis exercitationibus, nec continentia summa in victu recuperare potuit (1). Nihilo tamen minus cum ipso actum vehementissime est, ut lumen ingenii sui ostenderet quoque Bononiensi Lyceo, & propensior esse videbatur ad conditiones sane liberalissimas accipiendas. Sed obstitit mors, quam Patavii obivit IV. Id. Octobris an. 1562. laudatusque publice fuit a Ioanne Zamoschio, qui fuit ex ejus discipulis unus in Polonia natus. Quid non sperari potuisset a tanto viro, qui decessit in flore

---

(1) *Sic scribebat ad Ulyssem Aldrovandium.* Specchiatevi in me, il quale era tutto fuoco, e dalla fatica sono ridotto a mal termine in guisa, che se voglio ſtar sano mi conviene mangiare una volta sola il giorno, e non esser huomo quasi, e con ſtento ancor mi mantengo. Voi vi rovinerete, e invece di lode, che dica voi esservi rovinato per giovare ad altri, udirete chi dirà, che l'ambizione, e il voler moſtrare di saper troppo v' ha scannato. Io odo il simile di me. *Datae sunt litterae Sextili mense an. 1557.*

aetatis, si vita illi diuturnior data fuisset? Quodque brevem transegerit non modo in litteris, sed & in virtute colenda, per eas claram & stabilem sibi inter mortales comparans gloriam, huic ne dubitabimus in caelo locum datum esse, ubi beatus sempiterno aevo fruatur (1)?

---

(1) *Satis de Faloppio dixisse videbor, si operum ejus indicem adjunxero.*

Observationes Anatomicae; Venetiis apud Marc. Ant. Ulmum 1562. in 8. *Unicum hoc est opus Faloppii, quod, ipso vivente, typis impressum fuerit.*

De morbo Gallico Tractatus: Patavii ap. Lucam Bertellum 1563. in 4. & anno poſt Venetiis in 8.

Libelli duo, alter de ulceribus, alter de tumoribus praeter naturam; Venetiis apud Donatum Bertellium 1563. in 4. & iterum Venetiis 1566. & alibi quoque.

De thermalibus aquis lib. VII. de metallis & fossilibus lib. II. nunc primum editi per Andream Marcolinum Faneſtrem; Venetiis ap. Ludovicum Avanlum 1564. in 4.

De Simplicibus Medicamentis Purgantibus Tractatus ab eodem Marcolino editus; Venetiis apud Jordanum Zilettum 1566. in 4.

Expoſitio in librum Galeni de ossibus cum observationibus Anatomicis Francisci Michini; Venetiis ap. Simonem Galignanum 1570. in 4.

De compoſitione medicamentorum, cui accesserunt tabulae de cauteriis; Venetiis apud Maiettos 1570. in 4.

De parte Medicinae, quae Chirurgia nuncupatur; Venet. apud Maiettos 1570. in 4. *In Italicam linguam opus conversum semel, iterum ac saepe Venetis typis impressum fuit.*

Lectiones de partibus similaribus humani corporis ex diversis exemplaribus a Volchero Coitero collectae: Norimbergae apud Geriachium 1575. in fol.

Humani corporis Anatomes Compendium. Patavii 1577. in 8.

Observationes de Venis: Venet. 1570. in 8.

De Arcanis; Auguſtae Vindelicorum 1570. in 8., *& quater usque Venetiis idem opus in Latinum conversum impressum fuit. Non desunt argumenta ad probandum falso Faloppio tributum fuisse.*

Opuscula cum Gulielmi Rondeletii Tractatu de fucis, & arcanorum libro Petri Angeli Agathi opera atque diligentia edita Patavii apud Lucam Bertellum 1566, *& iterum 1596.* in fol.

Utinam plures Faloppii similes haberemus, in quibus commemorandis nostra exultaret oratio. Sed quamvis multi fuerint in hac ipsa Anatomes, & Chirurgiae cathedra, qui nullum munus Academiae afferre majus meliusve posse putaverint, quam si diligenter docerent, atque erudirent juventutem, nulli tamen eorum ad gloriam Faloppii pervenerunt. Juvat nihilo minus singulos recensere.

Angelia familia, si qua unquam alia doctis hominibus clara, hisce temporibus sedem habebat Bargae, quod oppidum in Etruria positum a Luca urbe centum sexaginta ferme stadiis abest. Ex hac familia ortus est Michael Angelus, qui a Jacobo patre justo & bono viro, ut natura magis quam disciplina consultus esse videretur, Bononiam missus in illius urbis Academia medicis studiis praesertim operam dedit. Haec ipsa in Academia Pisana vel ab illius instauratione professus est magna sane doctrinae fama, quare minime est mirandum, si qui ab ea dari poterant honores, omnes gradatim assecutus est. Nam *Superordinarii* usque *Professoris* titulo, qui meritissimis concedebatur, decoratus est. Quod ad Anatomen spectat, de qua hoc

---

Opuscula tria, quorum primum eſt de vulneribus; II. complectitur explicationem in lib. Hippocratis de vulneribus capitis: III. continet tractatum de vulneribus oculorum aliarumque partium capitis; Venet. apud Maiettum 1569. in 4.

Omnia, quae adhuc extant opera in unum congeſta; Venet. ap. Fel. Valgrisium 1584. in fol.

Opera omnia in unum congeſta multo accuratius nunc denuo edita; Francfurti 1600. in fol.

Opera genuina omnia tam practica quam theorica in tres tomos distributa. Venetiis ap. Jo. Ant. & Jacob. de Franciscis Vol. III. in fol.
Haec editio ceteras omnes vincit.

Otto lettere a M. Ulisse Aldovrandi. *Extant in hujus vita a Fantuzzio Comite edita.*

loco dicere nobis proposuimus, hanc ipsam facultatem exercuit ab an. MDLII. ad totum usque annum MDLV., cum eodem tempore chirurgica e superiori loco doceret Lucas Antonius Bomicellius. Utrumque munus postea sustinuit Antonius Ponzanellius Sergianensis, nec dubitare possumus, quin iis dignus haberetur, cum mirabiliter a Faloppio laudatus fuerit. Sed ut ad Angelium revertamur, is ab Academia saepe abesse coactus fuit, operam dans egregiam dominae Mediceorum domui. Nam comitatus est in itinere, quod an. MDLXXII. in Hispaniam habuit, Franciscum Principem, ut illius valetudini consuleret, quod officium tribuit quoque Cosmo Aulae archiater dictus. Praeter Petrum (de cujus hominis singulari, ac prope divina vi ingenii suo loco dicemus) fratrem habuit Antonium, quo usus est Cosmus ad instituendos in humanioribus litteris Franciscum & Ferdinandum liberos, quemque postea evehit ad Populoniae Pontificatum. Dubitari enim poterat utrum melior esset, an doctior. Sane minime verebatur Michael Angelus, quia complures suorum Cosmo commendabat, ne exaequare videretur ambitione quadam commendationes suas. Studium enim Principis singulare in se noverat, neque erat obscurum, tot in una Angelia familia esse praestantes viros, ut ex ipsius Sapientiae stirpe generati viderentur (1). Quos, aliosque cum beneficiis & honoribus ornabat Cosmus, ajebat se exempla majorum suorum sequi, qui nil tam conducere putarunt ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem, quam praemia, quae Sapientibus viris persolvuntur. Diem supremum obiit Michael Angelus Florentiae binis relictis

(1) *Jo. Baptista Strozzius in oratione, quam habuit de laudibus Ferdinandi I. inquit de Angeliis*. Ebbe ne primi anni sì generosa pianta a sua custodia un Angelio, uno dei sette che Barga ammirabili tutti in un istesso tempo produsse . . . . E noi se volessimo oratoriamente l' eccellenza dei Toscani ingegni celebrare, non potremmo recarne per testimonianza chiarissima, che di Barga sola sette sì grandi splendori ne uscirono?

Digitized by Google

liberis Chriſtophoro & Horatio, quorum honori conſuluit, cum aſſignaſſet partem bonorum ſuorum ad inſtituendam in Stephaniano Ordine, ut loquuntur, *Commendam*. Ceteri, qui conſecuti ſunt Anatomici Antonius Venturinius Sergianenſis (1) qui obiit aeſtate an. 1585. prodieratque e ſchola Ponzanellii, & qui hunc excepit Joannes Ruſchius, quanquam ſatisfecerint diſcipulis, vix tamen ad poſteritatis memoriam eorum nomina pervenere. Quotquot ferme exercuerunt hoc munus vel ſeparatim vel conjunctim Chirurgica docuerunt, & ſolus docuit Venturinius alter nomine Ventura, patria vero Tendulenſis (2), & Ruſchius ipſe ab anno 1576. uſque ad illud tempus, quo Antonio Venturinio ſucceſſit. Tum utrumque munus ſuſtinuit, in iiſque cum diu & multum ſe praeclare exercuiſſet, gratiam non modo ab Academiae Praefectis iniit, ſed etiam a Piſanis, a quibus civitate donatus fuit. Sic inter nobiles Piſanas familias Ruſchia, quae Novocomo orinnda erat, ibique antiquitate generis & gloria majorum floruerat (3), numerari coepit. Joannes ipſe Dominici filius an. [illegible]. Adſcriptus eſt iis civicis muneribus, quae prima & nobiliſſima putantur, atque Deos patrios ac penates nonniſi Piſis ſe ſe habiturum palam dictitabat. Quod & fecit. Fratrem habebat nomine Petrum, chirurgum & ipſum, qui operam ſuam Academiae locavit. Cum ſaepe referrent ad Principem Praefecti de praeſtanti doctrina Joannis, auctum illius ſtipendium ad CDX.

(1) *Nobilis fuit Sergiani Venturiniorum familia. Sed cum peſtis abſumpſiſſet omnes eos, qui Antonio propinquiores erant, is ſedem ſuam Piſis collocavit.*

(2) *Suum praedicant Sergianenſes, & Joſephi clari medici filium dicunt. Valde hominem dilexit Faloppius.*

(3) *Extat liber, qui inſcribitur:* Il Rusco, ovvero dell'Hiſtoria della famiglia Ruſca libri III. in Venezia & in Torino 1677.

usque centusses fuit, ac jussus medicinae quoque practicae cathedram regere. Neque multo post III. Kal. Septembris an. 1616. vitam cum morte commutavit.

Tum commissum Petro illius fratri fuit, ut cum Chirurgia Anatomen quoque doceret usque eo dum illustris anatomicus inveniretur, qui primum hujus cathedrae locum occuparet. Et occupasse videtur an. 1619. Fabritius Bartolettus Prato oriundus, patria vero Bononiensis, cujus magnum tum erat nomen. Hoc in tempore ille vulgavit Bononiae libellum, qui inscribitur: ***Anatomica humani Microcosmi descriptio per theses disposita in clarissimo Amphitheatro Pisano proposita*** (1).

---

(1) *De eo haec memoriae mandavit Hieronymus a Sommajà*. Fabrizio Bartoletti originario di Prato, medica e legge in Bologna, & in chirurgia è stimato moltissimo. Ha circa 12. anni, & è senza moglie. Dice aver pronte per stampare le infrascritte opere, & alcune sotto il torchio. 1. *Syntagma Sydirion, sive Punctus ferreus, quo curantur omnes Herniae, opus a nemine excogitatum*. 2. *Quaestiones & Lectiones Anatomicae populares, cum Figuris a nemine hactenus excogitatis*. 3. *De formatione & extractione foetus cum figuris*. 4. *Encyclopaedia continens partes medicinae integrantes* 5. *De compositione medicamentorum secundum Dogmaticos, & Chymicos*. 6. *Defensio Galeni de structura musculi adversus Aquapendentem*. 7. *Chirurgia major & minor cum figuris noviter elaboratis*. Dice essere stato domandato a Padova per Anatomico e Cerusico, ma per 500. fiorini l' anno non essersi satisfatto. Non ha mai fatto anatomia publica, ma molte private. *Extat quidem opus illius, quod utilissimum judicatum est, quodque inscribitur*: methodus in Dyspnoeam, seu de Respirationibus libri IV. cum Synopsibus, quibus quintus pro Colophone accessit, de curationibus ex Dogmaticorum & Hermeticorum penu depromptis. Opus rarum, practicantibus admodum necessarium A. 1628. publicis lectionibus explicatum a Fabritio Bartoletto Bonon. Philosopho & Medico, Philosophiae & Anatomes in Mantuana Academia Primario Professore; Bononiae an. 1633.

Digitized by Google

Non diu apud nos fuit, cum in albo Doctorum an. 1620. Anatomes & Chirurgiae cathedram iterum concreditam fuisse inveniam Petro Ruschio. Mansit in ea ad annum usque 1625. cum stipendio CC. centussium, quo ipso anno VII. Kal. Quintilis diem extremum obiit. Et haec de anatomicis, qui ante Ferdinandum II. operam suam Academiae navarunt, dixisse sufficiat.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De cathedris Juris Criminalis & Feudorum a Cosmo I. institutis, deque harum facultatum Magistris.

UT nihil deesset Academiae nostrae, quod scitu dignum esset, Cosmus magisteria in eam intulit tum Criminalis juris, tum Feudorum. Et hoc quidem bene habuit, cum in ceteris quoque illustrioribus Italicis Academiis essent homines doctrina praestantes, qui in iis occuparentur. Illud prius commisit Uberto Jacobi Vannii de Appiano Pisani filio, qui in illo permansit ad an. usque 1581. cum non mediocris esset de illius doctrina opinio. Successit huic Livius Stataciuius Collensis, quo post sexennium defuncto, Criminalis juris cathedra vacua doctore fuit ad annum usque 1604. Hoc tempore suffectus Livio est Lucas Thomasinius Cuprae Montanae civis, quam urbem *Ripatransone* Itali dicunt. Hunc vero secutus est an. 1607. Hieronymus Tantuccius Senensis, cui quinquennio post successit Georgius de Mattos Pinellius Lusitanus. Hunc autem excepit Jacobus Vannellius Carariensis, & ex stipendiis, quae iis omnibus pendebantur, conjici posse videtur (non enim erant liberalia) minime fuisse ipsos apud nos honoratissimos. Ea prima cura erat ut interpretarentur Romanas leges, quae ad crimina, criminumque reos pertinent, & quadriennii spatio munus suum explebant. Alias juris, legumque Criminalium partes si quis cognoscere voluisset, privata schola utebatur, quae semper apud nos in omnium disciplinarum genere gratuita fuit. Multa quidem sunt praeclara in Romanorum jure, quae spectant ad accusationem, defensionem

& vindicationem, ex quibus ratio constat hujusmodi judiciorum, alia autem absurda, & alia demum magis ad tempus, quam ad naturam accommodata, & haec omnia arcte tenebant, accurateque defendebant veteres magistri, quibus nihil melius fieri posse videbatur Romanis legibus vel in persequendis criminibus, vel in suo cuique tribuendo. Praeter quam quod, dum illi placere volebant imperiorum rectoribus, qui magni suorum interesse putabant severitatem animadversionis adhiberi, eorum voluntati non modo opiniones suas, sed interdum etiam mendacia accommodabant. Obtigit tandem Etruriae singulari Dei munere Princeps, qui novum, ut ita dicam, condidit Criminale jus, in quo sibi proposuit omnia ad facilitatem, aequitatem, naturamque hominum referre. Huic plausus multiplex datus est, & qui eum extulere, philosophiam se extollere judicarunt (1). Ajebat ipse in moribus Etruscorum omnia plena clemen-

---

(1) *De Petri Leopoldi Magni Ducis, ut vocatur, Codice Criminali multis verbis dictum est in Volumine LXV. Ephemeridum Litteratorum. Ille vero noster amicus Aloysius Lanzius hanc de ejusdem laudibus ob hujusmodi perpetratum opus fecit inscriptionem*

PETRO. LEOPOLDO. AUGUSTI. FRATRI. AUSTR. M. D. E.
QUOD. STUDIO. ANNORUM. VIGINTI.
REPUBLICA. INSTITUTIS. SALUBERRIMIS. ORDINATA.
CIVIUM. CRIMINA. PRAECAVENDO. MAGIS. QUAM. VINDICANDO SUSTULERIT.
EAQUE. RE. SEVERITATEM. VETERUM. LEGUM.
AD. INNOCENTIAM. HUMANITATEMQUE. SUI. TEMPORIS. ADTEMPERAVERIT.
TORMENTA. QUAESTIONUM. PUBLICATIONEM. BONORUM. SUPPLICIUM. CAPITIS;
ACTIONEM. DE. MAJESTATE. AB. JUDICIIS. AMOVERIT.
ETRURIA.
PARENTI. OPTIMO. PRINCIPI. INDULGENTISSIMO.
QUI. PRIMUS. EX. OMNI. MEMORIA. DOCUIT.
MELIUS. ANIMORUM. CULTU. QUAM. TERRORE. JUDICIORUM.
CIVITATES. IN. OFFICIO. CONTINERI.

Digitized by Google

tiae, mansuetudinis, humanitatisque esse debere. Sed experientia fortasse docuit ita probandam esse mansuetudinem atque clementiam, ut adhibeatur etiam Reipublicae caussa animadversionis severitas.

Feudorum, ut loquuntur, cathedra an. 1560. primum concredita fuit Hieronymo Papponio Jo. Baptistae nobilis Pisani Filio, qui decennio ante coeperat Caesareas institutiones explicare. Neque hoc onere levatus fuit, cum diebus festis tantummodo suas de Feudis acroases haberet. Decennio & amplius post, cum in numerum Ordinariorum Professorum juris civilis relatus fuisset, ejus locum occupavit Camillus Venerosius ipse quoque Pisis ortus, cui ad explicandum jus Pontificium vocato an. 1575. successit ejus civis & affinis Jo. Baptista Guarnierius. Post annum 1587. non siluit modo ipse, sed & schola Feudorum, quae viginti post annos iterum coepit esse in honore, illam regente Hieronymo Tantuccio Senensi, cui commissa quoque fuit legum criminalium explicatio. Pinellius ille Lusitanus, de quo supra mentionem fecimus, an. 1610. utrique etiam satisfecit cathedrae, atque demum an. 1614. cum vocatus fuisset ad Academiam nostram Antonius Merenda Foroliviensis, omnes, de quibus dixi, doctrinae fama superasse videtur. Anno denique 1619. decretum est, ne in illius locum alius substitueretur, fortasse quia ex petitoribus nullus erat, qui sui expectationem commovisset. Vereor equidem ne insulsus videar, quod leviter nimis tetigerim eos, qui operam suam Academiae navarunt in regendis cathedris, ad quas opus est ingenio praestanti, & eruditione perfecta. Imperantium saue vitiis atque erroribus multa irrepserunt in criminale jus non solum dura, sed & prorsus inhumana, quae detegi maxime interesse reipublicae facile omnes judicabant. Sed qui hoc suscipit, perpolitus humanitate, & optime philosophia institutus sit oportet, quam non facile in instrumento ac supellectili Jurisconsultorum hujusce aetatis invenies. Sit etiam libero solutoque animo ad monendos Principes, ne in persequendis criminibus avaritiae praedam, sed instrumentum bonitati quaerant. Quod Papponius quodam in scripto, quod ad nos usque perve-

nit

Digitized by Google

nit (1) glorietur se a jure civili, se ab historia, se a philosophia, quibus vel ab adolescentia vacavit, subsidia sibi comparasse ad munera sua explenda, hoc sane non modo rarum, sed prope mirabile nobis esse videtur. Nec sane mediocris de illo fuit opinio, cum plurimum adhiberetur vel ad perorandas, vel ad judicandas, vel ad componendas lites, & cum ei, quamvis Pisano, stipendium ab Academia penderetur CCCC. usque centussium, de eadem deserenda, licet tentaretur a Venetis, nunquam cogitavit. Per triennium tamen abfuit ab ipsa, cum Senensis Rotae Auditor, ut loquuntur, fuisset. Acriter nimium disputatum est, num tanquam postliminio rediens ad Academiam ita habendus esset, ac si ab ea nunquam discessisset, & tum saepe nimium in controversiam vocabatur, qui inter numerarios, ut vocabant, censeri, quique ceteris praecedere debebant, & num potior esset habenda vel cathedrae dignitas, vel doctoratus, vel magisterii tempus (2). Tot

(1) *Vide* Filza Num. 1. *in Tabular. Academiae*.

(2) *An. 1583. quando Statuta Collegii J. U. Doct. renovata fuerunt, inter cetera decretum est*: singuli Doctores sedeant & incedant secundum temporis praerogativam, quo juris lauream fuerint consecuti, nec quidquam intersit, utrum quis in uno tantum gradu, vel pluribus doctorae lauream sit adeptus, nec quantitas salarii, non diuturnitas temporis in profitendo, nec ulla alia qualitas spectetur. *Si quando vero accidisset, ut in examine laureandorum adessent civitatis Magistratus, tum praescriptum*, ut Magistratibus ipsis a dextra parte locus assignetur, in quo post Archiepiscopum vel ejus Vicarium sedeant, a sinistra vero Prior & Doctores nostri consideant. *Ad haec jussum fuit*. Caeterum ut Magistratuum ordo pateat, inhaerentes Universitatis Statuto mandamus post Illustrissimum ac Reverendiss. Archiepiscopum, seu ejus Vicarium Generalem primum locum esse Magnifici Domini Commissarj Civitatis Pisarum, secundo sedeat Magnificus almi Gymnasii Rector, vel Vicerector .... tertium teneant Consules maris, quartus detur Praefecto arcis Pisarum, quintum obtineat Praepositus Priorum Civitatis, Sextum Rector Ducalis Collegii, septimo sedeant reliqui Priores Civitatis, octavo Prior Collegii Theologorum, nonus ad nostrum Priorem pertineat, decimus sit Prioris Collegii Medicorum.

sane in Academiam, & in Patriam fuere Papponii beneficia, ut dignus amplissimo loco videretur, neque idcirco quia ab iis abfuit honestissima quidem de caussa, neque ad multum tempus, id culpae illi verti par erat. Itaque hic vir doctrina, consilio, prudentia excellens, cujus in labiis justitia habitare dicebatur, qui cum suas disputatione a caussis forensibus & civilibus ad tractanda publica negotia (& legationes quidem plures Patriae, & Cosmi I. nomine suscepit) transferebat, rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjungebat, quique commendabatur etiam omni genere virtutis, tantam auctoritatem apud suos obtinuit, ut nemo illi par poneretur. Praeter *Consiliorum* volumen emisit libellum *de verborum obligationibus*, alterumque, in quo adversus Bolognettum inquirit, *num possessio sit juris, an facti:*, in quibus etsi nulla, aut admodum pauca Cuiacianae juris prudentiae vestigia appareant, elucet tamen magna Romanarum legum cognitio, magnumque in iis interpretandis ingenii acumen, ut facile Jasonis discipulum possis agnoscere (1). Filium nomine Christophorum, quem ex Elisabetha Temperania genuerat, doctrinae & virtutis suae heredem reliquit, & cum sibi monumentum vivens apud Augustinianos posuisset, in eo haec inscribi jussit.

HIERO. PAPPONIUS I. U. D. EQUE. AURA. AC PIS. MAIOR. ECCLE. AED. ANNOS QUINQUE SUPRA QUADRAGINTA DOCEN. MUN. IN PATRIO PISA. GYMNASIO PUBLICE FUNCTUS INQUE IIS SEPTEM ET TRIGINTA ORDINARIAE LECTIONI VESPER. JUR. CIV. CONTINUO INCUMBENDO CLAR. NOM. FAM. CONSEQUUTUS DE RUSERRECT. COGITANS SEPULCR. HOC SIBI POSUIT A. D. MDXCVIII. ET SUAE AETA. LXXI.

---

(1) Marta de successione legali Tom. II. Part. IV. Quaest. 21 Art. 16. n. 8. *inquit*: quibus scriptis adde quae scribit D. Hieronymus Papponus, qui fuit discipulus Jasonis, & fuit meus concurrens in Studio Universitatis Pisarum.

Obiit autem VI. Id. Maii an. 1605., & quod de eo plura memoriae mandaverit Franciscus Thaddaejus tertio in volumine monumentorum, quae ad illustres Pisanos pertinent, ad illum librum studiosos Papponii delegamus. Perbeatus ille quidem mihi ſuisse videtur, qui cum honoribus, & rerum gestarum gloria floruisset, ad extremam usque senectutem eum vitae cursum tenuit, ut in otio cum dignitate (vacationem enim a schola impetravit (1)) esse potuerit.

(1) *Vid. ejus epistolam, qua an. 1604. Carolo Antonio Puteo Pisarum Archiepiscopo volumen Consiliorum suorum nuncupavit.*

Digitized by Google

C A P U T VII.

De ceteris rebus per Cosmum gestis, deque ejus Successorum studio erga Academiam

NEminem sane fore arbitror, qui non admiretur studia, vigilias, sollicitudinesque Cosmi in procuranda re Academica, vel quando ille multis implicatus erat molestis, operosisque negotiis. Illo quidem summam rerum tenente, nemini languere, & ignaviae socordiaeque se tradere licebat. In omni enim re publica administranda solitus erat dicere: quemadmodum in corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorum aliquid potius, quam totum corpus intereat, sic in reipublicae corpore, ut totum salvum sit, quidquid est infirmum amputetur. Dura sane vox, ad continendos tamen male feriatos idonea. Sic cum Magistri vel praemii, vel gratiae (1) spe, vel poenae metu excitarentur ad explendum, quod

(1) *Nullam sane praetermittebant occasionem, ut rem gratam Principi facerent, hujusque extant litterae, quibus Jurisconsultis gratias egit, quod lauream gratuitam concessissent Francisco Taurellio Laelii F. & in collegium illum cooptassent. Propter famam hominis, cui acceptam referimus nobilissimam editionem Pandectarum Florentinarum, hujus rei mentionem faciendam putavimus. Monumentum extat in Tabulario Academiae.*

Digitized by Google

illorum muneris erat, interdum etiam onera extraordinaria sustinere minime recusabant. Commemorabo ea, quae decora & gloriosa Academiae mihi fuisse videntur, & maxime equidem vellem, ut imitarentur ii, quos oportet, majorum nostrorum industriam, neque alterius inviderent labori. Non dubito quin haec nonnulli male accepturi sint. Sed me vera pro gratis loqui etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit, & dum languidiores reprehendo, navis & industriis debitas laudes persolvo. Si qui aegrotabant discipuli, nunquam deerant, qui illis gratuitam medicinam facerent, ac memoriae proditum est de Matthaeo Curtio, cum esset summa senectute, & perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, fecisse omnibus conveniendi sui potestatem, & cum per valetudinem licebat, debilem & senem primum ad scholam venire solitum, quamvis hujus libera arbitria obtinuisset. Quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores recusavit Mercurialis, ut suae singularis doctrinae copiam omnibus faceret? Quibus aedes illius non patuere? Jurisconsulti etiam suam & Academiae dignitatem tenere non posse judicabant, nisi, dum studiosos audiendi docebant, consulentibus quoque responderent. Quam saepe his Cosmus mandata dedit, ut de maximis rebus, ac controversiis suas exponerent sententias! Nemo ignorat quam diu, & quam acriter disputatum fuerit, num Florentinorum Dux loco & dignitate antecedere Ferrariensem deberet, quae res delata ad Romani Pontificis judicium fuit. Mandavit itaque Cosmus Jurisconsultorum nostrorum Collegio, ut scripto consignaret, quae pro se stare videbantur, rationes, qua in re sane illorum neque doctrinam, neque diligentiam desideravit (1). Ejusdem Cosmi multum intererat & sua & Urbinatium Ducis caussa absolvi Franciscum Landrianum Comitem, qui raptus crimine accusatus, Mediolani in vinculis erat. Etsi autem Laelii Taurellii opera hac in re plurimum usus

(1) *Extat hujusmodi scriptum in Tabulario Academiae* Filza I. p. 150.

fuerit, minime tamen neglexit consilia Jurisconsultorum nostrorum, quibus tantum tribuebat, quantum par erat doctissimis viris (1). Hi ejusdem Ducis jussu receperunt & diligentissime curarunt mandatum Maximiliani II. Caesaris de dirimenda judicandaque lite, quae erat inter Julium Mediceum & heredes Floramontis Malaspinae Bastiae Domini, qui illi debuerat haud mediocrem pecuniae summam (2). Pos-

---

(1) *Hujus rei monumenta vide in memorato supra volumine.*

(2) Maximilianos Secundus, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae ec. Rex: Archidux Austriae, Dux Borgondiae, Striae, Carinthiae, Carniolae & Wirtembergiae ec. Comes Tirolis ec. Spectabilibus doctis devotis sincere nobis dilectis SS. Decano & Collegio Jurisconsultorum Academiae seu Studii Generalis Pisani Gratiam nostram Caesaream, cum omni bono. Spectabiles, docti, devoti syncere nobis dilecti. Exhibitae nobis fuere preces ex parte Creditorum Floramontis Malaspinae quondam Marchionis Bastiae, hujus qoi sequitur tenoris: Sereoissime ac Invictissime Caesar. Cum obierit Floramons Malaspina Marchio Bastiae superstitibus compluribus filiis, quibusdam pupillis, eorum majores creditoribus haereditariis recusant solvere debita: cum ipsi haeredes alium non habeant judicem competentem quam Caesaream Majestatem Vestram, & qoia nimis incommodum, ac dispendiosum esset adire Majestatem Vestram, supplicant ipsi creditores, ut dignetor dare Judicem in Italia, qui Creditores praedictos audiat, & contra haeredes praedictos procedat, cognoscat, & decidat, sine strepito, & figura judicii, ac sola facti veritate inspecta ac sententiam exeqoatur, servato juris ordine, non obſtantibus quibuscumque.

Cum igitur nos cupiamus in praemissis fieri quod justitiae aequitatisque ratio exigit, freti spectata prodentia & integritate vestra, nec non egregio in nos observantiae studio memoratam causam cum omnibus ei annexis connexis & dependentibus vobis committendam & delegandam duximos. Quemadmodum per praesentes animo bene deliberato scienterque committimus & delegamos, authoritate Nostra Caesarea benigne hortantes & exprease

sem alia hujusmodi referre sapientiae ac fidei nostrorum Jurisconsultorum commissa, ut quid juris esset in maximi momenti controversiis cognoscerent, sed modus adhibendus est, ne videar minima quaeque persequi velle. Cosmi exemplum ceteri, qui consecuti sunt Etruriae Principes saepius renovarunt, cum auctoritatis nostrae Academiae neminem posse poenitere arbitrarentur (1). Tandem ipse Cosmus post

---

requirentes, ut citatis & vocatis partibus controversiam hanc, cum omnibus ejusdem annexis, connexis, incidentibus, emergentibus & inde dependentibus Jure mediante audiatis, cognoscatis, decidatis, & fine debito terminetis, ac partibus expeditam justitiam administretis, procedendo in praemissis summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu, aut figura Judicii, sola rei veritate inspecta. Damus enim vobis per has litteras nostras Caesarea authoritate nostra, plenam facultatem & potestatem, ac vices nostras, ad praemissa omnia & singula, & quae circa ea fuerint necessaria, seu quomodolibet opportuna, ipsiusve causae merita & status postulaverint, facienda, peragenda & exequenda.

Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiamsi talia forent, de quibus in praesentibus nominatim & expresse mentio fieri deberet. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigillo nostri impressione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna, penultimo die mensis Novembris. Anno Domini Millesimo, Quinquagesimo, Septuagesimo primo; Regnorum nostrorum Romani decimo, Hungarici nono, Bohemici vero vigesimo tertio.

Maximilianus.

(1) *Magnus Dux Franciscus I. haec ad Collegium Jurisconsultorum scripsit.* Molto Magnifici nostri carissimi. Il Sig. Vincenzo Vitelli, e li fratelli mi hanno eletto per loro arbitro in certa differentia, che è tra loro e il Cardinale . . . E perchè il tempo del compromesso è breve & io desidero che si spedisca quanto prima, ho voluto farvi a sapere, che mi farete molto grato piacere ad accettare le sue ragioni, & consultarle quan-

Digitized by Google

diuturnum XXXVII. usque annorum regnum naturae cessit. Sane non mediocriter illi profuit ad immortalitatem nominis, quod Academiae nostrae non solum fautor, sed etiam amplificator, & novus quasi conditor fuerit munificentissimus, quodque ejus aetas jam ingravescens in sermone atque in amore doctorum hominum conquiescere praesertim videretur. Celebravit ejus laudes Pisis Petrus Bargaeus, Florentiae vero Petrus Victorius, cujus tantummodo oratio extat in manibus hominum.

Vel antequam ille moreretur, adjutorem sibi adsciverat in re publica administranda Franciscum natu majorem filium. Hic immemor paterni studii in Pisanos (nam Cosmus ad merces a mari tuto transvehendas canalia aperuit, urbem aedificiis ornavit, illius agrum stagnantem siccavit, atque ejus fertilitati caelique salubritati consuluit) cum iis, quoad vixit, male egit, quanquam non facile esset hujus odii justam caussam invenire. Non improvidus tamen & negligens fuit in procurandis rebus Academiae, eique laudi dandum putamus, quod jusserit esse qui festis diebus profestisque, quibus ab ordinariis praelectionibus vacaretur, Platonis dogmata explicaret, ne unus in scholis dominari vide-

---

to prima, che fatto che ne harete il consiglio, sarete satisfatti d'ogni vostra fatica, & io ve ne riterrò sempre amorevole memoria: che Dio vi conservi. Da Fiorenza ec.

Raudens. Cons. IV. ante initium Lib. I. mentionem facit mondati, quod habuerunt a Ferdinando I. ipse Raudensis, Pomphilio Columbinus, & Philippus Masimus de sententia quadam ferenda. Hujusmodi mandata saepius respexerunt Appellationis jura. Antiquitus enim, antequam supremum Consultae tribunal esset, quod esse coepit ineunte Saeculo XVII. Auditores, ut vocabantur, Cameroe de appellationibus judicabont, libebatque interdum iis, cum de re moximi momenti disceptabatur, sententiam exquirere Jurisconsultorum nostrorum.

deretur Aristoteles, quodque novum magisterium instituerit, ad Hebraicae linguae rudimenta tradenda, quod commisit homini, qui patre Judaeo genitus erat. Neque vero minorem adhibuit curam in optimis aliarum disciplinarum magistris eligendis, usus praesertim consilio Jo. Baptistae Concinii, quem satis laudare nequeas, sive prudentiam, sive dexteritatem in rebus gerendis, sive doctrinae praesertim legalis praestantiam spectes. Ceterum Franciscus non admodum sui & Etruriae gloriae prospexit. Deditus enim corporis voluptatibus, & impotenti amore flagrans feminae, in qua nullus erat famae pudor, nullusque ambitionis modus, jurgia, discordias, simultates cum fratribus exercuit, populum tributis vexavit, multos, quod eum conscientia timidum & suspiciosum fecerat, patria & bonis privavit; liberalitatibus dissolutissimis eos devinxit, qui suis indomitis cupiditatibus lenocinabantur, demum non minus quaestui, quam sumptui indulgens, nihil pensi ac moderati habens, fecit ut Etruria, si quando aliquid dignum Mediceorum nomine gessit, (non enim illi defuerat ingenium, aut in eo exercendo industria, dum junior fuit) quasi perpetua oblivione obrueret, deque ejus interitu, qui accidit an. MDLXXXVII. vehementer laetaretur. Nemo ignorat famam fuisse veneno illum absumptum fuisse, quod ejus uxor Blanca ad necem Fratris ipsius paraverat, sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valuit. Ad illum quidem aegrum curandum accitus fuit Julius Angelius Bargaeus, qui primum locum inter theoricae medicinae doctores tenebat, cujusque magnum tum erat nomen; sed nihil in cujusquam arte opis fuit.

Quoniam supra Concinii mentionem fecimus, minime praetereundum hoc loco videtur successisse illum Laelio Taurellio, qui Magno Duci fuerat a consiliis privatis, (Auditores Camerae, vel Secretarios vocitabant) & cum ad hujusmodi munera minime admitterentur, nisi qui prudentiae & doctrinae laude floruerant, horum quoque opera in rebus Academiae administrandis ita utebantur Medicei Principes, ut eos in Praefectorum loco numeroque habere debeamus. Ipso Concinio au-

ctore an. 1583. aliqua in parte emendatae Cosmianae leges fuere, in consilium adhibitis Jo. Baptista Honestio, Hieronymo Papponio, Jacobo Angelio, & Cappono Capponio; & miror equidem cetera inter decretum fuisse, ne quis domi diebus aliis, quam feriatis discipulos dictando erudiret [IV.] Cognitum postea quanta utilitas dimanaret ad studiosos adolescentes ex privatis praelectionibus, propterea que usu receptum, taciteque imperatum fuit, ut diebus omnibus, festis exceptis, plerique Doctorum non solum publice, sed etiam privatim suos erudirent discipulos. Verum quasi privata schola primariis juris prudentiae Professoribus indecora esset, ejus onus suscipere ipsi recusarunt; & quoniam his adeo majores nostri tribuere, ut illos solos & consuli & scire voluerint, providere certe debebant, ut plurimum imminuto publicarum praelectionum numero, illorum praeceptorum copia esset, quae necessaria arbitrabantur. Verum tamen aliquid prospici poterit, ut omnium Doctorum par & aequalis sit labor in erudiendis doctrinarum studiosis. Sed ut ad Concinium revertar, huic quidem tantum tribuebat Cosmus, ut cum magnam curarum partem de publicis rebus transtulisset in Franciscum, jusserit hunc consiliario praesertim uti Concinio, cujus singularem prudentiam expertus fuerat mittens eum Legatum ad Maximilianum II. & ad Rodulphum Caesares. Nullus honos huic defuit; neque postea res ulla gesta publica, de qua prius sit decretum, quam Concinii sententia cognita. Antequam in hoc altissimo dignitatis gradu collocaretur, & cum esset adhuc in aetatis flore (natus enim erat Florentiae an. 1532.) ordinarii Doctoris in jure Pontificio munus per biennium, anno scilicet 1560. & eo, qui consecutus est, apud nos exercuerat, industria quidem tanta, ut aemulari velle videretur gloriam Bartholomaei patris, qui ob doctrinam & prudentiam summam mirifice carus fuerat Cosmo I. Praetor gubernavit quoque Pisanam Provinciam, & inter Stephanianos Equites ab illorum origine, & in Senatum lectus, multa sane praeclara gessit: quod eo laudabilius existimari debet, quod sub Francisco I. non uni virtuti honos dabatur, cum multi furtim, & per dolos potius, quam bonis artibus ad

magiſtratus & honores niterentur. Haec fortaſſe cauſſa fuit ut ipſe aliquando decreverit procul a republica aetatem agere, perinde quaſi honores non habeantur, ut eorum, qui illos ſuſtinent, virtus eſt. Verum dum illum pigebat taedebatque morum Principis, dolebatque vicem ſuam, quod temporibus virtuti inimicis rerum publicarum curam retinere cogeretur, ſeque fatigando odium quaerere, ni maluiſſet impuriſſimae feminae, aliorumque paucorum potentiae decus ac libertatem ſuam gratificari, ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, levationem quaeſivit. Et facile illi quidem fuit ſuadere Ferdinando I. ſe ea conſuluiſſe, quae Reipublicae putabat utilia, & ab eo obtinere, ut ſibi haud mediocrem rerum ſuarum fidem haberet. Naturae ceſſit an. 1605. unico relicto filio, quem ex Camilla Miniata nobiliſſima femina ſusceperat. Nemo autem ignorat quanta hic cum poteſtate fuerit in Gallia ſub Ludovico XIII. quantis fortunae muneribus ornatus, & quam infelicem exitum ejus vita habuerit.

Profecto divino quodam munere conceſſum Etruriae exiſtimare debemus Ferdinandum I. quo regnante publica felicitas ac tranquillitas multis antea oppreſſa malis jam extollere caput, & aliquando recreata ſe erigere incepit. Piſana praeſertim civitas illius maximis beneficiis honoribusque aucta & ornata eumdem tanquam alterum conditorem atque parentem venerabatur, multaque extare voluit publica monumenta tum ipſius munificentiae, tum ſui erga illum gratiſſimi animi. Incedens per ipſam urbem tertio fere quoque gradu illa offendes. Nimis equidem a propoſito aberrarem, ſi illius praeclara facinora, laudesque immortales vel leviter tangere vellem. Sic quidem erga Academiam noſtram fuit animatus, ut litteris quas a prima aetate ſub optimis praeceptoribus excoluit, quarumque ſtudium nunquam abiecit, procreatus videretur. Quanquam conſilio non indigeret, vel abundaret potius, multa tamen ex ſententia Caroli Antonii Putei, cujus ſupra honorificentiſſimam mentionem fecimus, egit, eodemque auctore novam Pandectarum cathedram inſtituit. Fuerat hic vir vel ab anno 1567. e Florentinae Rotae V. viris, poſtea Auditor Fiſcalis, & de-

rum Auditor Camerae, creatus (1) cum eodem tempore Pisanam Ecclesiam gubernaret. Cum in juris prudentia gratiae, gloriae, praesidii plurimum invenisset, illam praesertim coluit, & praeter ea, quae edidit ut consulentibus quibusdam responderet, septem usque volumina reliquit *miscellanearum Juris Quaestionum*, quae diu in ipsa magnorum Ducum bibliotheca, tanquam justitiae ipsius oracula, adservata fuerunt. Si Ughellio credimus, scripsit etiam *de potestate Principis & de Feudis*, & quod majus putamus, qui egregie fidelis fuerat suis Dominis in republica administranda, tantam vigilantiam, laborem ac prudentiam in Ecclesia sibi credita regenda praestitit, ut eidem, quamvis dignitate amplissimae, decus addidisse videatur. Obiit aestate an. 1607. Seravetiae, ubi salubrius Pisano coelum, se inventurum speraverat.

Post illum rerum publicarum curam cepit Paullus Vinta Volaterranus, qui in ipsa ferme aula educatus fuerat, cum Pater illi fuisset Franciscus, cui singularem rerum suarum fidem habuerat Cosmus I. Hac gratia atque ingenio ad omnes res apto facile ac pronum illi fuit ad omnia summa pervenire. Regnante Francisco I. quanquam intelligeret virtutem & innocentiam multis damno esse, pluris tamen bonam famam, quam potentiam aestimavit, & cum omnem aetatem in optimis artibus agens bene facere jam ex consuetudine in naturam vertisset, eo acrius sibi enitendum putavit, ut inter invidos, occursantes, factiosos, delatores, ambitione & avaritia corruptos fidelitatis, & sapientiae exempla ederet. Habuit tandem quo suam praeclaram

---

(1) *Haec duo munera praecipua erant in aula Principum nostrorum, & qui illa sustinebant, summam rerum habebant. Par auctoritati decus externum erat. Agens de iis, qui cum primum auctoritatis locum tenerent apud Mediceos Principes, consulebant quoque rebus Academiae, mentionem facere potuissem de Scipione Naldio, Mario Bardinio, Laurentio Usimbardio, & Camillo Guidio, viris quidem complurium negotiorum usu prudentissimis, sed non libuit de omnibus dicere.*

Digitized by Google

virtutem ostentaret, cum clavum Etruriae teneret Ferdinandus, in quo omnia plena erant clementiae, justitiae, atque humanitatis. Quae hic consiliis Vintae providit tum ad universae Etruriae, tum ad Academiae nostrae felicitatem, ea tradita sunt memoriae hominum sempiternae. Fratrem habuit Vinta Belisarium, qui omnia quae ad Ferdinandi dignitatem, & ad Etruriae bonum augendum pertinebant, summo semper studio suscepit, & felicitate summa confecit. Primum inter Secretarios illius locum tenuit, hominemque de Academia optime meritum minime a tanti Principis laudibus disjungendum putavimus. Non minori gloria adfuit Cosmo II. integerrimis saluberrimisque consiliis, & ex epistolis ejusdem, quas nos edidimus (1) cognosci poterit, quantum adhiberet studii ad omnes bonarum rerum disciplinas provehendas. Nunquam aulam, universamque civitatem tam tristem vidisses quam in illius morte (obivit hanc octobri an. 1613. cum esset septuagenario major) quasi per hunc casum imperii dignitas plurimum imminuta fuisset. Successit huic Curtius Picchena, ille idem, cujus doctrinae, & industriae in illustrando praesertim Tacito summa praeconia tribuit Justus Lipsius (2). Aetate & usu doctus haud in dubia spe erat leniendi desiderium Vintae, cui par erat quidem prudentia, doctrina quoque superior, sed longe inferior artibus illis, quibus hominum ac praesertim Principum voluntates animique capiuntur. Tristis, severus, asper etiam interdum non quid ceteri probaturi essent, sed quod e republica esse sibi videbatur, & proponebat, & libera oratione defendebat. Magna mehercule laus aulicorum artificia aut ignorare, aut ab iis plurimum abhorrere, sed ex hoc ipso nonnullam habuit invidiam, & cum adversarium non occultum, sed apertum nactus fuisset Andream Ciolium Cortonensem hominem expertem consi-

---

(1) Lettere inedite di uomini illustri.

(2) In epist. ad Lectorem suarum in Tacitum illustrationum.

lii & ingenii, sed temerarium atque audacem, qui immoderate & ingrate Cosmi II. facilitate abutebatur, optimi Principis vicem pro sua injuria dolere debuit. Cum angeretur intimis sensibus naturae cessit mense Junio an. 1626., omnesque in illo consenserunt elogio aetatis suae primarium fuisse virum. Minime quoque silere debemus de Petro Caballo Pontremulensi pro singularibus illius in Academiam nostram & in universam Etruriam meritis. Valebat porro ingenio, & doctrina in omni Juris prudentiae genere, plurimumque se exercuerat in negotiis tractandis; quapropter Medicei Principes nullam rem magnam difficilemque esse intellexerunt, quam ejus fidei potestatique recte non committerent (1). Quamdiu Litterariam provinciam rerum summae praepositus apud nos exercuit, de singulis atque universis bene mereri studuit, facilis, apertus, & quoties occasio tulit, munificentissimus. Eo defuncto, apparuit in tanta praestantium hominum copia, qui decus atque ornamentum fuerunt Regni Ferdinandi I. perpaucos inveniri qui illorum gloriam aequare possent.

Optima hereditas a patribus traditur liberis, gloria virtutis, cui dedecori esse nefas judicandum est. Hoc cum saepe animo volutaret Cosmus II., reminisceretur que quanta & quam praeclara ad Etruriae felicitatem bonumque litterarum gesserat illius pater Ferdinandus totis XXII. annis, quibus clavum imperii tenuit, maxime se stimulari atque

(1) *Ipse de se testatur munera exercuisse Auditoris Rotae tum Senensis an.* 1582., *tum Florentinae, nec non* Auditoris universarum Legionum, & Magistratus VIII. Virorum Guardiae & Baliae; *item Praefecti Stephaniani Ordinis, ac demum* Auditoris Fiscalis. *Ab ipso prodiere* Resolutionum Criminalium Centuria III. Tractatus de omni genere Homicidii, & Consiliorum diversorum Civilium Volumina II. *Tanti erat Sententia illius in rebus ad juris prudentiam pertinentibus, ut praeferendam esse censeret Constantinius auctoritati Cardinalis de Luca*. Ad Stat. Urb. annot. 46 n. 259.

excitari sentiebat ad ejus laudes aemulandas. Sed cum is semper infirma, atque aegra valetudine fuisset, non semper ejus votis exitus respondit. Multum adolescens in studiis doctrinarum, illa moderante Celso Cittadinio Senensi, profecerat, & delectari praesertim videbatur naturali philosophia & mathematicis disciplinis, in quibus praeceptorem habuerat Galileum (1). Saepe quoque in conspectum suum advocabat, qui apud nos doctrinae laude excellebant, atque in primis cari illi fuisse videbantur Julius Gustavinius Genuensis, & Cosmus Boscalius Florentinus, quorum alter medicinam profitebatur, alter vero Platonis dogmata explicabat. Nihil vero tam laude dignum in Cosmo putamus, quam quod minime passus fuerit, ne tanta vis ingenii, qualem omnes in Galileo admirabantur, diutius a suis oculis, & ab Academia nostra abesset (2). Novum inde philosophandi genus

---

(1) *Hic an. 1610. mittens Patavio ad Cosmum ipsum suum* Nootium Sidereum, *inquit*. Placuit D. O. M. ut a Sereniſsimis Parentibus tuis non indignus existimarer, qui Celsitudini tuae in tradendis mathematicis disciplinis operam navarem, quod quidem praestiti quatuor soperioribus annis proxime elapsis, et anni tempore, quo a severioribus studiis otium esse consuevit.

(2) *Sunt quidem honorificentissimae litterae, quibus Cosmus ad se se invitavit Galileum, earumque hoc est exemplar.*

L' Eminenza della voſtra dottrina, e della valorosa voſtra sufficienza accompagnata da singolar bontà nelle mattematiche, e nella filosofia, e l' ossequentissima affezione, vassallaggio, e servitù, che ci havete rimoſtra sempre, ci hanno fatto desiderare d'havervi appresso di noi, & voi al riscontro ci havete sempre fatto dire, che ripatriandovi, havereste ricevuto per sodisfazione, & gratia grandissima di poter venire a servire del continuo non solo di primario matematico del noſtro studio di Pisa, ma di proprio primario matematico, & filosofo della nostra persona: onde essendoci risoluti di havervi quà, vi habbiamo eletto, & deputato per primario matematico nel suddetto nostro Studio di Pisa, & per proprio nostro primario matematico, & filosofo, & come a tale habbiamo comandato, &

quod ut firmius esset addixit Cosmus Academiae ipsi Benedictum Castellium. His quidem erat omnino molestum conflictari cum iis, qui tanquam noctuae adspicere recusabant, sed miram adferebat alacritatem defendendae veritatis Principis studium in illa cognoscenda. Multa alia providit Cosmus Academiae utilia. Cum videret minime convenire Rectorem, & Consiliarios, qui de litibus judicaverant, esse tardiores ad patefaciendam sententiam, severissimo edicto cavit, ut judicii forma esset expeditissima. Quod erant Pisanorum multi qui referebantur in scholarium numerum non animo vacandi litteris, sed se eximendi a Praetoris urbani Jurisdictione, hos coercendos putavit. Cavit ne quid praepostere fieret in concedendis doctrinae insignibus (V); vetuit quoque dictari in scholis, & vetustissima quaeque Principum decreta ad illarum decus servandum renovavit. Cum consulebatur de rebus Academiae, deque novis creandis magistris, quod autumno fieri consueverat, illo regnante, res habebat summam speciem & dignitatem. Consiliis enim intererat ipse, mater, & uxor; practerea Principis Consiliarii, quos Auditores vocitabant; item Secretarii omnes, nec non Academiae Curator, & Pisarum Archiepiscopus. Semper libe-

---

comandiamo a chiunque si appartiene de nostri ministri, che vi diano provisione, & ſtipendio di mille scudi moneta fiorentina per ciascun' anno da cominciarsi a pagare dal di che arriverete qui in Firenze per servirci, sodisfacendovisi ogni semeſtre la rata, e senza obbligo di habitare in Pisa, o di leggervi, se non honorariamente quando piacesse a voi, o ve lo commettessimo espressamente & eſtraordinariamente noi per noſtro gusto, o di Principi, o de Sig. foraſtieri che venisseno, risedendo noi per l'ordinario qui in Firenze & proseguendo le perfezioni de voſtri studii & delle voſtre fatiche, con obbligazione però di venire da noi dovunque saremo, anche fuor di Firenze, sempre che vi chiameremo, & il Sig. Iddio vi conservi, e contenti. Da Firenze li 10. Luglio 1610.

liberalissimus munificentissimusque benemereri de omnibus satagebat; stabatque illi res Academica XV. ferme millibus annuis centussibus (1). Quanquam plurimum faveret optimae spei adolescentibus, vetuit tamen eos ad magisterium evehi, nisi biennio, vel triennio postquam doctrinae insignia acceperant. Si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam imperii felicitas (nunquam enim antea florentior Etruriae fortuna fuisse videbatur) subdere spiritus potuissent, is erat profecto Cosmus, sed, ut diximus, multis & magnis conflictatus valetudinis incommodis, non omnia, quae optabat, perficere potuit, & extinctus est exeunte Februario an. 1621. cum ageret aetatis annum XXXII., ex quibus duodecim in gubernanda Etruria consumpserat.

(1) *Hisce temporibus stabat Romanis Academia VII. millibus centussibus, Bononiensibus XIII millibus, dimidio minus Ticinensibus, vix IV. millibus Perusinis III. millibus Parmensibus, II millibus Senensibus. Omnes vero superabant Patavini, qui sumptum faciebant in rem litterariam circiter novem supra decem millium, ut ipsi vocant, Ducatorum.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Theologiae, Sacrae Scripturae & Metaphysices Magistris.

NOli existimare rerum divinarum scientiam hisce temporibus, quemadmodum praeteritis, horridam adeo atque incultam fuisse, ut non splendescere coeperit oratione, & tanquam excoli aliarum disciplinarum subsidio. An putamus exortis infinitis propemodum errorum monstris, non extitisse multos, qui se totos & animis & corporibus in salutem Christianae Reipublicae contulerint, qui studio & labore incredibili contra commune incendium exarserint, & qui in instrumento, quod adhibuere in interpretanda religione, sibi enitendum putaverint, ut ostenderent non utilitatem modo, sed & summam dignitatem inesse? Omnino perficiendum erat, ut quoniam nec doctrina, nec elegantia deerat impurissimis hominibus, qui sanctiora Catholicae religionis dogmata inexpiabili scelere pervertenda susceperant, plures essent, qui eadem illa praesidia facultatesque, quibus illi perverse ad perniciem hominum utebantur, ad salutem & veritatis defensionem transferrent. Quot in uno Tridentino Concilio extiterunt Theologi, qui & dicendi laude, & doctrinae copia, & ingenio praestanti, & eruditione perfecta, illam, quam profitebantur, facultatem, maturitatem quamdam suam consecutam esse declararunt! Ut haec laus perennis esset, curandum quidem praesertim erat ab Academiarum Moderatoribus, neque sane Cosmus in hac re passus est desiderari officium suum. Theologiae enim scholam, quo primum tempore reseratae sunt fores Academiae, regendam commisit Romulo de Lau-

Digitized by Google

rentiis (Laurentianum alii dixere) qui filius fuit Laurentii illius Medici & Philoſophi, de quo plura in ſuperiori volumine perſecuti ſumus. Nomen is dederat religioſae familiae, quae *Servorum* B. M. V. appellatur, in qua bonis artibus & diſciplinis inſtitutus fuit. Graecam & Hebraicam linguas callebat, philoſophabatur acute, ſatis eloquentiae habebat, noveratque non modo quae ſcita ſunt in divinis libris, ſed & in populorum inſtitutis ac legibus. Cum in Ticinenſe Gymnaſium vel ab anno 1518. fuiſſet cooptatus Logices Magiſter, tantam ſibi famam comparavit, ut de eo in Etruriam redeunte dictum fuerit: *Si Romulus abest*, *Dialectica deest*. Ex quo conjici poteſt quam in docendo ediſſerendoque ſubtilis eſſet; de ea ſubtilitate dico, quam ſcholaſticam appellant, quaeque tum ſola erat in honore. Multas peragravit Italiae urbes habendi cauſſa ſacras ad populum conciones, cum in bonis oratoribus numeraretur; & qua voce, qua ſcriptis exagitavit audaciam eorum, qui in violanda religione fraudes inexpiabiles conceperant. Saepe his de rebus diſſerentem diſputantemque audierat Coſmus Dux, cum Florentiam advocaſſet an. 1539., ut publice Theologiam ſacroſque libros explicaret, quare unum illum eſſe praedicabat, qui & depravatos mores corrigere, & eam partem Reipublicae Chriſtianae, quae a recta via deſciverat, coercere doctrina & eloquentia ſua poſſet. Utinam & molliviſſet illius animum ferum, & ad omnem crudelitatem exercendam proclivem! Magnum profecto detrimentum accepit Academia, quod tantus vir, anno poſtquam in illam venerat, mortem Florentiae XII. Kal. Novembris obiverit, cum eſſet annorum LXIII. laudatuſque publice fuit tum in illa urbe a Zaccharia Faldoſſio, tum Piſis ab Archangelo Bruſcolo illius collegis, qui in illo elogio conſenſiſſe videntur, non modo ejus dicta, ſed etiam facta fuiſſe praeclara atque divina, & expoſita ad imitandum. Quotquot erant Florentiae Piſani Doctores convenerunt in Aedem B. M. V. ab Angelo Salutatae ad illius exequias cohoneſtandas. Nam cum declaraſſet Coſmus in iis, quas tulerat Academiae legibus, *laudabile & Deo gratiſſimum eſt pios ſe ſe erga mortuos praeſtare*, & *eorum funera honorare*, indecorum omnes

putassent istiusmodi officium deserere, quanquam illius persolvendi onus impositum iis tantummodo fuerit, qui Pisis erant, dum ibi collegarum funus celebrabatur. Addita & deserentibus poena fuit xv. librarum, & ne quaereretur excusatio quotidiani muneris, jussum est vacare a praelectionibus, & justitium indici eo die, quo quis Doctorum ex hac vita migrasset. Raro vero accidit, ut in hujusmodi funeribus oratione celebrarentur eorum laudes, & quoties accidit, magnum inde argumentum arripies eorumdem praestantis doctrinae, collectaeque ab ipsis hominum famae singularis. Quod ex instituto Academiae bini in ea esse debebant Theologi, quorum alter Scoti, alter S. Thomae disciplinam sequi & interpretari debebant, illud prius munus obtigit Romulo, & quam idoneus esset ad exequendum cognosci potest ex opere, quod inscripsit, *Collationes Scoti in unum collectae*, quodque Angelo Montursio universae *Servorum* familiae Praeposito nuncupavit. Illa etiam potiora sunt existimanda, quae adversus Lutherum scripsit, *de Intercessione Sanctorum*, *de eorumdem reliquiis*, *de Indulgentiis*, *de Sacrificio Missae*, *de Sacramentis Ecclesiae*, *de Potestate Romani Pontificis*, *de pueris non baptizatis decedentibus*, *de Providentia & Praedestinatione*. Attigit & Aristotelia quaedam (non enim fieri poterat, quin Stagirites ille dominaretur in scholis) *de anima*, *& de elocutione super Perihermeniam Aristotelis* scribens. Fertur quoque Aphorismos Hippocratis in Latinam linguam convertisse, & plurimis purgasse mendis, sed verosimilius arbitramur hunc procreasse foetum illius patrem, & pauca de suo illi addidisse Romulum, qui quidquid suscipiebat, ut de eo cecinit Quintianus Stoas Brixiensis Poeta,

Dat tenebris lucem, mollit praedura, serenat
Obscura, irradiat nubila, saxa domat (1).

(1) Ved. Annal. Servorum Familiae Par. II. lib. I. Cent. IV.

Digitized by Google

Secundo postquam instaurata fuerat Academia anno inter Theologos numerabat Hieronymum Auximanum, Alexandrum e Monte Falcone, virum ad disputandi subtilitatem factum, & Joannem Baptistam Astensem. Hieronymus ex Familia Angelucciorum inter suos honestissima natus erat, & cum Augustinianorum familiae adolescentulus nomen dedisset, ejusque aetas in magnos theologos incidisset, his ita operam dedit, ut non inferior aliquando evaderet. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Auctor est Thomas Errera rerum Augustinianorum diligentissimus scriptor Cosmum I., statim ac cogitavit de renovanda Academia, illum vocasse Pisas eo consilio, ut divinos libros interpretaretur, & ne id susciperet onus effecisse Seripandium, qui universae familiae Augustinianorum praefecturam gerebat, ea fortasse de caussa, quia tum, multis errorum monstris exortis, ardebat omnibus animus ad aliena dicta reprehendenda, & invidiam concitandam. His enim verbis ad illum scripsit: *sibi non placere, ut aliquis sui Ordinis legeret Scripturam Sacram praecipue ad concurrentiam ob invidiam & oppositionem, quae semper inter tales esse solet, quapropter omnem aliam lectionem praeter eam legeret*. Addit autem idem Errera Decembri an. 1546. Praepositum ipsum motum Cosmi precibus permisisse Hieronymo, ut Pisas rediret, philosophiam, vel theologiam professurus. Et hanc quidem disciplinam sic docuit ad totum usque annum 1548., ut plurima apud nos doctrinae suae monumenta reliquerit. Cum anno ante ad comitia venisset familiae suae, quae habita sunt Recineti, de laudibus hujus urbis orationem dixit, ex qua cognosci potuit, quod si exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad eloquentiam traduxisset, facile illum in bonis oratoribus numeratum iri.

In docendo disserendoque subtilior etiam fuisse videtur Jo. Baptista Milliovacca Astensis e familia *Servorum* B. M. V. qui Ticino, vix dum mortem obierat Laurentianus, Pisas evocatus est. Magni Daemonis nomine appellabatur, quod in disputatione quadam de rebus

divinis glorians affirmaverat, se argumentum composuisse, quod nec Daemon quidem solvere potuisset. Quo quis erat acutior, eo magis iis temporibus celebrabatur, nec solum subtilissimum hominem, sed & animi satis magni atque consilii fuisse Milliovaccam scriptum inveni. Postquam is per solidos XL. annos rerum divinarum studiosis satisfecerat, jussus est metaphysica tractare, quod onus sustinuit ad annum usque 1560. quo ad universae *Servorum* familiae praefecturam vocatus est. Huic non modo felicissime consuluit, sed & caussam Catholicae religionis strenue defendit, cum ad Tridentinum Concilium vocatus fuisset. Quibus perfunctus muneribus iterum metaphysica in Montis Regalis Academia, deinde divinos libros Augustae Taurinorum publice interpretatus est. Hac in urbe, cum esset decrepita aetate, vitam finivit, & locum sepulturae apud Dominicanos obtinuit.

Impiger, laboriosus, satis disertus, & in omni sacra disciplina exercitatissimus iis temporibus habitus est Franciscus Venturinius Pisanus ex Augustinianorum familia, qui ad Academiam primum accessit an. 1549. Instar omnium nobis erit testimonium Onuphrii Panvinii, qui in Chronica quadam suae familiae haec de Venturinio memoriae mandavit: *Vir summo ingenio*, inquit ille, *praeditus, & in sacra theologia, aliisque optimis artibus exercitatissimus, quas Pisis in publico Gymnasio profitetur, etsi usque modo* (excurrebat tum annus 1575.) *nihil in lucem ediderit, multa tamen parat quotidie, quae tandem omnia simul divulgabuntur*. Non facile tamen nunc quis dixerit ad quorum manus illa pervenerint, cum ipse unquam adduci potuerit, ut eadem in vulgus ederet. Sed si negligentius famae servivit, diligens quidem adeo officii sui fuit, & tam constans in praestanda opera Academiae per totos usque XL. annos, nullum laboris genus recusans, ut non facile hominem, cui illa plus debeat, invenias. Vitam in patria amisit, cum esset septuagenario major, eamque totam consumpsit in labore, bonisque praeceptis dandis atque exequendis. Jussus idem an. 1564. metaphysicae scholae praeesse, theologiae cathedram vacuam reliquit Jo. Baptistae Urbinati Minoritae,

Digitized by Google

huic autem successit Stephanus Contreras Hispanus, de quibus hominibus nescio equidem quid dicam, cum litteram nullam reliquerint, ex qua de illorum doctrina judicari possit. Hi autem omnes collegam & competitorem habuerunt Jacobum Tavantium, qui vel ab anno 1560. ad Academiam accessit, magnam de se statim omnibus expectationem commovens.

Natus ille an. 1527. postrid. idus Aprilis Ludovico patre in oppido Etruriae, cui nomen Plebs S. Stephani, tantam vel a tenera aetate prae se tulit ingenii magnitudinem, ut facile judicari potuerit, qui vir aliquando futurus esset. Porro quae vis tanta doctrinae, quae celsitudo mentis in ullo unquam fuit, quae gravitas tanta, constantia, prudentia, probitas, fides, ut cum illo conferri posset? Novit haec praesertim ejus familia *Servorum* B. M. V. in quam adolescentulus Florentiae cooptatus ad supremam usque illius Praefecturam pervenit. Huic quoque supra ceteros theologos Gymnasium hoc nostrum grati animi testimonium debet, quod illi per septem supra quadraginta annorum spatium e superiori loco docens, litterisque mandans cogitationes suas (nec sane paucis voluminibus ejus scripta continentur) haud mediocre decus addidit. Testatur Philippus Valorius ipsum per antonomasiam, ut ajunt, appellari solitum Pisanum Theologum (1) & ad illius judicium delatas plures ex universa Italia gravissimas de divinis rebus quaestiones fuisse. Abfuit vero a nobis sex iis annis, quibus summam familiae praefecturam gessit, gessitque non tam auctoritate Summi Pontificis Gregorii XIII. quam voluntate suorum, a quibus in eadem anno 1579. confirmatus fuit. Absentis vicem supplevit illius collega Dominicus Silvanus Florentinus, doctus sane vir, qui postea in hoc ipso Lyceo per multos annos philosophiam docuit, cum vixisset ad summam senectutem,

---

(1) *In libro, qui inscribitur*, De' termini di mezzo valore, e d'intera dottrina.

Digitized by Google

Ceterum Tavantius hanc ad scholam afferebat facultatem, ut etiam subito si diceret, tamen illa, quae dicebat, similia scriptorum esse viderentur. Saepe quoque suas scholasticas commentationes scripto mandavit, ex quibus sunt multa, quae religionem, quae cultu Dei pio & casto continetur, naturae jura, quae non opinio, sed innata quaedam vis hominibus affert, officia erga Deum, aut patriam, aut parentes, aut alios sanguine & societate conjunctos, vindicationem criminum, potestatem Christianae Reipublicae Rectorum, &, ut paucis dicam, veritatem opinionum, consuetudinum, dictorum factorumque optimo in lumine collocant. Nonne id agendum nobis est, ajebat Tavantius, ut materiem subtrahamus furori multorum, qui monstrosis erroribus, & infinita cupiditatum licentia perniciem parant Catholicae religioni? Porro si in unum veluti corpus colligerentur quotquot ipse litteris consignavit pro illius defensione, & ad imperitos docendos, male animatos convincendos, segnes excitandos, infirmos roborandos, atque ad Sanctorum virorum exempla posteris prodenda, complurium voluminum numerum conficerent (1). Quanquam ejus dictio a multitudine, ad quam saepe orationes habuit sacri concionatoris munus exercens, devoraretur, doctis tamen & attente audientibus non erat satis attenuata, atque illustris; sed propter eximiam maximarum rerum scientiam, & propter artem explicandi locos, in quibus omnium virtutum & vitiorum materia continetur ad cohortationes, objurgationes, consolationes, miserationes, omnesque animi motus excitandos, & propter vocis suavitatem, & actionem variam, vehementem, & spiritus plenam, jure meritoque in clarorum oratorum numero ponebatur. Fuit om-

(1) *Haec ipsum reliquisse scripta testatur Lucas Josephus Cerracchinius;*
Trattato delle Ore Canoniche.
De Ritibus Sepeliendi
Resolutiones variorum casuum sibi propositorum.

omnino Tavantius vir cum paucis comparandus, idemque eruditissimus, & Graecis litteris & Latinis, antiquitatis scriptorumque veterum litterate peritus, quorum opera magnis impensis cum collegisset, his familiae suae bibliothecas Florentinam & Pisanam, quae eum conditorem praedicant, ornavit. Tot porro fuerunt Tavantii in *Servorum* familiam beneficia, ut sicuti parentem omnes & observarent & diligerent; ejusque curis factum est, ut ipsa vel in Hispaniam aliasque remotissimas regiones propagaretur, novisque legibus, per Gregorium XV. confirmatis, gubernaretur. Quae vero laus cum illa comparanda est, quod ita abhorrebat ab omni ostentatione gloriae, & ab ho-

---

De divinis nominibus.
Vita S. Bernardi Abbatis.
Vita del B. Filippo Benizi e degli altri Beati coll' origine dell' Ordine de' Servi.
Lezioni sopra l' Epistole di S. Paolo agli Ebrei dette in Padova.
Commentaria in Epistolam D. Paoli ad Romanos.
.... In Epistolam D. Jacobi.
Index in totum opus Magistri Sententiarum.
Genealogia ab Adam usque ad Christum in arbores reducta cum eorumdem gestis.
Tractatus de veritate practica, & mendacio practico.
...... De virtutibus & vitiis.
...... De libero arbitrio.
Confectio saluberrima pro conscientiae sanitate conservanda.
Observationes Logicales & Naturales.
Expositiones super octo libros Physicorum, Priorum, & Posteriorum.
Abraham magno studio elucubratum in sexdecim libros distinctum.
Regula ex Sanctis Patribus ad intelligendam Scripturam.
Sermoni Quadragesimali.
De reformando anno.
Sermoni dell' Avvento.
Tractatus de mysteriis Missae.

norum cupiditate, ut vel Pontificatum Pisanum recusaverit? Quam animi magnitudinem admirans Cosmus, ajebat ceteros quidem amicos suos niti iis, quae a se accepissent, Tavantium autem attulisse ad amicitiam suam, quod non a Principe accepisset, nec accipere poterat. Quare minime est mirandum si ipsum cum quadam reverentia diligebat, & in beneficii loco duxerit, quod inter Theologos Stephaniani Ordinis cooptari siverit, onusque susceperit sacras habendi ad populum conciones quotannis in Adventu Domini in ejusdem Ordinis Templo. Atque haec munera per totos XXV. annos laudabiliter sane exercuit. Erat Pisis tanquam in patria, cum civitate illum Pisani

---

Expositio super Psalmos Davidicos.

Commentarium in quatuor libros Magistri Sententiarum.

Ager Dominicus, seu opus insigne super eumdem Sententiarum Magistrum, ubi omnium Scriptorum illius generis quaestiones Theologales compilantur viginti quinque voluminibus comprehensus.

De Correctione anni, tempore Gregorii XIII.

Quadragesimalia varia.

De Christi adventu.

Lectioni varie.

Orationculae ultra 300. pro laurea Doctoratus ab eo insignitis.

Un'orazione recitata al Papa a nome dell' Arcivescovo e della Città di Pisa.

Dixit hanc orationem an. 1575. cum Romam accessisset, ut Pisanae civitatis nomine dirarum expiationem ab majoribus neglectam, tandem a Summo Pontifice obtineret. Pisani non significandum solum, sed etiam declarandum putarunt nihil sibi potuisse esse gratius Pontificis indulgentia, & cum supplicationes decrevissent, in vexillo quodam Tavantii imaginem pinxere, ut posteri scirent, quo actore, auctoreque rem hanc impetrassent. A scriptoribus rerum Familiae Servorum B. M. V. alia recensentur scripta Tavantii, atque haec omnia minime in lucem, quod sane miror propter excellentem viri doctrinam & famam singularem, minime edita fuerunt.

honorificentissime decreto (1) donassent, ibique diem extremum obiit postrid. Non. Sextilis an. 1607. cum ageret aetatis annum LXXXI. Pisis laudatus fuit funebri oratione ab ejus collega Andrea Bellavita Canonico, ac plura posita monumenta tum in ea civitate, tum Florentiae, quae ejus in *Servorum* familiam, in Academiam nostram, & in divinas litteras merita eximia posteritati traderent.

Haud sejungendum putamus a Tavantio Laelium Balleonium Florentinum, qui ei similis fuit vitae instituto, honorum & studiorum cursu, neque inferior doctrina, animique virtutibus. Uterque saepius oblatos Pontificatus recusarunt, iis contenti honoribus, quos domi summos habuerunt a suis, quosque ut reciperent Romanorum Pontificum auctoritas, & familiae caritas effecit (2); uterque huic mirabilis utilitatis fructum praebuerunt; uterque eas artes & studia coluerunt, quae admirationem populorum excitant [nobiliores enim Italiae urbes concionando peragrarunt] uterque Theologorum principes habebantur & erant, & divinas litteras profitendo magnum decus addiderunt Pisanae Academiae. Balleonius ad illam primum venit an. 1598. metaphysicae magister cum stipendio LX. centussium, postquam Senis

(1) *Vide haec in Annalibus Servorum. De hac re etiam plura Bocchius narravit in Elogio Tavantii.*

(2) *Mortuo Librantio Sixtus V. jussit eum ad Familiae clavum sedere, neque multo post, an. videlicet 1591. creatus est Praepositus Generalis, ac triennio post (tum enim erat munus istud triennale) in Praefectura confirmatus. Si majorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis sapientis est, profecto nunquam satis laudari potest Balleonius, qui nulli labori pepercit, ut sui minime degenerasse viderentur ab Institutorum disciplina. Ad hanc Eremitas montis Senarii revocavit, & multa in posterum providit, ne ab ea abalienarentur. Eo spectat opus, quod inscripsit:* Decreta pro recte sanctaque instituenda vita FF. Ordinis Servorum; Florentiae *1593.* apud Philippum Junctam in 4.

& Bononiae suos erudierat tum in philosophia, tum in rerum divinarum scientia. Anno demum 1607. in Tavantii locum suffectus est, neque expediebat magis tum ad diuturnitatem gloriae familiae *Servorum*, tum ad celebritatem Academiae, quam talem ipsi dari successorem. Utriusque nomen mansit ad nostram usque aetatem, manebitque dum in pretio erunt litterae. Qua frequentia, quo studio, qua virtute ad Academiae dignitatem utilitatemque consenserunt! Caesar Bulengerius laudavit Laelium Latina oratione, cum universa Academia convenisset ad illius exequias cohonestandas. Improvisa enim morte correptus e vita decessit prid. Kal. Apriles an. 1620. cum ageret aetatis annum LXX. Restat nunc, ut de illius operibus dicamus, ne eam gloriam, quam iis majores nostri concesserunt, nunc in judicando severiores denegare videamur. Anno 1577. libellum emisit de *Praedestinatione*, biennio autem post alium *de Peccato originali*, quae argumenta, quae summa in theologia putantur, ita exposuit ac dilatavit, ut non solum harum rerum prudentioribus, sed & non satis in studio theologico exercitatis consuluerit. Perstrinxit Pelagianos, qui tum in bono ac recto exequendo, tum in malo vitando nimium hominis libertati, nec non eos, qui nihil tribuebant; agens vero de Originis peccato & Lutheranos & Calvinistas erroris convicit, probans per illud ita corruptum animum humanum fuisse, ut in miserrimas aerumnas inciderit, & in omne malum praeceps feratur. Alterum hoc opusculum nuncupavit Ferdinando Mediceo Cardinali, viro omnium, qui erant, fuerantque virtute, sapientia ac gloria principi, cui & spopondit se majora brevi editurum. Non huic modo, sed & Carolo Mediceo Cardinali fuit carissimus, quo auctore, dum Romae cum ipso erat, Pontificatum maximum gerente Paullo V. defensionem suscepit Ecclesiae, ut loquuntur, potestatis atque immunitatis adversus Paullum Sarpium, ceterosque Venetos Scriptores, qui summae iniquitatis condemnari Rempublicam ob latas quasdam leges haud debere affirmabant. Nihil iis temporibus celebratius fuit hujusmodi disputationibus, in quibus ita se gessit Balleonius, ut vulnus inustum Christianae Reipubli-

cae per Sarpium ab homine ejusdem familiae sanaretur (1). Sane minime fefellit opinionem eorum, quorum judicio ad pugnam delectus fuerat; & Summus Pontifex, qui exemplo poenae ceteros rerum publicarum Rectores deterrendos putaverat, non bene fortasse animadvertens exitum consiliorum suorum, minime veritus est, ne quid asperius fecisse videretur, laudatore & defensore Balleonio. Ob notissimam doctrinam animique magnitudinem delectus quoque is fuit ad coarguendos errores Marci Antonii de Dominis, qui decem editis libris de Christiana Republica sic disseruerat, ut potestatem illius regendae magna ex parte Romano Pontifici adimeret. Quid est sanctius, quid omni religione munitius, ajebat Balleonius, Summorum Pastorum auctoritate potestateque? Atque eo magis est furor hominis istius ab Catholicorum auribus repellendus, quod quae majores nostri religionibus tuta & sancta nobis esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactare, sed etiam ipsius religionis nomine evertere conatur. Verum quamquam & posset & vellet hominis audacissimi fraudes detegere, mors tamen ipsum impedivit, ne opus absolveret, ad quod contexendum magnam rerum & verborum sylvam comparaverat. Quoniam de hoc plura exposita sunt ab iis, qui de viris illustribus in Etruria natis scripserunt, reliquos persequamur, sed breviter; nam ineptus judicarer si multis verbis dicerem de hominibus nulla scriptorum fama posteritati commendatis.

Equidem existimo majores nostros aut non admodum sollicitos fuisse, ut qui ad explicandas res divinas vocabantur, Academiae nomen

---

(1) *Sic illius opus inscribitur*: Apologia contro le considerazioni di Fra Paolo da Venezia dell'Ordine de' Servi sopra le censure della Santità di N. S. Paolo V. e contro il Trattato de' Sette Theologi di Venezia sopra l' Interdetto di Sua Santità, divisa in due parti, dove si tratta della potestà e libertà Ecclesiastica, composta da F. Lelio Baglioni da Fiorenza del medesimo Ordine: Perugia per Vincenzo Colombara 1606. in 4.

fama sustinerent, aut quod probabilius reor, non satis vidisse quanto opus esset instrumento ad istud munus gloriose explendum. Libenter & facile concedimus Franciscanos illos Cornelium Martinum Ferrariensem, Dominicum Albitium Florentinum, Antonium Baldosium in Sardinia natum, Marianum Eugubinum, Franciscum Moritium de Monte Granario, Michaelem Angelum Cortonensem, Franciscum Lucianum Plumbinensem, &, qui ei successit, Laelium Marzarium Faventinum fuisse in theologicis exercitatissimos, sed quod nunquam prodierunt e Scholasticorum castris, nec posteritati servierunt, eorum memoriam haud injuria inobscuravit oblivio. Plures eorum vel Pisis, vel Florentiae, vel Senis munus exercuerunt Quaesitorum Fidei, & severe quidem ad averruncanda pericula & corrigendos errores, interdum etiam ad creanda fastidia, & extant litterae querelarum plenae ad Mediceos Principes tum eorum, qui severitatem animadversionis merebantur (1),

---

(1) *Ex multis unam, exempli gratia seligemus Fausti Soccinii ad Ferdinandum I. quae est hujusmodi.*

Se alcuno hebbe, o havrà mai bisogno della somma benignità & dell' intera giustizia di V. A Serenissima, senza dubbio son quello io. Poichè, se da essa non sono hora soccorso & difeso, farò agevolmente perdita di ciò, che possa perdere in questa vita. Laonde a V. A. & alle predette sue rarissime qualità & virtù, come di lei antico & divotissimo servitore, & fedelissimo suddito, con ogni debita reverenza confidentemente ricorro. L' Inquisitore di Siena non per accuse fattegli di mio delitto commesso mai in quello stato, ma perchè dice essergli venuto a notizia, ch' io mando alla stampa libri, & fo prediche & lettioni pubbliche & private contro la Santa Chiesa Romana (cose tutte falsissime & in gran parte ridicole) non solamente m' ha citato a comparire personalmente davanti a lui sotto atrocissime pene, ma subito ha messo mano in quei pochi beni, ch' io mi truovo nel dominio di V A. il che è ciò, ch' io ho al mondo, col comandare espressamente a Messer Cornelio Marsili di Siena mio fittuario & procuratore, che non mi paghi nulla, & col disporre del go-

Digitized by Google

tùm eorum, qui hac una de caussa suspecti erant, quod libertatem in philosophando probantes Scholasticorum tyrannidem insectabantur.

verno d'essi miei beni, come se già all'Inquisitione fossero devoluti: venendo insomma ad atti d'esecutione nelle cose mie, prima che contra me habbia ne egli, ne altri pronunziata sentenza. La quale se pur si pronunzierà, ciò non potrà mai essere, perchè ci sieno contro di me pruove sufficienti, ma perch'io non comparisca. Il che, per innocente ch'io mi sia, non posso fare senza evidente mia ruina, per la suprema & incredibile rigidità & asprezza, ch'ognuno san farsi contro chi per qualunque, benchè leggierissima, imputatione, non che gravissima, quali sarebbano queste mie, o vera o falsa ch'ella sia, si truova nelle mani dell'Inquisitione. Senza che io mi truovo troppo lontano, con una picciola mia figlioletta appresso, vecchio homai & infermo, ne atto a patire disagio alcuno. Supplico dunque humilissimamente V. A. Serenissima, che non voglia comportare, che quello, ond'io hoggi vivo, & è tutto nelle sue mani, mi sia o tolto, o impedito, non solo mentre che anchora non sono ne convinto ne condannato, il che è cosa pur troppo ingiusta, ma anchora s'egli averrà, ch'io sia condannato per lo mio non comparire. Poichè oltre alle già dette cagioni, che mi vietano del tutto il farlo, è contro ogni ragione, ch'io sia costretto a comparire in Siena, quantunque mia patria, per sospetto o imputatione di delitto commesso altrove. Il Serenissimo gran Cosimo di gloriosa memoria padre di V. A. essendo stato Cammillo Sozzini mio Zio & in Bologna, & in Siena condannato & scommunicato pubblicamente in contumacia per formarli accuse & testimonianze di delitti commessi ne'luoghi propri, volendo l'Inquisitione ultimamente procedere in Siena all'essecutione contro i beni, o almeno contro i frutti d'essi, non gliel permise in modo alcuno. Quanto meno adunque dovrà V. A. permettergliele contro i miei beni, non essendo io se non citato, o anchora se sarò condannato, come contumace, dovendo ciò essere fondato in semplici & falsi sospetti, & vanissime imputationi di delitti commessi in paese straniero! Et certo, quando V. A. si degnerà di volger gli occhi a guardare, quanto tal condannagione sia per essere ingiusta & fuor d'ogni termine di ragione, appena ch'io possa credere, che nello

Multa quidem, eaque gloriosa, Academiae nostrae munumenta recordantur de Laelio Mediceo Placentino, ipso quoque Minorita, qui theo–

---

stato suo ella comporti mai, ch' ella segua. Spero almeno, ch' oltre all' equità & giustizia della mia causa, l' esempio da me addotto nella mia stessa famiglia, & uscito dal suo gloriosissimo padre principe tanto savio & tanto devoto della Chiesa Romana, moverà V. A. a non mi lasciare spogliare così fattamente di totto il mio, & a non permettere, che un tale suo svisceratissimo servitore & suddito riceva nel suo dominio così estremo danno & ingiuria. Et che perciò ella per sua benignita farà fare comaodamento a M. Cornelio Marsili, che mi paghi il mio, & o pererà, ch' altri non ardisca così temerariamente impeditmi il legittimo uso delle cose mie. Di che, gittandomi a piedi di V. A. con ogni sommissione di novo la sopplico, aggiugnendo, che per l' incomparabile sua humanità, si voglia degnare tanto più prendere per se stessa, & mano regia a liberarmi dall'ingiusta oppressione, che mi soprasta, quanto meno per essere in ciò mescolata l' Inquisitione, sarà chi per me ardisca pur dire o rammentare a V. A. cosa alcuna. Che così farà insieme opera di principe veramente giusto & magnanimo, quale da tutti è conosciuta & celebrata; & io havrò cagione di riconoscere sempre da lei sola dopo Dio, il quale per l' avanzamento perpetuo della gloria di V. A. continuamente prego, la vita, l' honore & il sostentamento mio. Et con questo fine nella buona gratia di V. A. Serenissima me & la presente mia salute, la quale Dio li ha tutta posta in mano, devotissimamente raccomando.

In Cracovia il dì 14. di Decembre 1588

Di V. A. Serenissima

Humiliss. & Fideliss.
Servitore & Suddito
Fausto Sozzini

theologiam docuit ab anno 1588. ad annum usque 1603. Tum Piſis, tum Florentiae munus exercuit Fidei Quaesitoris, & apud suos tantam prudentiae opinionem habuit, ut nullo non honore dignus judicaretur. Multi quoque eidem laudem eloquentiae tribuerunt, sed praesertim divinarum rerum scientia excelluit, cujus extat monumentum eo in opere, quod editum an. 1606. inscribitur: *Pro tuenda Sedis Apostolicae authoritate Paulique V. ejus Capitis majestate*. Nemo enim ignorat quantis hujus generis scriptis ille Pontifex ob controversias, quas cum Venetis sustinuit, caussam dederit. Mortem Laelius Florentiae obivit ineunte Januario an. 1608. laudatusque publice fuit ab Augustino Vigianio e familia *Servorum* B. M. V.

Non minus inter Franciscanos Minoritas clarus fuisse videtur Jeremias Pellerius origine Romanus, ortu vero Florentinus. Divinis litteris Romae ac Senis operam dedit, Pontificias leges publice Neapoli interpretatus est, theologiam suos Florentiae docuit, ac demum an. 1615. ad hoc ipsum sustinendum munus Pisas vocatus est. Perstitit in eo ad annum usque 1625. quo III. Non. Septemb. in eadem urbe e vita migravit. Adeo quidem propria Coenobitarum iis temporibus putabatur theologiae cathedra, quasi ii soli omnium rerum caelestium naturam, caussasque noscerent, & omnem sancte vivendi rationem tenerent, ut perquam raro locus Presbyteris daretur. Ex his tamen claruit apud nos doctrinae fama Franciscus Astudilius Hispanus, cui satis praesidii fuit ad dignitatem & generis nobilitas, & laurea, quam a Collegio Doctorum Sorbonae obtinuerat. Triennium Pisis mansit, diebus festis theologiam docens ab anno scilicet 1563. ad annum usque 1566. quo tempore publice in urbe Florentia scholas habere coepit, tanta quidem discipulorum frequentia, ut a nemine victus fuerit. Nam vitae gravitas, & morum integritas opinionem, quam de illius doctrina omnes habebant, mirum in modum augebat.

Restat ut de Henrico Antonio Burgo dicam, de quo hoc praecipiendum videtur lectoribus, ne ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud majores nostros fuisse arbitrentur. Porro cum relatum legent

Burgum ea praesertim in re elaborasse, ut Henrici Gandavensis sententiae e situ atque tenebris, in quibus per tria prope saecula non sine squallore latuere, quamvis ipse *Solemnis Doctoris* nomine appellaretur, in lucem hominum revocarentur, dolebunt quodammodo usu obduruisse, & percalluisse majorum nostrorum incredibilem patientiam, ut scholas ab Peripateticorum petulantia liberare minime liceret. Sed ab initio est ordiendum.

Natus est Antonius Henricus honesto genere in oppido, quod a Derthona haud multum distat, cuique nomen Castrum novum Scripiae. Adolescens in *Servorum* B. M. V. familiam cooptatus multa ingenii & virtutis indicia dedit, ut de eo sui non solum bene sperare, sed etiam confidere possent in disertorum, ac doctorum theologorum numerum illum relatum iri. Cum Patavii philosophiae operam daret, opus contexuit *de physica ausculatione*, quod editum Venetiis an. 1589. plausus Scholasticorum commovit. Habitus & disertus fuit, neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus. Poesim quoque & musicen eumdem coluisse accepimus, suaque opera factum, ut hae artes in coenobia penetrarent. Postquam magisteria inter suos sustinuit, publice divinas litteras in Academia Ticinensi docuit, a qua ad nostram venit, ut in locum Balleonii succederet. Magna sane de illo opinio erat, eaque propter coactus est ea conditione summam familiae praefecturam suscipere, ne Academiam prorsus desereret. Illam gerente, Bononiae in vulgus emisit *Paradoxa theologica & philosophica Gandavensis* a se explicata atque defensa, quibus & corollarium addidit, (1) quasi satis lautus & copiosus antea minime fuisset. Peream, si cum haec legeris, minime in disputando principem illum posueris. Anno 1628. postquam per triennium universae familiae *Servorum* summa prudentia ac dili-

(1) *Illa edita fuerunt an. 1627. in fol. haec autem 1652. in 4.*

gentia praefuerat, rediit Pisas ad suum pristinum munus, neque multos post menses vitam finivit. Laudavit illum funebri oratione Paganinus Gaudentius, & ex titulo, quem illi fecit (*luctus* enim *publicus* inscribitur) coniici potest, quantum damnum ex ejus morte (obivit hanc IX. Kal. Martias an. 1630.) omnes cepisse judicaverint.

Postquam de theologis satis dixi, non multa habeo, quae commemorem de Sacrae Scripturae interpretibus. Hi enim plerumque ex ipsorum theologorum, vel quod idem esse putabatur, metaphysicorum collegio eligebantur, & facile poterant utrique muneri satisfacere, cum diebus tantummodo festis & extra ordinem divini libri explicarentur. Num vero ea supellectile ornati essent, quam nunc exigere solemus ab hujusmodi interpretibus, minime affirmare ausim. Primus fortasse, cui sacras litteras apud nos publice interpretandi onus impositum fuit, eam eruditionem & elegantiam ad scholam attulit, quae plausus excitaret. Fuit hic Prosper Rossettus Florentinus e Familia *Servorum* B. M. V., qui sive ad divinas disciplinas, sive ad philosophiam, sive ad historiam, sive ad humaniores litteras (in bonis enim numerabatur poetis & oratoribus) animum intendisset, nunquam eum industriae suae poenituit. Magna cum gloria suos Patavii theologiam docebat, quando ad Academiam Pisanam vocatus fuit commendatione, vel potius testimonio Jacobi Tavantii, metaphysicae & sacrae scripturae magister, & quam tum primum habuit oratio, quae est in manibus hominum, de laudibus divinae sapientiae, & sententiarum copia & verborum elegantia probata ab omnibus illis fuit, qui teretes aures habebant, intelligensque judicium. Solitus utilia dulcibus miscere saepe de Hebraeorum poesi acroases ad discipulos habebat, & commostrans iis, quae mentes instinctu divino afflatuque concitae fuderant, eosdem secum supra caelum & sidera extollebat. *Haec*, ajebat, *eloquentiae primordia, haec penetralia: hoc primum habitu cultuque pectora nullis contaminata vitiis societatem sibi cum Deo esse voluerunt. Illae elegorum & lyricorum lasciviae, & jamborum amaritudines, & epigrammatum lusus malis moribus nati in ludicris exercitationibus sunt*

Digitized by Google

ponendi. Tali modo non solum ad litterarum, sed etiam ad virtutis studium, vir sane his nominibus comparandus cum paucis, discipulos suos inflammabat. Suum decus faciens servire gloriae Academiae multa parabat, quae illustrarent disciplinas, quas profitebatur, absolveratque jam atque ediderat *commentaria in Canticum Canticorum*. Sed cum esset in flore aetatis (nondum enim expleverat XLVI. annum) improvisa morte hominum luce orbatus fuit X. Kal. Sext. an. 1598. (1).

Vel antequam Rossettus ad Academiam vocaretur sacros libros privatim interpretatus est Hebraeus quidam Florentiae natus, nomine autem Franciscus Benedictus, cui pro abjuratis sectae erroribus an. 1575. tributum praemium fuit, ut aleretur in Collegio, ut vocant, Sa-

---

[1] *Haec reliquisse traditur*.

Giglio dell' Angelica Salutazione; Firenze per Filippo Giunti 1590. in 4.
Oratio ad Patres in Comitiis Generalibus sui Ordinis Florentiae 1582.
Oratio de laudibus Romae.
Oratio de laudibus Bononiensium.
Oratio gratulatoria pro electo summo Ordinis Praefecto Jacobo Tavantio.
Oratio de laudibus divinae Sapientiae habita Pisis an 1588. Florentiae 1589: apud Marescottum.
Oratio in funere Francisci Medicei M. D. E. in Aede Annunciatae Virginis. Florentiae apud Sermartellium 1587.
Commentaria in Canticum Canticorum Venetiis 1594. in 4.
Trattato dell' Orazione. Firenze 1599.
Carmina Latina & Italica, inedita.
Canzone del Petrarca, che comincia, *Venere bella*, tradotta in versi elegiaci.

Ex ea judicium facere potui Rossettum satis elegantem fuisse poetam. Omnis quidem elegantiae fuit studiosissimus, & sane non video, qui tum ei in hoc genere comparari potuerit.

pientiae cum annua mercede XXIV. centuſſium, & Hebraicae linguae rudimenta diſcere cupientibus traderet. Aucta poſtea ejus merces fuit ad C. uſque centuſſes (accidit id anno 1585.) & tum juſſus eſt abire collegio, neque multos poſt annos e vita quoque migravit.

Poſt hos an. 1599. juſſus eſt Laelius Balleonius diebus Jovis & feſtis ſacros libros interpretari, quod munus triennio poſt ſuſcepit Vincentius de Civitella Dominicanus, ac ſeptennio poſt Albertus Campana ex eadem familia. De illo multa & magnifica commemorantur in necrologio Florentini Coenobii S. Mariae Novellae (t), hujus au-

---

(t) *Haec habet necrologium*. F. Vincentius Civitella Magiſter Conventus S. Dominici de Urbe Veteri Profeſſus, poſtmodum facta eſt hujus Coenobii Filius. Vir prudens, bonus, & doctus quindecim annis magna cum laude, & diſcipulorum utilitate tum Philoſophiam, tum Theologiam Fratres docuit in Conventu Romano per gradus Baccalaurei legit. Dum in hoc Conventu Regentis munere fungeretur: quod officium duodecim fere annos exercuit, ejus facili methodo nobilium quorumdam Florentinorum excitavit ingenia, adeoque provocavit ad ſtudium, ut ipſorum quamplurimi in tantum profecerunt, quod brevi tempore aliorum Magiſtri & Doctores, inter quos & Praelati nonnulli effecti ſunt, & Cardinales. Nullus bonarum artium ac litterarum ad hanc Civitatem adventabat, cum quo praedictus Pater diſputationem non habuiſſet: fere omnes pro ſolutionibus difficultatum caſuum conſulentes frequenter ipſum adibant. Ferdinandus Medices Magnus Dux in quadam difficultate ſibi occurrente ſuum etiam reſcriptum tranſmiſit in Hiſpaniam, de quo magnam reportavit laudem, & honorem; unde factum eſt, ut poſtmodum apud hos Sereniſſimos Principes in magna fuerit exiſtimatione, qui ejus bonitatem, ac doctrinam mirum in modum extollebant. Methaphyſicam in Piſano Studio, deinde Theologiam in Sapientia Florentina magno cum decore ac religionis honore publice legit. Theologus Archiepiſcopi, qui ejus fuit diſcipulus, ac Civitatis effectus eſt. Ad Magiſterii inſignia excellentiſſimo Domino Joanne Mediceo procurante eſt promotus, & Sereniſſimi Magni Ducis Ferdinandi, ac Sereniſſimae Duciſſae Chriſtinae precibus apud Mon-

Digitized by Google

tem notior est etiam fama, quod non minui putavit theologi & philosophi auctoritatem, si poetica studia excoluisset, & nomen ab iis quaesiisset. Versibus enim Italicis, quos liberos dicimus, reddidit Pharsaliam Lucani, quod opus Venetis typis an. 1640. impressum fuit. Anno ante ipse naturae cesserat Patavii, aetatis annum agens LIII., cujus in urbis Lyceo per novem circiter annos, postquam Pisa-

---

tem Politianum acceptatum fuit ejus Magisterium cum omnibus gratiis, & privilegiis. Diffinitor fuit Capituli Generalis in Hispania apud Valentiam. Concionatus est non sine populi concursu, & laude in hac Aede, in Ecclesia S. Laurentii, Senis in Ecclesia cathedrali, atque alibi. Fuit hujus Coenobii Prior, quam Praefecturam cum magna Conventus utilitate in temporalibus, & spiritualibus laudabiliter gessit: sua autem diligentia magnum debitum extinctum est, omnibus & praecipue saecularibus se se gratissimus exhibebat: Principum benevolentiam sibi conciliabat. Illustrissimus Cardinalis Gonzaga, qui fuit ejus discipulus, scriptis ad eum litteris manu propria pro suo Theologo accersivit, et Serenissimi Magni Duces illum discedere non permiserunt. Quingentis Scutis cum bona licentia tum Protectoris, tum Generalis, Provincialis, & Prioris beneplacito emit Romae quinque loca montium, & cum eadem licentia reliquit censum pro librariae utilitate. Reliquit item Conventui trecenta scuta, quae ex proventu Lecturae cum Praelatorum licentia coadunaverat, construendi caussa quoddam aedificium in utilitatem, & ornamentum Conventus, intentionem habens Sacristiae multas reliquias, atque ornamentorum genera donandi. Erat omnibus valde familiaris, & gratus, & magnam hominum reperiebat opinionem, itaque ignoro an opinio scientiam, an scientia vinceret opinionem, & famam: erat diligentissimus custos rerum, & paratissimus omnium reddere rationem usque ad minutissimum quadrantem; compositus in omnibus suis actionibus, religiosis moribus ornatus, Jucundus, & suavis in conversatione, optima vigebat memoria: vixit quinquaginta & quatuor annos. Tandem pestilenti febre aggressus receptis Ecclesiae Sacramentis die 12. Maii 1629. tempore Capituli Provincialis obdormivit in Domino magno cum moerore totius Civitatis.

num reliquerat, divinos libros interpretatus fuerat. Testis est Papadopolus summa omnium commendatione, magnaque discipulorum frequentia munus hoc sustinuisse, etsi fere semper aegra valetudine fuerit, quia valebat eloquentia, philologia, omnique fere eruditionis genere. Neque minus tribuerunt testimonium virtuti & doctrinae illius Academiae nostrae Praefecti (1), ut inviti & pene coacti ei veniam concessisse videantur alio abeundi. Laelius quoque Marzarius Faventinus e Minoritarum familia, qui uberrime, & subtiliter de omni re divina disputare solebat, doctus sacrorum librorum interpres judicatus est. Hic non ultra annum 1623. vitam produxit, & cum satis ingenii haberet ad judicandum, suadebat discipulis suis, ne Graecas litteras, & Hebraicam & Chaldaicam linguas, quamquam harum omnium ipse expers esset, contemnerent ad assequendos sacri codicis sensus. Erat quidem Pisis, cum primum ad illas venit, homo in monte Libano natus, nomine autem Gabriel Gratia, unde studiosi habere poterant Chaldaicae linguae notitiam. Nemo autem ignorat quantos labores, quantosque sumptus impenderit Ferdinandus I. ad omnium ferme, ut ajunt, exoticarum linguarum studium provehendum, quam in rem typographium instituit, quo nullum in universo orbe fuit magnificentius atque illustrius (2). Talis enim erat in illo animus, ut ne inimici quidem queri quidquam auderent, nisi de magnitudine illius. Quoniam satis dictum putò de Sacrae Scripturae interpretibus, pergam ad reliquos, & institutum ordinem persequar.

---

(1) *De eo haec memoriae mandarunt*. Il Campana nel *1628*. e *1629*. non venne a Pisa, non lesse, e non tirò provvisione: si stampò però nel Ruolo, nessuno lesse per lui, e se li salvò la cattedra. E' padre di gran merito, pronto, vivo, modesto, di varia e bella erudizione, diligente, studioso, di bellissimo ingegno, e fatica volentieri. Ha letto 12. anni metafisica, ed in alcuni la straordinaria di filosofia.

(2) *De eo vide ea, que nos attulimus in Volum. XI. p. 176. Vitarum Italorum doctrina excellentium &c.*

Neminem equidem tam insipientem fore arbitror, cui non miseranda sors videatur studiosorum metaphysicae, cum deditos illos viderint vel inquirendis rebus, quae latent obscuritate involutae naturae, ad quarum intelligentiam ab hujus auctore minus habuimus instrumenti, vel instituendis quaestionibus futilitatis, summaeque levitatis plenissimis, quas ignorare nunc pro sapientia ducimus. Quapropter vereor ne quis me leviorem putet, quod tempus teram in perscrutandis monumentis eorum, qui haec docuere, in quibus cognoscendis nec suavitas, nec delectatio, nec utilitas potest esse ulla. Verum hoc est historici munus, ut parva aeque ac magna memoriae mandet, & quibus ab initiis, quosque per gradus & parta & aucta litterarum fortuna fuerit persequatur. Florens profecto (ut tum res erant) fuit fama Joannis Francisci Beati, qui a Benedicto Varchio, & Sixto Mediceo, qui eum praeceptorem Patavii habuere, ita laudatur, ut in bonis philosophis, doctisque theologis numerare illum minime dubitaverint. Non satis constat de ejusdem patria. Quamquam enim plurimi Venetum ipsum appellent, & Venetus nominetur in Doctorum nostrorum albo, pro certo tamen Echardus rerum familiae Dominicanorum, in quam Beatus adolescens cooptatus fuit, diligentissimus scriptor affirmat Tarvisii ortum habuisse. Praefuit quidem illius urbis coenobio, quod S. Nicolai dicitur, & quia in tradenda suis philosophia haud mediocrem famam collegerat, ad metaphysicam docendam in Lyceo Patavino semel iterumque vocatus fuit. Eamdem quoque disciplinam professus est Pisis, cum primum Gymnasii reseratae fores fuerunt, assignatumque illi stipendium fuit CC. centussium, quod raro datum est hujus ipsius disciplinae magistris. Porro singulari eum favore prosequebatur Cosmus, sed haud ita multum ejusdem opera frui potuit. Teste enim Jacobo Salomonio monumentum extabat Patavii, in quo haec erat inscriptio.

FRANCISCI BEATI VENET. THEOLOGI DOMINICAN.
VIRI DOCTISSIMI QUI OBIIT PISIS MDXLVI.
DUM IBI METAPHIS. PUBLICE PROFITERETUR.

Prae-

Praeter metaphysicae scripta quaedam reliquisse illum testatur Echardus *Commentaria in librum II. Physicorum*, *Tractatum de Pontificia Julii III. sublimitate*, nec non librum *de Casibus Conscientiae*.

Successit huic Hieronymus Ubaldeus Diruta Perusinus (1) qui an-

(1) *Antequam ille ad nos vocaretur, actum est de eligendo Dominico Pallavicinio. De eo extant Lelii Taurellii litterae, quas excribere haud pigebit, ut ex iis intelligatur quanta illis temporibus esset libertas, vel potius licentia opinionum.*

Magnifico Mess. Lottini.

Il Panciatichi mi disse ieri che la Duchessa di Ferrara li ha scritto raccomandandoli che vedesse d'ottenere che alle lezione della metafisica in Pisa fusse condotto dal Duca nostro Signore Mess. Ludovico Pallavicino, il quale dice essere valentissimo huomo, & haver letto in Ferrara fin che vi è stato lo Studio frequente con grandissima satisfazione degli auditori, e perchè io gli dissi, se gli è buono, perchè non lo tengono per se; risposemi che ha non poco pizzicato di scandalo per Evangelico, di che io m'andai immeginando subito che intesi la raccomandazione della Duchessa, ma alla metafisica credo non importi molto, come ne anco alla medicina l'Argenterio, & prima il Giachino, & hoggi qualche d'un altro; quel che più importa è, come io dissi a lui, questa lezione si suol servire da un Frate con 100. o 150 ducati, o quando sia eccellentissimo fino a 200., come fu il Beato, che un altro non si contenterebbe, nè forse potria vivere con questa provvisione; pur dissi, che ve ne scrivesei acciò ne parlaste con S. E. e se ne facesse la volontà di quella. Se costui fosse persona eccellente, potrebbevisi pensare; voi potete cnnoscerlo, anco potete averne contezza sicura da Mess. Sozin Benzi, e dallo Anotomista, e da altri, che troverete in Pisa, che lo avranno conosciuto *intus & in cute*, e poi che ne avrete avuto informatione, ne parlerete con S. E. acciò comandi quel che vorrà che se ne facci, e quel che si risponda vi piacerà di darmene un motto acciò che possi rispondere a chi me ne ha ragionato, & hammi detto che egli ha scritto alcune cose, e le vuol dedicare a S. E.; nè altro per ora.

Di Firenze il dì 28. Novembre 1548.

tea in patria Academia philosophiam publice docuerat. Ajebat hic nullius artis difficiliorem esse cognitionem, quam metaphysicae, quod a plerisque aliter existimabatur, idque se effecturum spondebat, ut quae multis ignota erant, & diffusa late videbantur, explicaret, coarctaret, atque disponeret. Porro nullus erat eorum, qui si sibi aliquid de hac disciplina ediscendum putarent, non mallent Dirutam audire, quam alios bene multos Scholasticorum philosophiae prorsus addictos. Naturae cessit an. 1555., monumentumque habuit Pisis in S. Francisci Aede a sororis filii pietate, in quo hic positus titulus fuit.

FRATRI HIERONYMO UBALDEO DIRUTAE

THEOLOGO CLARISSIMO ET IN PERUSINA

PISANAQUE ACADEMIIS VIGINTI ANNOS

NATURALIS DIVINAEQUE PHILOSOPHIAE

PROFESSORI EXIMIO

FRATER LEONARDUS RUBEUS THEOLOGUS

PATRUO DE SE OPTIME MERITO

FACIENDUM CURAVIT.

OBIIT A. D. MDLV.

Post hujus obitum jussus est una cum theologia res metaphysicas exponere Jo. Baptista Milliovacca, de quo supra mentionem feci; nam hae facultates ita conjunctae putabantur, ut qui in una excelleret, in altera quoque praestare judicaretur. Anno demum 1560. non

unum modo, sed binos habuit Doctores sibi unice addictos metaphysicae cathedra, Hieronymum de Cordona Hispanum, & Joannem Baptistam Librantium Butriensem e familia *Servorum* B. M. V. Laboris multi, peracris ingenii, doctus vir, & optimis studiis deditus erat Librantius, omniumque judicio probatus discesserat ab Academia Bononiensi, in qua per quinquennium Aristotelicam philosophiam e superiori loco explicaverat. Hunc vero deditum sibi adeo obstrictumque habuit Academia nostra, ut per totos XXVIII. annos illius opera usa sit egregia. Quare aegre tulit vocatum ipsum fuisse ad universae *Servorum* familiae regimen suscipiendum, in quo cum pro sua singulari prudentia omnibus satisfaceret, hominum luce Romae privatus fuit. Ne tanti viri memoria periret haec in Urbano Templo S. Marcelli posita inscriptio fuit.

F. Jo. Baptistae Librantio Butriensi Phil. ac Theol. celeberrimo ob vitae integritatem et miram omnium Scientiarum peritiam Ord. sui splendori postquam divinam Arist. philosophiam per V. annos Bononiae, per XXVIII. Pisis publice explicavisset Servitarum Generalatum unanimi Patrum consensu adepto, secundo hujus magisterii, et aetatis suae anno LXIV. XII. Kal. Aprilis MDXC. VI mortis erepto Pii Patres Butrienses benemerito posuere.

Librantio docente consuluit quoque metaphysicae studiosis Franciscus ille Venturinius, de quo alibi commemoravimus, eodem vero Romam accedente, vicarius illius muneri successit Prosper Rossettus (1)

(1) *Extant in Florentina Bibliotheca Servorum Rossetti Metaphysicae Institutiones, quas Pisis explicavit.*

hoc autem mortuo, ejus locum occupavit Jo. Baptista Costaccius de Visso (huic oppido in Picentibus nomen) Augustinianus homo, qui post se reliquit libellum *de ente & essentia*, & quaedam Italica carmina, omnia autem haec nullius pretii. Hic vitam in patria amisit aestate an. 1618. sexagennario major, dumque suum munus exercuit, collegas habuit praeter Rossettum, Andream Bellavitam Pisanum, virum philosophia & humanioribus litteris doctum (1), Laelium Balleonium, Vincentium Civitellam, & Albertum Campanam, de quibus omnibus aut supra diximus, aut alibi dicendum erit. Cum an. 1618. obtulisset operam suam Cosmo II. Aegidius Nuccius Pistoriensis ex Augustinianorum familia, cui quodammodo jus esse videbatur, ut alicui suorum locus in Academia daretur, satisfactum ejus votis fuit, docuitque metaphysicam ad aestatem usque an. 1627. quo vitam finivit. Hisce temporibus oborta luce, coepit philosophia a somno excitari, fraudata tamen suo honore fuit metaphysica, quod judicabatur hanc non posse edoceri, nisi ab iis, qui in claustris, & in Scholasticorum sordibus totam vitam contriverant.

(1) *Hujus extat* Oratio pro exordio Studiorum ad illustrissimam & excellentissimum Cosmum Medicem M. E. Principem: Florentiae apud Cosmum Junctam 1603. & 1604. in 4. *nec non* Panegirico al Serenissimo D. Ferdinando Medici G. Duca di Toscana. In Firenze 1604. in 4.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Juris Pontificii Magistris.

CUM de Jurisconsultis superioris aetatis diximus, multos sane laudavimus, qui consilio ac sapientia regere ac gubernare rempublicam potuere, multos, qui amplissimis honoribus decorati fuerunt, cum essent studio juris prudentiae maxima proposita praemia vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ea propter mirari non debemus, si nemo fere laudis ac honorum cupidus adolescens non sibi ad eam addiscendam facultatem studio omni enitendum putavit. Quo quidem in genere ita multi excellentes homines extiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae vehementius videatur, quin, quod voluerit, consecutus sit. Non enim tantum oneris tum imponebatur Jurisconsultis in maxima praesertim occupatione urbis ac vitae, nihil ut eis liceret nescire de omnis antiquitatis historia, de moribus majorum, de veterum philosophorum institutis, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de omnis aequitatis genere, & de ratione constituendarum & regendarum rerum publicarum. Tum facultas omnis modicis adeo regionibus circumscripta erat, ut tantummodo in judicia & in disputationes scholasticas, tanquam in aliquod pistrinum detrudi & compingi videretur. Nihilo tamen minus tantum, ut diximus, tribuebatur jurisconsultis, ut ad gubernacula civitatum prae ceteris vocarentur, & in concionibus, & in sententiis dicendis plurimum eorum valeret oratio, & cum aliquid promebant ad persuadendum ex veterum legum codicibus, tum stultis, tum prudentibus vere ac sapienter dixisse videren-

Digitized by Google

tur. Consequentibus temporibus cum omnia apud nos unius imperio subjecta fuissent, etsi maximo in honore esset juris prudentia, non parum tamen suae pristinae dignitatis amisisse visa est, cum in libera civitate non amplius dominaretur, neque eam reipublicae partem gereret, in qua non de imperantis voluntate utilitateque, sed de aequitate & jure quaerebatur. Quos igitur in posterum recensebo Jurisconsultos, si cum veteribus conferes, minus illustres tibi fuisse videbuntur, quod eorum multorum vita remota ab administratione reipublicae fuerit, & quod aliarum disciplinarum dote, quam profitebantur, scientia locupletata atque ornata, difficilius erat in ea excellere, & ab ea famam colligere.

Hoc quidem omnes dant Cosmo enituisse in eo singulare acumen atque dexteritatem ad noscendos homines, adhibendosque ad res suas, cupiensque satisfacere pontificii juris studiosis, & consulere Academiae decori, binos statim hac in facultate elegit magistros, qui Ecclesiae militarent, (1) quique omni doctrina & virtute essent ornatissimi. Henricus Ormannius Ormanni F. Volaterris an. 1485. nobili genere natus, prodierat ex Raphaelis Maffei, cui Volaterrani cognomen, Academia, & ex Philippi Decii schola, a quo an. 1516. Pisis doctrinae insignibus ornatus fuit. Is etiam nonnihil se exercuerat in docendo [2], plurimum vero in judicando, eo praesertim tempore, quo

---

(1) *Quod ad Ormannium pertinet vel ab an. 1515. declaratus ille fuerat Volaterranae Ecclesiae, ut dicunt, Canonicus Supernumerarius, ut ex hoc monumento patet*. Congregato Capitulo &c. habito respectu ad virtutes ac mores D. Arrigi Ormanni Arrigi Clerici Volaterr. Juris Canonici periti, & Plebani plebis de Nigra Volater. Dioeces. . . . . misso partito per fabas nigras unanimiter obtento elegerunt in Canonicum supernumerarium Volater. absque tamen praejudicio aliorum Canonicorum priorum & Capituli eumdem Arrigum Ormanni Arrigi &c.

[2] *Iis temporibus erat Volaterris quaedam Lycei species; ejusque civitatis Epi-*

Francisco Minerbetto Aretinorum episcopo vicariam operam praebuit in gubernanda Dioecesi. Itaque discipuli illum mirabiliter acceperunt, & studiosissime coluerunt dum Pisis & in vita fuit, quam amisit mense Majo an. 1547. Ille alter vero Franciscus Coscius nobilis Senensis, vir sane auctoritate gravis, & gloria clarus majorem etiam admirationem in iis, qui illum audierunt, movit, ut neminem illi superiorem ponerent. Quod ipse vel a pueritia aliquid semper adquisierat, quod spectaret & valeret ad sancte beateque vivendum, doctrinae decus omne virtutis jungens, ita erudiebat adolescentes ad majorum disciplinam & Ecclesiae instituta, ut nullam esse legum scientiam, nisi eum, qui possideret, meliorem faceret, facile judicarent. Ac multis non monentibus solum, sed etiam rogantibus libenter assensus est, ut quae solebat in schola tradere, in lucem proferret. Aperuit igitur ea capita de *constitutionibus, de officio delegati*, *& ejus*, *cui mandata est jurisdictio*, unde primum ex instituto Academiae suas acroases, suasque disputationes duxit. Alia se emissurum spopondit (1), quae non in vulgari prudentia sita essent, & quae magnopere pertinerent ad vim & naturam juris patronatus, ceteraque hujusmodi, quae

---

scopus potestate gaudebat laurea eos decorandi, qui studiorum curriculum confecerant. Decretum itaque mense Sextili 1539. ab iis fuit, qui Lyceo praeerant, ut conducatur, & conductus esse intelligatur pro tempore unius anni ad legendum unum ordinarium in jure civili qualibet die, demptis diebus festivis & ordinariis vacantibus, Dom. Henricus Hormannus Canonicus Volat.

(1) Super l. Primam Digestorum de offic. ejus cui mandata jurisdictio, *quod commentarium cum eo de officio Delegati aliisque Senis editum fuit an. 1547. per Franciscum Simeonis & Socios. Haec Cosmo nuncupans, confidenter de iis dixit*: Qua ex re id me consecutum video, ut nemo adhuc, quod sciam, tam fuerit invidus, tam alieni laboris reprehensor, qui eas lucubrationes, & vigilias nostras auspiciis tuis in lucem editas improbare sit ausus &c.

plerumque in judicium venire solent. Sed eorum pleraque tantummodo inchoata reliquit Mario fratris filio, de quo haec scripsit Celsus Bargalius (1): *Habuit quem imitaretur, Franciscum nempe patruum Jurisconsultissimum, Senensis Ecclesiae Decanum, almique hujus collegii vicarium quondam dignissimum, non modo Senis & Pisis facundissima, doctissimaque juris canonici interpretatione clarissimum, sed in omni Italia libris in lucem editis celebratissimum*. Inter hos erat *Affinitatis arbor* quaedam, quae magnopere placuit juris canonici studiosis. Carus ille Marco Antonio Campegio Cardinali, viro auctoritate, & plurimis artibus atque virtutibus ornatissimo, cui Grossetanae Ecclesiae regimen commissum erat, vices ejus absentis hac in re gessit, & Praeposituram, ut loquuntur, in ipsa exercuit. Sed haec accidere antequam in patria aliis hujusmodi muneribus fungeretur, & ad Academiam nostram accederet, in qua dum docuit (docuit autem ab an. 1543. ad annum usque 1547.) in omnium oculis fuit, non modo propter praestantiam doctrinae, sed etiam quia nunquam verbum ex ore ejus excidit (quod rarum erat in illius aetatis magistris sane in lacessendo procacibus) unde quisquam jure posset offendi. Senio confectus mortem in patria obivit an. 1556.

Eidem juris Pontificii cathedrae secundo renovatae Academiae anno praeesse quoque voluit Cosmus Vincentium Godemium patre Nicolao, nobilique genere an. 1503. Pistorii natum. Is vel ab adolescentia cum totum se dedidisset Hippolyto Mediceo Card., tanto amore ac studio in ipsum fuit, ut munerum amplissimorum, quae ab eodem gerebantur, non adjutor solum, verum etiam socius videretur. Itaque dum

(1) *In fin.* tract. de Dolo *per ejus fratrem Scipionem publici juris factum Hanover. p.* 796.

dum is Pontificis Legatus praeerat Umbriae, Godemius Interamni & Tuderti gubernacula tenuit. Sunt qui tradunt illum iter in Germaniam facientem secutum quoque, & tum Equitis Aurati, Comitis Palatini & Protonotarii Apostolici titulis decoratum fuisse. Sane dum Hippolytus vixit omnis actio, ratio, cogitatio Godemii nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua & grata in illum voluntas, mortuo autem, omnis illi aetas fuit ad amplissimi hominis erga se & litteratos omnes merita praedicanda atque recolenda. Tum coepit otium & tranquillitatem spectare; cumque in patriam secessisset, uxorem duxit Elisabetham Modestiam Jacobi clarissimi Jurisconsulti filiam, ex qua tamen nullos suscepit liberos. Quae ipse praestare potuit, ut Pistorienses sui nunquam amitterent fidem in Cosmum, & ne se abduci sinerent immoderata spe libertatis, & nonnullorum licentia, sane pro sua singulari prudentia & pietate in patriam studiosissime praestitit (1). Ob haec merita accersivit eum Cosmus in Lyceum Pisanum, effecitque ut Florentina civitas adderet etiam ornamenta dignitatis, cum civitate, & Consulatu Academiae per ipsum Cosmum institutae eumdem donasset. Inter haec notas, ut loquuntur, conscripsit *ad Francisci Accolti Aretini commentaria super I. II. & V. libro Decretalium, & ad commentaria Clementinarum Cardinalis Francisci Zabarella,* quae anno 1581. a Junctis editae fuere. Addidit his Augustinus Fontana (2) *Adnotationes ad Baldi, Ubaldi commentaria super Decretal.* quos cum legeris libros non dubitabis Godemium in claris Juris Pontificii interpretibus numerare. Ea propter hoc scriptum de illo epigramma fuit (3).

(1) *Vid. Salvium* lib III Hist. Pistoriens.
(2) Biblioth. part. I. p. 420.
(3) *Extat in fin. Comment. Zabarellae.*

Digitized by Google

Quod sim purgatus, tot sunt superaddita, virtus
Et labor, ingenium Pistoriense sapit.
Victor erat Cinus vivens. Vincentius ex quo
Nunc tibi Cinus abest, jam tibi Cinus erit.

Ipse & in foro, dum Florentiae fuit, versatus est, & in exercendo patroni munere non doctrinam modo, sed & fidem integritatemque suam omnibus probavit; cujus rei testem habemus Benedictum Varchium, &, qui res Pistoriensium historiae monumentis mandavit, Michaelem Angelum Salvium. Obiit Godemius, cum ageret aetatis an. 75., quorum sex tantum in publici Doctoris munere consumpsit.

Cum iis ad Academiam venit, vel potius rediit Paradisus Mazzinghius Florentinus. Nam antea in ipsa Doctoris munus exercuerat, & quod de ipso satis multa in superiori volumine diximus, nunc tacendum videtur. Qui illi collega fuit Petrus Antonius Neruccius Geminianensis prodierat e Schola Matthaei Neruccii, clarissimi Jurisconsulti, quem alibi quoque laudavimus, quique illi pater erat. De eo quidem eximia praedicat Jo. Vincentius Coppius annalium Geminianensium scriptor, qui in epistola nuncupatoria ad Antonium Malliabechium inquit: *Quis non admiretur Petrum Antonium a tam eximio Patre non degenerantem? Hic a Serenissimo Cosmo aequa mercede Pisas accitus primas in jure Canonico interpretando partes sine controversia consecutus est: in consulendo longe alios superavit; & prius civitati Pennae praefuit pro illustrissimo Alexandro [Mediceo] ac adolescens Florentiae Judex Mercaturae, & Praetor ad Forum Livii accessit*. Ex ipso Coppio scimus *Consilia* criminalia atque civilia ipsum edidisse; monumenta vero Academiae testantur plurimum & laudis & gratiae consecutum fuisse sive jus pontificium explicaret, sive consulentibus responderet in ea praesertim parte, qua cum jure civili illud ipsum conjungitur. Mansit apud nos ad annum usque 1556. quo fortasse mortem obivit.

Gratias egit Cosmo Jo. Baptista Castilionius Florentinus, quod

sua auctoritate se compulisset, ut, omissis forensium musarum angustiis, in quibus s tis s.b.i, superque sudatum erat, sanctiorem istam & augustiorem juris prudentiam coleret. Laus & fama illius haud mediocris fuit, quam antea sibi quoque comparaverat ab literarum humaniorum cultu (1), nec modo ab egregiae indolis adolescentibus frequentabatur, sed etiam a negotiosis, quibus consilia dabat plena fidelitatis atque prudentiae. Non ultra triennium operam suam navavit Academiae, & an. 1549. novi creati Juris Canonici Doctores fuerunt Nicolaus Beltraminius Senensis, Silvaticus Guidius Volaterranus, Antonius Ciofius Florentinus, & Benedictus Bonius Cortonensis, de quibus omnibus pauca nunc sigillatim dicemus.

Beltraminius an. 1553. a juris Pontificii cathedra ad ordinariam, ut vocabatur, civilis transiit, in eaque ad aestatem usque an. 1555. permansit. Antea quoque juris civilis studiosis consuluerat, cum ad Academiam an. 1546. accessisset. Quanquam de eo sileant rerum Senensium scriptores, nihilo tamen minus, teste Migliorio, laudem ei prudentissimi atque honestissimi hominis tribuere minime dubitabimus. Narratur quoque tanto fuisse acumine in disputando, ut aliquando Vannium, cujus alibi mentionem fecimus, quique doctissimus habebatur, obmutescere coegerit. Extat illius epistola ad Franciscum Mediceum data Senis exeunte anno 1574. qua de sua fortuna, deque cujusdam muneris tenuitate queritur, eumque enixe rogat, ut eandem voluntatem erga se susciperet, quam habuit Cosmus. Nam cum pater esset multorum liberorum, vix misere illos sustentabat.

Natus Silvaticus est an. 1512. parentibus Joanne Guidio, & Dorothea Inghiramia, quae familiae nobilissimae apud Volaterranos pu-

(1) *Edidit an. 1522. Venetiis librum, qui inscribitur:* I luoghi difficili del Petrarca nuovamente dichiarati, in 8. *In initio operis se grammaticam Etruscae linguae confecisse ait.*

Digitized by Google

tantur. Floruerat pater litterarum gloria, ejusque extat opus saepius editum, ac multorum laudibus celebratum *de mineralibus*, sed cum praesertim adamaret juris prudentiam, in hac sic erudiendum filium curavit, ut per eam fortunae velificaretur suae. Frater illi erat Jacobus, quo sic utebatur Cosmus, ut ei praesertim rerum suarum fidem habere videretur. Hujus itaque commendatione factum est, ut Silvaticus civilis primum, mox juris Pontificii magisteria in Academia obtinuerit, a qua an. 1556. ad Senenses Rotae Auditor, ut loquuntur, accessit. Sed minime tacendum est neque ad judicia, neque ad alias res graves gerendas illum fuisse aptum, quod scientia non valebat, & moribus erat difficillimis. Quapropter bene secum egit, quod in patriam remeaverit, operam dans liberis, quos ex Virginia Incontria suscepit.

Testatior est legalis doctrina Antonii Ciofii Florentini, de quo mira prorsus praedicavit Verinius junior in libro *de praemio virtutis*. Is per totos triginta annos utriusque juris leges publice interpretatus est, nec modo studiosos audiendi docebat, sed & consulentibus respondebat, tantoque in pretio ejus consilia habita fuere, ut non defuerint, qui illa edenda curarunt, duobus voluminibus per Bernardum Junctam impressis comprehensa, & Francisco Mediceo M. E. D. dicata. Homini, qui in caussis, & in negotiis, & in foro conterebatur, nunquam in mentem venit comptiorem juris prudentiam, quae tum Alciati praesertim opera in honore coeperat esse, excolendi. Satis illi erat leges & peritiorum hominum responsa cognoscere, quibus, vel cum caussa ad illum deferebatur obscurior, hoc assequebatur, ut nemini inferior & argumentorum inveniendorum exponendorumque arte, & acumine in occultissimis perspiciendis esse putaretur. Quaesitum aliquando ab ipso fuit, num laurea gratuita concedenda esset Professorum liberis, negavitque fas illis esse hoc in mercedis loco exigere. *Nae si tu filium suscepisses* (unicam enim susceperat filiam, quam in matrimonium dedit Baldello Baldellio, de quo supra mentionem fecimus) respondit illi Petrus Calefatus, qui multorum liberorum pater erat, *aliter consuluisses*. Cenotaphium habuit a Juliano Fratre

in claustro Florentinae Basilicae, quae Sancti Laurentii dicitur, in quo haec posita inscriptio fuit.

D. O. M.

Antonii Ciofi imago haec est J. C. celeberrimi, atque omni polita doctrina exculti.

Utrumque jus, spatio triginta annorum, Pisis voce subtiliter interpretatus est; quod etiam scriptis suis acuminis & eloquentiae plenis illustravit. Immatura viri subitaque mors ingentem dolorem attulit familiaribus & studiosis scientiae legum, orbatis repente & recondita Magni Doctoris eruditione, & morum suavitate singulari.

Julianus Frater monumentum hoc, loco impetrato a Magno Duce Francisco, summe amatore ipsius, honoris causa extruendum curavit. Vixit annos LIII. Mens. X. D. III. obiit Pisis VI. Kal. Januar. CIↃ IↃ LXXV.

Bonius an. 1550. socium habuit in docendo jure Pontificio extra ordinem Donatum Malegonellam Florentinum, & uterque aegre tulerunt sibi praeferri Jo. Baptistam Honestium Pisciensem, qui cum primum vocatus ad Academiam fuit (accidit id autumno an. 1551) locum statim obtinuit inter Ordinarios Doctores. Hic superabat illos doctrina, & fama multos vicit, quos collegas habuit, per quadraginta & amplius annos utrumque jus explicans in hac nostra Academia. Ejus stipendium ad DXXX. usque centusses pervenit, & amplissimis praemiis dignus putabatur, quod cum a prima aetate ingenium eximium nobilioribus studiis dedidisset, numquam conquievit, nisi aut primae, aut secundae partes omnium consensu in exercenda juris prudentia sibi darentur. Jure quidem illa Ciceronis pro Planco usurpare poterat: *equidem primum ut honore dignus essem maxime semper laboravi; secundo ut existumarer; tertium mihi fuit illud, quod plerisque pri-*

mum est, *ipse honor*. Forensium rerum labor, & scholae occupatio minime in eo constitit aetatis flexu, bonusque civis, maritus, gener, amicus, constans in omni officio vitae obeundo, opum contemptor, recti pervicax, & ad benemerendum de omnibus semper propensus beatissime in securitate animi vixit. Quapropter nulla suspicio esse potest amoris caussa ejus ſilias mentitas ſuisse, quae in illius monumento, quod posuerunt in nobilissimo Pisanorum Sepulcreto, haec scribi curarunt.

JOANNI BAPTISTAE HONESTIO PISCIENSI OMNI VIRTUTUM ET HONORUM GENERE CUMULATISSIMO, SED IN UTRIUSQUE JURIS ABDITISSIMIS MYSTERIIS ERUENDIS, QUO MUNERE PISIS PER XLII. ANNOS EST DEFUNCTUS, MAGIS INTER PRINCIPES, QUAM INTER SECUNDARIOS ADNUMERANDO ANTONIA ET ALEXANDRA OPTIMO ET BENEMERITO PARENTI MOESTISSIMAE POSUERUNT. DIES NATALIS KAL. DECEMBRIS CIↃ IↃ XX. ET MORTUALIS XI. KAL. MAII CIↃ IↃ XCII.

Simeon Petrus Pitta Pisanus Canonicus, & Martinus quidam Sancassianus ipse quoque nobilissima ſamilia Pisis ortus, an. 1553. Extraordinarii juris Pontificii doctores creati fuerunt. Quam diutissime & vixit & docuit Pitta; scriptum enim inveni an. 1618. libuisse Principi vacationem illi scholae concedere, quod optime meritus erat de Academia, quodque tum attigerat LXXXIV. aetatis annum. Biennio post naturae cessit, & anteactae vitae existimatio, & bonorum virorum testimonia in coetu illum collocarunt, qui patriae decus addidere. Nihil habeo quod commemorem de Sancassiano, qui vix nomine cognitus mihi est, neque nunc dicam de Hieronymo Malevolta Senensi, qui per annum tantummodo Pontificias constitutiones explicavit. Diutius enim ordinariae juris civilis cathedrae praefuit, quae ab eo ornamentum & decus accepit.

Primum locum an. 1557. tenere coepit inter ordinarios juris Ca-

nonici matutinos itterpretes Antonius de Praetis de Consilice Ravennatensis Canonicus, & Protonotarius Apostolicus, qui in suo munere permansit ad aestatem usque an. 1566. Eodem tempore vicariam quoque operam praebuit Archiepiscopis Pisanis, & aliquando Romam missus est, ut jura Abbatiae, ut vocabant, Alti Passus apud Romanum Pontificem tueretur. Non minus enim prudens in canonicis legibus (1), quam in tractandis negotiis putabatur. Jacobus de Comitibus recensuit ipsum inter claros Judices civitatis Florentiae, & Archiepiscopo Florentino Vicarium adfuisse testatur per novem continuos annos. Quo vero anno & quo loco vitam finierit neque illi, neque mihi compertum est.

De Joanne Baptista Concinio, qui iniit magisterium an. 1560. satis supra diximus; nec dubitari sane potest ipsum fuisse juris utriusque peritissimum. Hujus rei testem non modo Etruriam habuit, sed etiam urbem Mantuam, quo in loco Rotae, ut loquuntur, Auditor fuit. Si vero is appetentior famae fuisse tibi videbitur, memineris illius sententiae, quod etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur (2). Joannis Baptistae Patterii Pisani rubor studium excitavit, ne aliis electis inferior crederetur, nec sane mediocri cum laude assignatum sibi locum tenuit ad annum usque 1568. Officium erga Principem, & maturam petendis honoribus juventam prae se tulit Capponus Capponius, cum primum ad nos venisset an. 1563, neque pares illi esse potuere, quamvis aetate provectiores, qui biennio post electi fuerunt Laurentius Panatius Pistoriensis, & Hippolytus Seta Pisanus. Anno post additus illis fuit Alexander Vena, ipse quoque Pisis ortus, & Pisanorum habendam rationem Cosmus putabat, ut eos, qui diu

---

(1) *Huic tribuitur opus, quod inscribitur*: Clypeus Pastoralis, & de Jurisd. Episcopali editum in Vol. XIII. Tractatum Magnorum.

(2) Tacit. Hist. lib. IV.

Digitized by Google

nimium languerant fortunae iniquitate, ad laborem & laudem excitaret. Petrus Guerrazzius Pisanus an. 1569. ordinariam juris Pontificii cathedram conscendit, tenuitque ad annum usque 1572. Vel ab anno 1560. addictus Academiae fuerat Institutionum magister, & per quadriennium extra ordinem jus civile docuerat. Non in jure modo, sed & in disserendo prudentissimus habitus est, in eoque fuit gravitas & auctoritas plurima. Quanquam per totos octo annos, incipiens ab anno 1570. Vincentius Guidius Lucensis apud nos fuerit, nunquam tamen in Ordinariorum Doctorum numerum relatus est, neque ex hoc modo, sed ex tenuitate mercedis, quae ei pendebatur, conjici potest non magnam de illius doctrina opinionem fuisse.

Eodem tempore, an. videlicet 1573. juris Canonici cathedras occuparunt Franciscus Bertinius Collensis, & Silvius Perinianius Pisanus. De hoc nihil habeo quod commemorem, de illo autem & auctoritate gravi & doctrina claro satis dixisse videbor, si in medium afferam quae ipse mortem cogitans de se scripsit. Sacello enim in patria extructo apud Augustinianos, in quo ossa conderentur sui suorumque, hunc titulum fecit.

FRANCISCUS BERTINIUS J. C. IN PISANA ACADEMIA ANNIS XXXVI. MATUTINIS ET VESPERTINIS HORIS, TUM JURIS PONTIFICII QUAM CAESAREI ORDINARIUS INTERPRES, ET A SERENISSIMIS MAGNIS DUCIBUS ETRURIAE IN FORO MERCATORUM TERRAE MARISQUE CAUSARUM AUDITOR ET ASSESSOR CONSULUM, ET ADVOCATUS FISCI CONSTITUTUS POST FUNDATIONEM ET DOTATIONEM, IN QUO CORPUS DOMINICI PATRIS OPTIMI POSUIT, VIVENS ET MORITURUS HOC MONUMENTUM SIBI FACIENDUM CURAVIT. ANNO MDXCVII.

Post id vitam produxit ad annum usque 1602. cum penderentur illi ex aerario Academiae CCC. centusses, & haec quidem merces mediocris, si hominis dignitatem, & magisterii diuturnitatem spectes. Nam

Digitized by Google

Nam quadraginta fere ante annos venerat ad nos Caesarearum Institutionum magister.

Postquam in stadio Romanae juris prudentiae per decennium se exercuerat Jacobus Francisci Angelii Bargaei Filius, Pontificiam docere coepit an. 1572., triennio autem post rediit ad suum pristinum munus, in quo perseveravit, si tempora illa excipias, quibus apud Senenses amplissimos gessit magistratus, ad annum usque 1609. & tum pro mercede solvebantur illi D. centusses. Non modo Academia, sed etiam Angeliorum familia, quae Romae clara fuit, magna ab eo obtinuit ornamenta. Ex suis enim bonis an. 1605. pinguem, ut vocant, Prioratum Volaterrae & Plumbini instituit, qui honos inter Stephanianos Equites amplissimus putatur. Cum autem hujus ipsius Ordinis comitia Pisis an. 1608. haberentur, ipse Italicam orationem dixit, quae est in manibus hominum, ad collegas suos, exhortans eos ad splendorem ac decus praeclaris factis retinendum. Aetas hominis, gestique ab eo magistratus, sententiarum exornatio, elegantia verborum, vocis remissio magnam illi attulerunt dignitatem, ut nullius unquam exaudita fuerit libentius. Doctus erat Jacobus Graecis Latinisque litteris, cum musis se oblectabat, in mathematicis disciplinis haud mediocriter se exercuerat, & tam bene noverat Geographiam, ut nihil in hac facultate illi esset incognitum. Quod ad Juris prudentiam vero attinet, nulli eorum inferior erat, qui antistites esse putabantur, & omnes fortasse anteibat multarum rerum memoria, & complurium negotiorum usu, & exercitatio in eo intelligendi prudentiam acuit. Multis enim magnisque in rebus adhibitus a Mediceis Principibus fuit, cumque amplissima munera apud Senenses, ut diximus, exercuisset (Auditorem, & Justitiae Capitaneum vocabant) ob quae septennium & amplius a nobis abfuit, non solum ad tempus maximam utilitatem attulit, sed etiam exempla integritatis, innocentiae & aequitatis imitanda reliquit. Postquam his muneribus praefuit, an. 1592. rediit ad Academiam, cui quidquid esset se debere profitebatur. Et gratus quoque erat Pisanis, a quibus civitate & iis honoribus, qui nobilissimi putan-

Digitized by Google

tur, donatus fuerat. Agere inter homines, quorum utilitate & commodis nihil illi fuit antiquius, desiit exeunte Januario an. 1609. cum esset annorum LXIV. Filios reliquit Franciscum & Joannem, quorum uterque operam navarunt Academiae; Joannes autem, relicta Etruria, inter Romanos Praesules legi voluit, gestisque amplissimis muneribus, dibaphum fortasse consecutus fuisset, nisi oculorum lumen amisisset.

Diximus alibi de Camillo Venerosio Pisano, qui anno 1573. ordinarius juris Canonici interpres factus est, quo ipso anno Petrus Sanctoregulus, ipse quoque Pisis ortus, extraordinarius magister dictus. Nullius nominis hic fuisse videtur, neque aliter dicam de illius collega & cive Josepho Cervelliera. Cum ad nos venisset an. 1575. postquam judex sederat in Florentina Rota Quintilianus Mandosius Romanus, Bernardini & Catharinae de Magistris filius, primum statim locum tenuit inter ordinarios matutinos Doctores, tenuitque ad an. usque 1578. Iis temporibus, & ea in urbe natus, quibus summae proponebantur spes juris prudentiam profitentibus, hanc disciplinam sic excoluit, ut in optimis jurisconsultis haberetur. Neque minus Praefecti Academiae in eo suspexere doctrinam, quam diligentiam & virtutem, & ipse morem gerere volens adolescentium studio, qui illum attentissime audiebant, plura litteris mandavit *de Constitutionibus*, & *de officio Delegati*, quae publica luce digna habita fuerunt. Alia bene multa in vulgus emisit, quorum indicem contexuit Fontana in sua *Bibliotheca legali*. Non diu apud nos fuit, cum rationibus suis magis expedire putasset urbanis operam dare honoribus. Narniae, & bis usque Beneventi ei commissa fuit gubernatio, & hac in urbe vitam amisisse creditur an. 1593. Carus Paullo IV. illi a cognitionibus fuit, & cum, eodem mortuo, multos in se ingratos novisset, inde occasionem sumpsit conscribendi libri, ut in eo vitio nihil non inesse mali ostenderet. Cum vixisset ad summam senectutem valetudine optima, & sentiret ea aetate nulli se esse odiosium pro sua singulari facilitate, humanitateque, & comitatu nobilissimarum virtu-

Digitized by Google

tum, imitatus Ciceronem senectutis laudes celebravit, & in assidua commemoratione earum rerum, quas senes agere debent, ne extremum vitae actum, tanquam inertes poetae, neglexisse videantur, exempla a se ipso petere potuit.

Decus patriae & ornamentum civitatis appellabatur a Pisanis Josephus Bocca, homo sane prudens & innocens, nobilissimaque familia natus. Pater illi Antonius, a quo optime adeo educatus fuit, ut in flore juventae locum in patria Academia obtinuerit Caesarearum Institutionum magister. Sed praesertim Ecclesiae militare voluit, & Canonicus primum, mox Archipresbyter, eodemque tempore Vicarius Archiepiscoporum suorum Bartholomaei Junii & Caroli Putei id non solum fecit, quod sui muneris erat, sed etiam prolixe cumulateque fecit. Et si fuit aliquando odio ejus severitas majoris templi Aedili, ut calumniari illum minime dubitaverit apud Franciscum Magnum Ducem, crebritate & magnitudine beneficiorum sarcivit illatas injurias Ferdinandus illius successor, ut ex litteris ad hunc datis cognoscere potui. *Summae pietatis*, ajebat ipse, *summique amoris in patriam poenas, si ita placet, sufferamus, in nos crimina fingantur, nobis pericula comparentur: illud vero ferre non possumus, quod non desint auctores, duces, principes, qui damna atque dedecora optimae ac spectatissimae urbi importare adlaborent.* Diximus enim alias, quam inimico esset in Pisanos animo Franciscus Dux, cujus iniquitatem liberius fortasse, quam par erat, reprehendebat Bocca. Difficile est enim tacere, cum doleas. *Si laedimur*, in haec ferme verba scribebat Bocca ad Ferdinandum, *si accusamur, si in invidiam vocamur, date nobis hanc veniam, ut nobis libertatem tenere liceat, si minus liceat dignitatem*. Neque minus de Academia, quam de patria optime meritus est Bocca. Nam per triginta tres totos annos in ea jus Pontificium docuit, cum, ut diximus, explicasset antea Caesareas Institutiones, neque ab eo discipulorum ullus desideravit unquam doctrinam, diligentiam facilitatemque sermonis. Vel cum erat aeger & senex aderat omnibus studio, consilio, auctoritate; nam infirmitatem

corporis animi virtute superabat. Obiit anno 1610., & sepultus est in eodem illo monumento, quod in Aede Camaldulensium, quae S. Michaelis dicitur, patri posuerat.

Triennium apud nos mansit Petrus Soacius Patavinus, & cum tenuissima merces illi penderetur XXXXV. centussium, lautiorem quaesivit in Salernitano Gymnasio, a quo Messanam an. 1593. concessit, proposito quadringentorum aureorum praemio. In exercitationibus scholasticis multum operae solitus erat ponere, a quibus cessare coactus est, quod saepe aegra erat valetudine. Relictum nostra in Academia ab eo locum an. 1588. occupavit illius frater Thaddaeus. Hujus nomen illustre est penes Jurisconsultos. Multa enim edidit, quae utrumque jus explicant, quorumque omnium meminit in sua *legali Bibliotheca* Augustinus Fontana. Ex his quidem conjici potest nullam juris partem illi fuisse incognitam. Verum toto illo quadriennio, quo Pisis fuit, cum esset in flore juventae, nullis editis scriptis, ad hominum famam minime pervenerat. Collegit hanc in patria degens, & Patavinae Academiae operam navans. Ipse & caussas egit, & erat cum litteris Latinis, tum etiam Graecis, ut temporibus illis, eruditus. Monumentum extat apud Riccobonium (1), ex quo apparet Soaciorum familiam cognomen traxisse ex oppidulo, quod est apud Rhaetos, atque hos ornatissimum decretum fecisse, quo Petro, Thaddaeo, & Antonio Pisonibus Soaciis Fratribus omnia originis jura integra servabant. Non satis constare videtur quo tempore vitam finierit Thaddaeus. Profecto non ultra annum 1614. produxisse videtur, cum anno post ejus locum in Pandectarum cathedra occupasset Franciscus Pola. Ipse & Fratres mortis memores pararunt sibi marmoreum sarcophagum cum inscriptione in Eremitana Basilica, in quo illius cadaver conditum fuit.

---

(1) De Gymn. Patavino lib. III. c. 7. Patavii 1598.

Inter alienigenas, quorum opera usa est nostra Academia, haud mediocrem laudem meretur Julius Sanazzarius Ticinensis, cujus extat opus *de Sponsalibus & Matrimoniis* editum Ticini & Venetiis, magna ex parte contextum ex iis, quae Pisis docens ab an. 1604. ad annum usque 1608. discipulis suis tradiderat. Pendebantur illi pro mercede CCC. centusses, & majori etiam dignus videbatur, quod neminem diligentia & doctrina superiorem habebat. Par ferme illi aetate fuit Hieronymus Marlianus Genuensis, sed hic non ultra annum 1601. apud nos mansit, cum anno post a Magno Duce lectus fuisset in collegium Judicum Senensium. Vel ante hoc tempus Florentiae judicia exercuerat. Sic enim illum an. 1592. Rodulphus II. Caesar Ferdinando I. commendaverat, ut plurimum ejus fidei, prudentiae & doctrinae tribuere videretur. Neque hae laudes poterant esse obscurae, cum Marlianius ad gubernacula plurium civitatum sedisset, & quaedam etiam ad juris prudentiam pertinentia edidisset (1).

Sed domum, hoc est ad nostros, revertamur. Tenebat aures discipulorum suorum Philippus Bonaventurius Zanobio & Constantia Salvettia, nobilitate sane praestantibus, Florentiae natus VI. id. Martii an. 1530. quod adjungeret ad juris scientiam verborum elegantiam. Elegantiae quidem perstudiosum illum fuisse ex eo quoque conjici potest, quod socium se praebuerit iis, qui Furfureorum Academiam magno Etruscae linguae bono instituerunt. Erat etiam, ut temporibus illis, Graecis doctrinis institutus, & in disputando cum aliquo aculeo facetus. Ad haec Franciscus Ve-

(1) *De eo haec tradidit Jacobus de Comitibus*: Decis. Florent. Edidit Decisiones Corsicae, item repetitionem ad l. quoties c. de rei vindicat. Plura exercuit munera Vicarii Generalis Corsicae, Gubernatoris Parmae, Status Pallavicini, & Burgi S. Donnini, & summi moderatoris civitatis Novariae. *Quas commemoravimus commendatitias Rodulphi litteras retulit ipse in initium memoratae* repetitionis ad l. quoties, *quae extat in Vol. VII.* Repet. Divers. in jure Civili.

rinius tribuit illi laudem humanitatis, facilitatis atque innocentiae morum (1). Omnino vir erat, quo gloriari plurimum Academia nostra potuerit, in qua utrumque jus docuit ab an. 1582. incipiens per viginti novem ferme annorum spatium. Cum uxorem duxisset Agatham Albitiam, & cum in eo multa essent ornamenta, quibus mitigare molestias posset, quas secum affert senecta, hanc ita sustentavit, ut nullus honoratior esse videretur. Tum quidem virtuti honos tribuebatur, & hominum, qui in ea excellere putabantur, domus quotidie frequentia nobilium adolescentium celebrabatur. Naturae cessit ineunte an. 1611. cum ordinariam juris civilis cathedram regeret; dignusque habitus est, qui in illius locum succederet Attilius Corsius, de quo paullo post dicemus.

Non minus apud suos honoratus fuisse videtur Joannes Uguccionius Benedicti Senatoris filius, qui natus Florentiae XIV. Kal. Martias an. 1552. primam aetatem in omni praeclara arte addiscenda consumpsit. Postquam autem Pisis per triennium jus docuit, hanc ipsam facultatem exercuit in patria, caussas defendens; & quod omnis justitiae esset consultissimus, Cortonae & Pistorii urbes praetor gubernavit. Legationes etiam susceperat tum ad Venetorum Rempublicam, tum ad Caesarem, & pro bene gestis muneribus in Florentinum Senatum lectus fuit. Extant ipsius litterae ad Ferdinandum I. datae Venetiis an. 1592. cum primum illuc orator venit, quibus illum certiorem facit, se comitem itineris habuisse Galileum Galileium, atque huic oblatam conditionem fuisse docendi Patavii mathesin cum stipendio CC. circiter centussium. Homo prudens & gravis, qui singulari sapientia publicam dignitatem sustinuit, & sibi honori, & amicis utilitati, & reipublicae emolumento fuit, e vita cessit XV. Kal. Martias an. 1605.

Patriam quoque habuit Florentiam Attilius Corsius Antonii filius,

(1) Delle Maravigliose opere di Pratolino e d'Amore pag. 87.

Digitized by Google

cujus nota erat non tam in jure prudentia, quam in scribendo elegantia. Unica extat illius oratio, quam dixit in funere Caroli Antonii Putei Pisarum Archiepiscopi, quanquam & alios laudasse in Academia praesertim Florentina compertum habeamus. Naturae cessit VII. Kal. Novembris an. 1623. postquam per viginti & amplius annos utrumque jus apud nos docuerat. Inerat in eo ingenium satis acre, & orationis non inelegans copia, praetereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, & sine segnitia verecundus (1).

Vix doctrinae insignia acceperat Franciscus Alexandri Falconetti filius, & Stephaniani Ordinis Eques, cum an. 1600. profiteri jus coepit Institutionum Caesarearum interpres. Biennio post deseruit Academiam, ad quam rediit an. 1608. Pontificiarum constitutionum magister. Omnis elegantiae expers, nec bene in adolescentia institutus, quamvis ingenio non careret, ad alias res magis, quam ad magisterium aptus esse videbatur (2). In eo tamen diu perseveravit, neque

---

(1) *De eo hoc relatum legi*. Il Dott. Attilio Corsi fu condotto l' an. 1602. allo Straordinario Canonico con Sc. 70. e finiti li 4. anni ne ebbe 30 di aumento, e poi in capo a due altr' anni con aumento di Sc. 10. fu promosso all' ord. Canonica, dalla quale non forniti ancor due anni fu sostituito in luogo del Bonaventura, che passò all' altra vita dopo la prima terzeria, e seguitò di leggere in quell' anno la lezione dell' Ord. Civile della mattina con molta sua fatica, e l' anno seguente vi fu confermato per lettore ordinario con aumento di Sc. 40. che in tutto fanno 150. la quale essendo scarsa alla povera fortuna sua, & alle spese di mantenere il grado & l' honore della natione, e trovandosi il peso di una Sorella da marito, supplica V. A., havendo continuato nella detta lettura quasi anni tre di qualche aumento più proporzionato alla lettura, alle fatiche, & allo stato suo. Egli è Dottore molto studioso, di ottimo costume, grave, modesto, di memoria singolare, facondo, faticante, e dato del tutto alla lettura.

(2) *De eo haec retulit Hieronymus Sommaia ad Principem*. Il Cav. Francesco Fal.

discipuli unquam in illo diligentiam desiderarunt. Pisis decessit x. Kal. Apriles an. 1641. cum ageret aetatis annum LXVI.

Diximus alias quam bene de Academia meriti fuerint plures, qui ex Accoltorum familia Aretii & Florentiae nobili prodierunt. Hisce temporibus praefuit per sexennium cathedrae juris Pontificii Hippolytus, qui eodem illo anno 1592. quo a nobis discessit, jura familiae (natus enim erat ex Benedicto Accolto Cardinali & Ravennae Archiepiscopo) Principis indulgentia obtinuit (1). Neque in hac re solum ejus bene-

conetti Fiorentino ordinario Canonico ha 24. anni di dottorato e 19. di lettura, e cominciò subito dottore a leggere, ma intermesse alcuni anni. Ha belle parti di lettore, manca però d' alcune assai principali . . . . . onde volentieri s' applicaria ad altro purchè potesse portare avanti la sua numerosa e povera famiglia; & essendo prontissimo d'ingegno, e molto vivo e diligente, credo che squisitamente servirebbe V. A. in qualche altra carica proporzionata al suo talento e qualità.

(1) *His verbis scripsit Hippolytus ipse ad Belisarium Vintam.* Havendo letto 18. anni continui in Pisa, desideravo hora che mi son fermo in Fiorenza potere alcune volte come Advocato exercitare la professione siccome faceva Mes. Piero Arrighi Antecessore mio nell'Archivio, ma perchè al potere essere admesso nel numero di tali Advocati mi obsta l' illegittimità per esser figliolo di Cardinale, però mi è necessaria la gratia di S. A. siccome si è fatto negli altri; onde confidato nella molta cortesia che sempre mi ha mostro V. S. ho preso ardire inviarli questo mio memoriale; e con pregarla con ogni caldo affetto, che ai degni favorirlo presso S. A. acciò conseguisca il mio giusto desiderio.

Di Fiorenza li dì 2. Decemb. 1592.

Non unum Hippolytum filium susceperat Benedictus Cardinalis, sed Marcellum etiam & Fabritium. Hos omnes Cosmo I. quem bonorum suorum fecerat haeredem, moriens magnopere commendavit.

benevolentiam expertus est. Praefectus enim Tabulario Florentino, & multis magnisque in negotiis adhibitus, effecit, ut plus per se additum ad laudes familiae, quam a fortuna ademptum esse videretur. Egit quoque privatorum caussas, neque mediocriter sane valuit ad famam in foro obtinendam ipsum doctoris munus, quod in Academia per duodeviginti annos sustinuerat. Nam ad hanc primum venit an. 1574. Caesarearum Institutionum magister, post septennium autem extraordinariae juris civilis cathedrae praefuit, ac demum juris Pontificii. Summo enim studio & diligentia consecutus fuerat, ut omnium rerum, quae sunt in jure, satis peritus judicaretur. Naturae cessit Florentiae non. Martii 1597. cum ageret aetatis annum L.

Successit ei in Tabularii Florentini praefectura Leonardus Jacobi Accolti filius, qui eodem illo anno, vix doctrinae insignibus acceptis, coeperat Institutiones Justinianeas apud nos explicare. Vir honoribus amplissimis, fortunisque maximis eam in publicis negotiis administrandis tenuit apud Cosmum II. auctoritatem, ut nulla res magna sine eo gereretur, omniumque oculi in ipsum maxime conjecti essent. Consuluit & rebus Academiae ejus curae, mortuo Camillo Guidio, commissis, neque illum unquam susceptae rei poenituit. Homo enim erat valde acutus, & multum providens, leges & jura, quibus civitates regi debent, bene noverat, non expers erat humaniorum litterarum, quas Senis & Pisis excoluerat, omninoque tenebat artes, quibus hominum studia voluntatesque conciliantur. Vitam amisit exeunte an. 1631. cum complesset LX. aetatis annum.

Huic frater erat Petrus Accoltus, qui Pisis in lucem venerat V. Kal. Sext. an. 1578. Institutus prorsus ad cathedram fuit, quam obtinuit eodem illo anno, quo doctrinae insignia acceperat. De eo cum ad Principem an. 1624. referret Hieronymus a Sommaja, ait viginti tres ante annos laurea ipsum decoratum fuisse, in eo elucere ingenium & prudentiam tum ad consulendum, tum ad judicandum, diligentia, ordine, studio, animique virtutibus commendari, omninoque dignum esse honoratissimo loco. Laudem quoque eidem tribuit elegantiae in disserendo, &

Digitized by Google

tam haec laus, neglecta antea a plerisque doctoribus, necessaria videbatur ad magisterii dignitatem tuendam. Traditur praeter opus, quod Florentiae an. 1620. vulgavit cum hoc titulo; *Tyrocinium de jure & justitia*, scripta plura reliquisse, in quibus de aequo & bono, deque jure civili omni disceptatur. Erat autem Romae an. 1625. cum obtulit Summo Pontifici Urbano VIII. quem condiscipulum Pisis habuerat, donum operis *de Sponsalibus & Matrimoniis*, *& de Censuris*, sed obstitit mors, ne illud vulgaret. Cum vero vel a prima aetate mire studiosus fuisset earum artium, quae ad graphicen pertinent, quarumque incremento Academia, ut loquuntur, Florentiae instituta erat, in hac orationem habuit de laudibus Cosmi II. (1) deque rebus ab eo gestis pro earumdem artium bono. Quibus cum tam conducat nihil, quam prospectivae, ut ajunt, leges noscere, de iis edito libro (2) sic disseruit Accoltus, ut non tam picturae, quam geometriae se peritum ostenderit. Cum minime quoque expers esset poeticae suavitatis, semel iterumque disseruit in Academia Florentina de epigrammate illo Petrarchae, cujus est initium:

Quando dal proprio sito si rimove,

quarum dissertationum mentionem fecit etiam Salvinus Salvinius suis in Fastis Consularibus, ut & meminere ceteri, qui de illo scripserunt,

---

(1) Delle Lodi di Cosimo II. G. Duca di Toscana, Orazione di Pietro Accolti Dottore di Leggi, Accademico Fiorentino e dell' Accademia del Disegno, recitata pubblicamente in detta Accademia il dì solennizzato da essa a S. Luca suo Protettore; in Firenze 1621. *Extat etiam in Vol.* VI. delle Prose Fiorentine.

(2) L'inganno degli occhi: Prospettiva prattica di Pietro Accolti Gentiluomo Fiorentino, e della Toscana Accademia del disegno. Trattato in acconcio della pittura; Firenze presso Pietro Cecconcelli 1625.

studii, quod contulit ad vulgandam Historiam Benedicti Accolti de bello a Christianis contra Barbaros gesto. Ex Eleonora Spinia multos suscepit liberos, vitamque Pisis amisit prid. id. Martii an. 1627.

Quoniam sic ago, ut neminem praetermittam eorum, quorum opera usa est Academia, non video cui suorum cedere debeat Petrus Nicolajus Pisanus, qui attulit ad scholam diligentiam & studium singulare. Inquies fortasse; non quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit ponderandum est, & dum pauci pingere egregie possunt & fingere, operarii autem & bajuli nunquam deesse possunt. Volo autem hoc mihi concedi in tanta multitudine Doctorum, etsi non ita multi fuerint, qui magnum nomen habuerunt, quique digni sint, quorum memoria posteritati propagetur, nullos tamen extitisse, qui non aliqua laude commendarentur, in quibus commemorandis illud assequor, ut intelligas minime curam defuisse Mediceis Principibus, ut haberet Academia, & qui gloriam illi parerent, vel partam tuerentur, & qui utilitati discipulorum servirent. In quo quidem Nicolajus per totos viginti annos nunquam passus est desiderari officium suum. Obiit an. 1608. in ipso docendi munere exequendo occupatus, cum esset sexagennario major.

Anno post e Lusitania ad nos appulit Antonius Dias Pinto, cui assignatus fuit secundus post Corsium locus in ordinaria & matutina juris Canonici cathedra cum stipendio CL. centussium. Sed brevi dignitate & commodis auctus est, cum jussus fuisset Romanas leges interpretari, quarum illo neminem peritiorem esse constabat. Nihil dicam de ingenii acumine, cui par nemo fuit. Quare minime est mirandum, si Cosmus II. postquam per octo & amplius annos operam Academiae tribuerat, judicia illum exercere Florentiae voluerit eo in collegio, cui Rotae nomen est. At ille splendorem doctrinae inquinavit professione impietatis. Repente enim palam omnibus fecit se natum esse Hebraeum, hujusmodi sectae se semper, quamvis occulte, ne capitis periculum adiret in patria, adhaesisse, nec eam unquam deserturum. Post id Etruriam reliquit, &, ut est in Actis Academiae, *peregre profectus est*.

Digitized by Google

Nescio equidem unde his temporibus studium extiterit plures addicendi Academiae, qui in Lusitania nati erant, quorumque fides suspecta esse debebat. Ex his Benedictus Pinellius coepit an. 1610. Pontificias leges explicare cum extraordinario penso Feudorum etiam cathedrae satisfaciendi. Habes scriptum bene longum (1) hominis utinam non impudentis, illud quidem certe non nimis verecundi, quo probare nititur se in Conimbricensi Academia Bacalauratus, ut ajunt, insignibus decoratum, postquam per multas horas centum usque theses duo ferme millia difficillimarum quaestionum complectentes publice defenderat, anteire debere Pisanis Doctoribus. Sed hujusmodi disputationes movere nos minime debent. Illud quaerendum, qui quantusque jurisconsultus fuerit Pinellius, & ex ejus libris *Selectarum juris interpretationum, conciliationum, ac variarum resolutionum* editis tum Venetiis, tum Lugduni colligi quidem potest fuisse illum omnis juris peritissimum (2). Quare de illo retinendo plurimum adlaboratum est;

---

(1) *Extat in Tabulario Acad.* Filza di Negozi dal 1610. al *1612. Memoriae autem prodidit a Sommaja.* Comandò S. A. che il Pinto ed il Pinello si addottorassero, e che si retrocedessi il Dottorato, e gli valesse dal dì del Licenziamento.

(2) *De eo haec an. 1618. qui fuit magisterii Pinellii postremus, retulit Academiae Curator.* Benedetto Pinelli Portughese ordinario civile della mattina con Sc. 300. Ha letto anni 8. quattro ordinario canonico e quattro civile: è uomo molto dotto, e dato a stampare e consultare, ma però non abbandona la lettura, nella quale ha acquistato da pochi anni in quà gran reputatione, e par continuamente l'aumenti: stampò un opera legale, che dedicò a V. A. e chiamò *Selectae*, e ne acquistò honore, & ha da stampare altr'opere, che pensa dedicare a loro Altezze. Ebbe l'ultimo aumento di Scudi 100. & per quanto intendo gli parvero pochi, & ne fece molto rumore, & perciò credo che essendo cresciuto di famiglia e di credito nella sua professione pretenda più, & che volendolo tener quieto, come credo convenga al servitio dello Studio, bisogni pensare a fermarlo potendo per 5. o 6. anni, & concederli un aumento di Sc. 200. & così assicurarsi per lungo tempo d'un de' primi lettori d'Italia.

verum neque praemia, neque honores (offerebantur enim illi D. centusses & primus inter Ordinarios magistros locus) valuere ad alliciendum inconstantem hominem.

Fuit apud nos Pinellius alter nomine Georgius, qui extraordinarii titulo decoratus est, quamvis Institutiones Caesareas interpretaretur. Neque multo post jus criminale docuit, sed ad breve tempus, cum biennium tantummodo apud nos mansisset, quanquam opinione doctrinae commendaretur. Post id munera exercuit amplissima in urbe Florentia (1), quae alienigenis jurisconsultis tum dari consueverant, quibus gestis, tanquam emeritis stipendiis, ad Academiam rediit an. 1624.

Fuerunt certe Jurisconsulti Alexander Sammiuiatellius & Paullus Ruschius Pisani, quanti autem & quales tu judicaveris. Inquies fortasse, videri tibi idcirco eos locasse operam Academiae, ut a me in Jurisconsultorum numerum referantur. De iis quidem sic existimo, facultatem ad scholam attulisse, quae tum requirebatur (2) quam quidem studio non mediocri exercitationibusque maximis fuerant consecuti. Uterque operam dederant Hieronymo Papponio, actori summo caussarum & magistro, uterque in disputationibus se exercuerant, u-

---

(1) A dì 16. Gen. 1617. D'ordine di S. A. elessero in Auditore del Magistrato Supremo Giorgio Pinelli Portughese al presente uno de' Giudici del Consiglio di Giustizia

A dì 10. Settembre 1624. d'ordine di S. A. elessero in Auditore Francesco Fontana &c in luogo del Dr. Giorgio Pinelli, quale dalla prefata A. S è stato provvisto di una lettura d'ordinario civile per la mattina con stipendio di Sc. 600.

(2) *De Ruschio Canonico Pisano, & Equite Stephaniano haec Academiae Curator scripto mandavit.* E' diligente e assiduo nel leggere, e di buona e soda dottrina. *Nihilo tamen minus tantis beneficiis se Academiae minime obstrictum esse sensit, quia ab ea an. 1638. aetatis excusatione honestam missionem petierit, obtinueritque contentus annua pensione L. centussium.*

terque ea tradebant discipulis suis, ut neque corrigi potuissent, neque doceri. Samminiatellius, qui citius in vitam ingressus fuerat, ex hac discessit an. 1610. Ruschius autem naturae cessit an. 1640. ineunte Martio, cum ageret aetatis annum LXVII.

Petrus Girolamius Florentinus excellens omni genere laudis sic jus Pontificium ab an. 1510. ad annum usque 1619. in Pisana Academia docuit, ut non solum interpretis fungeretur munere, sed & ea, quae in controversiam vocabantur a celebrioribus jurisconsultis, exponeret, eisque suum judicium, suumque scribendi ordinem adjungeret. Nil tam gloriosum putabat quam bene de Catholica religione, de patria, & de Academia mereri, & cum talis in eo mens ad res publicas gerendas, quale ingenium ad bene dicendum fuisset, an. 1631. Senator Florentinus creatus, illi magna cum laude praefuit muneri, cujus est videre, ut a boni & aequi studiosis hominibus loca, quae sunt in ditione Magni Etruriae Ducis, gubernentur. Adeptus quoque est amplissimos dignitatis gradus in Stephaniano Ordine, in quem ab adolescentia fuerat adscriptus. Omnino & pro familiae amplitudine, & pro sua virtute & doctrina fuit & honoratus & nobilis. Anno 1624. uxorem duxit Elisabetham Baccelliam, ex qua nullos habuit liberos. Mortuus autem Florentiae est III. Non. Septemb. an. 1672. cum esset decrepita aetate. Natus enim erat an. 1583. parentibus Leonardo Girolamio, & Laura Orlandinia, ex qua & bona & cognomen habuit. Patriae linguae illum mire studiosum fuisse affirmat Carolus Corsinius in ea epistola, qua ei suam Italicam interpretationem Sallustianae historiae de Catilinario bello nuncupavit. Quod in primis respicientes Academici Florentini summam dignitatem (Consulem vocabant) illi tribuerunt, in qua obeunda orationem dixit editam Venetiis an. 1650. quam qui audivere, nemo tam iners extitit, qui non ad patriae & Academiae decus augendum plurimum excitatus fuerit. Otio cum frueretur, nec senectutem languere pateretur, librum edidit, cujus est inscriptio: *Miscellanea di più sorte di erudizioni del Senatore Mess. Piero già Girolami oggi Orlandini Priore d' Urbino*

Digitized by Google

nella Sacra Religione di S. Stefano , e Segretario di S. A. S. alla quale è dedicata ; in Firenze per Francesco Onofri 1670. Viginti annos antequam haec vulgaret, Venetis typis emisit aureolum sane libellum, cujus est titulus : *Vero ritratto di un ottimo Principe cavato da alcune regole e precetti lasciati in una tavola dal Re Tolomeo d'Egitto tradotti in lingua Toscana dal Cavalier Mess. Piero Girolami &c.* Regnante quidem Ferdinando II., tempora erant amica virtuti, cujus praecepta non minis, & vi, ac metu tradebantur, sed instituendo atque persuadendo.

Jam si quaeras hominem, qui totam vitam consumpserit in noscendis Ecclesiae legibus atque institutis, iisque explanandis & exequendis, is est profecto Julianus Vivianius Antonii, & Mariae Mazzoliae Filius nobili genere Pisis ortus VI. Kal. Octob. 1581. Erat adhuc in flore juventae, cum in collegium Canonicorum cooptatus fuit, & quod non mediocriter profecerat in studiis, & exemplum erat innocentiae, bene posuit operam in gubernanda Pisana Dioecesi Vicarius Archiepiscoporum Tarugii & Boncianii. Addictus vero Academiae fuit an. 1608. ac triennio post, cum satisfecisset elementorum juris prudentiae civilis studiosis, declaratus est extraordinarius juris canonici magister. Non diu hoc munus exercuit, & quidquid illi supererat otii, libenter consumebat in inquirendis colligendisque monumentis, quae patriae infelicissimae historiam illustrarent, quorumque plura ab Ughellio & Muratorio vulgata fuere. Iisdem quoque temporibus magnarum vigiliarum opus scribendum suscepit, quod omnia ea complecteretur, quae ad jus patronatus pertinent. Felicissime illud absolvit, & cum de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profiteretur, sic satisfecit judicia publica exercentibus, ut cum Vivianio se non posse errare putaverint. Ea propter saepius illud ipsum opus impressum fuit, & Romam fortasse an. 1620. Vivianius concessit, ut in urbe, quae sedes est omnis Ecclesiasticae jurisdictionis atque disciplinae, primum vulgaretur. Addidit postea in idem plura, cum undique, ut ipse ait, more apum colle-

giſset, quae cognitionem hujuſce juris magnam & difficilem ad ſua capita & ad artem quamdam redigerent. Spe fortaſſe ductus hujus laboris ſe praemia accepturum a ſummo Pontifice, Romae manere decrevit, & notus jam Paullo V. ab eo mandata habuit exponendi, quae maxime conducere putaſſet ad bene ſancteque gubernandas ſuburbanas Eccleſias. De Piſana quoque eadem referre juſſus eſt, retulitque ad Urbanum VIII. quem ab ineunte adoleſcentia noverat, quando is ſtudiis in hac Academia vacabat. Diligentiſſimus ſane & prudentiſſimus erat Vivianius ſpeculator, quemadmodum unusquiſque ſe gereret in retinenda majorum religione ac diſciplina, & quae ceteris praecipienda duxit, per ſe executus eſt, creatus primum Epiſcopus Inſulanus, ac poſtea Archiepiſcopus Coſentinus. Dum iter Romam parabat, aut fortaſſe faciebat ad pallium accipiendum, febri correptus vitam finivit III. id. Octob. an. 1641. magnum ſui deſiderium omnibus relinquens. Nam cum ſumma doctrina, ſummoque religionis ſtudio conjungebat miram ſuavitatem ſermonum & morum. Teſtamento juſſit cadaver ſuum ſepeliri Velitris, cujus urbis ſacris Epiſcopi nomine praefuerat, ſibique cenotaphium poni in celeberrimo patriae loco, qui Campus Sanctus dicitur, in quo haec poſita inſcriptio fuit.

JULIANO VIVIANIO ANTONII FILIO DOCTISSIMO JURIS UTRIUSQUE PROFESSORI, QUI PISANUM GYMNASIUM DOCTRINAE PRAESTANTIA, PATRIAM, ET GENUS NOMINIS CLARITATE, JUS PONTIFICIUM IMMORTALIBUS INGENII MONUMENTIS ILLUSTRAVIT, QUI AMPLISSIMOS IN PATRIA HONORES ADEPTUS, AMPLIORES MERITUS AD EXTEROS QUOQUE LUMEN GLORIAE SUAE DIFFUDIT, ET URBANO OCTAVO PONTIFICI MAX. OB INTEGRITATEM VITAE MORUMQUE CANDOREM ACCEPTISSIMUS, INSULAE URBIS ANTISTES ET COMES, AC DEINDE COSENTINUS ARCHIEPISCOPUS CREATUS EST. MAJORA CONSEQUUTURUS NISI MORTE FUISSET IN MEDIO HONORUM CURSU INTERCEPTUS. HANC CORPORIS IMAGINEM, QUUM ANIMI EXTET IN EJUS LIBRIS ET MEMORIA POSTERORUM COSMUS VIVIANIUS FRATRIS FILIUS POSUIT AN. SAL. MDCIIIC.

Sed

Sed ut ad Academiam redeamus, miraberis sane Vivianium, biennio postquam doctoris munere fungebatur, ipsa motum fuisse, atque in illius locum suffectum Vincentium Maccantium Presbyterum Miniatensem, qui Leonis XI. antequam Pontifex fieret, a theologia fuerat. Vixit is ad autumnum usque an. 1624. omnesque ejus virtutem ac diligentiam suspexere.

Mos iis temporibus obtinebat explicandi quosdam titulos, ut sunt illi *de officio & potestate Judicis delegati*, *& de Judiciis*, in quibus exponendis versabantur etiam juris civilis interpretes. Jussum propterea in eorum locum substitui titulos *de usuris, de praescriptionibus*, *de simonia*, & hujusmodi alios, ac Maccantio viro omnis officii diligentissimo, & exercitatissimo, atque aetate jam maturo mandatum quoque fuit, ut Lancellotti canonicas Institutiones explicaret. Dixit vel pudenter, vel invite (nolo enim de tam modesto homine fastidiosius dicere) se ad hoc muneris genus aegre accedere, quod non sperabat posse aliquid novi afferre.

Minime officii negligens fuit, & flagravit semper studio proficiendi in litteris Alexander Puccinius Florentinus, qui etiam propter elegantiam Latini sermonis in optimis magistris numerabatur. Cum primum an. 1613. ad Academiam accessit Caesarearum Institutionum magister, de legum laudibus orationem dixit, quae est in manibus hominum, quaeque nomen Oratoris illustre reddidit. Magna fuit (ajebat ipse) & est ubique copia studiosorum, qui quaestum sibi proponunt, quem ut cito consequantur, aut cursim arripiunt, aut omnino praetereunt adjumenta & ornamenta ad omnem vitam, ad omnes artes, ad omnia officia accommodata; quae in adolescentia honestissima, in juventute optima, jucundissima in senectute, dialecticen juvant, jus civile exornant, illustrant philosophiam; cum legimus delectant, cum scribimus sunt necessaria. Tali modo caussam de optimis studiis agenti multi plauserunt, obtrectarunt vero ii, quorum mentes tanta caligo praestrinxerat, ut non probarent nisi quod inquinaverat superiorum temporum barbaries. Horum hominum pestis, cum late esset grassata, ut reliquas Italicas A-

Digitized by Google

cademias, nostram quoque invaserat. Fertur illo biennio, quo jus civile docuit, postquam juris Pontificii studiosis satisfecerat, scriptas fuisse ab ipso & paratas rerum illustrium disputationes, quod judicaret hoc esse juris prudentiae Doctoris maxime proprium non pervagata praecepta tradere adolescentibus, sed eos a forensibus popularibusque quaestionibus ad reconditiores abstrusioresque juris recessus traducere. Hujus suavitatem & copiam saepe etiam admirata est Academia Florentina; & cum Latinas Musas praesertim adamaret, eas ad Sanctorum laudes celebrandas advocare consueverat: erat enim caerimoniarum, & cultus, qui superis tribuitur, studiosissimus. Caruit Academia spectatissimi viri opera an. 1621. quo tempore in collegium Judicum Senensis Rotae lectus fuit, neque multo post IX. Kal. Septemb. an. 1624. e vita migravit.

Soliti Medicei Principes non rabulas de foro, sed doctissimos & perfectissimos quaerere jurisconsultos, cum ad eorum aures pervenisset Carolum Antonium Thesaurum Taurinensem, qui antea per biennium Pisis Caesareas Institutiones explicaverat, in patria Academia utrumque jus sic docere, ut in optimis praeceptoribus numeraretur, hunc ad Pisanam iterum revocarunt. Porro tulisset ipse fructus liberalissimos suae doctrinae, nisi paucos post menses quam coeperat Pontificium jus interpretari, Societati Jesu nomen dedisset, cum esset annorum fere triginta. Non poenituit eum sui consilii, & sive magisteria obierit, sive munus exercuerit in Vaticana Basilica audiendi peccatorum confessiones (Poenitentiarios dicunt) quasi lumen aliquod eluxit doctrinae atque sanctitatis. Naturae cessit ineunte an. 1655., neque, quod sciam, aliud extat opus illius, nisi *Praxis bipartita de poenis Ecclesiasticis, sive censuris latae sententiae*, quod opus an. 1640. Romae in vulgus emisit.

Inter alienigenas, quibus Academia nostra laudem doctrinae tribuit, numerandus quoque est Alexander Ambroginius in Foro Sempronii natus. Sed is ad brevissimum tempus primum inter ordinarios juris Pontificii magistros locum occupavit, nec satis constat qua de

caussa illum aestate an. 1620. deseruerit. Eodem quoque tempore coepit canonicas leges explanare Laelius Mancinius origine Florentinus, ortu vero Politianus, qui illo ipso anno 1611. quo doctrinae insignibus decoratus fuit, ad Justinianeas institutiones interpretandas vocatus est. Traduxit enim ad magnam admirationem sui omnes eos, qui illum disputantem audierunt & propter acumen ingenii, & propter elegantiam Latinorum verborum. Autumno an. 1618. reliquisse Academiam videtur, majora fortasse sperans in urbe Roma, ubi fratrem habebat, qui Francisco Giojosae Cardinali erat ab epistolis. Sed cum brevi evanescere spes suas vidisset, ipsius Cardinalis commendatione locum inter Extraordinarios juris Pontificii Magistros an. 1619. facile obtinuit. Quae studia adolescens coluerat, & vel poetica, nunquam intermisit, atque ad mandandas litteris cogitationes quasdam suas animum intendit, ut sui otii fructus non ad praesentes modo, sed etiam ad exteros posterosque perveniret. Itaque an. 1622. in vulgus emisit librum de *Constitutionibus*, qui prudentiorum canonistarum plausus meruit. Hac re alacrior factus majorum vigiliarum opus in manus sumpsit, quo insigniores juris canonici quaestiones ita tractantur, ut discutiantur ea, quae obscurabant, quae dubium faciebant explicentur, & quae veri juris, germanaeque justitiae sunt propria optimo in lumine collocentur (1). Liber Ferdinando II. nuncupatur, & multorum carminibus, ut tum e-

(1) *Hujus titulus est*. Laelii Mancini Canonici, Iurisque U. D. Polit. Protonot. Apost. & in almo Pisar. Archigymn. Pontificiar. Legum Professoris Ordinarii Sac. Juris controversi Tomus I. quo circulares ad theoresim, insignioresque ad praxim controversiae, ingenio, cura, brevitate, perspicuitateque pertractantur, opus varium, quod cribrandis ac subcernendis Canonistarum, legistarumque & rei practicae deserventium, Theologorum placitis apte compositum, scholis necessarium, fori polique foris utile, communi utilitati nunc primum editum, & ab ipso autore recognitum emen-

rat in more positum, celebratur. Illa aetas non ferebat modo, sed etiam laudabat anagrammata, & quae tum de Mancinio usurpata fuerunt, satis probant, quantum hujusmodi futilitatibus tribueretur. Profecto si tum novissent homines veteris elegantiae formam, minus effusi fuissent in munditia illius orationis celebranda. Ea propter minime a me expectari puto, ut referam quid ii senserint (1) de Italicis Latinisque carminibus, deque comoediis Mancinii, quarum sales si laudavere, stulte eos fecisse dicam. Ipse a juris Pontificii cathedra ad ordinariam juris civilis an. 1632. transitum fecit, anno vero 1635. declaratus est Pandectarum interpres, neque multo post e vita migravit. Atque hic scribendi finem faciemus de iis, qui Canonicas leges apud nos interpretati sunt vel ordinariorum, vel extraordinariorum Professorum munus obeuntes, quorum octo usque numerabantur, matutini alii, alii autem vespertini. Quatuor esse dicuntur praestanda ab iis, qui jus docent; ut vera doceant, ut ad rem pertinentia, ut ordine, ut genere dicendi apto ad docendum. Illud quidem non dubitanter affirmo plures apud nos fuisse, qui haec praestiterunt, quique

---

datumque est. Pisis 1630. in Typographia Tanagliana in fol. *Aliud extat opus illius legale, quod inscribitur* de Relaxatione jurisjurandi editum Florentiae an. 1635. in 4.

(1) *Referre tamen juvabit, quid de eo memoriae mandaverit Academiae Curator, cum ad Principem an. 1632. scriberet de Academiae ipsius statu.* Lelio Mancini da Montepulciano Ordinario Canonico con Scudi 110. di età circa 40. anni ha vent'anni e più di lettura e di Dottorato. Ha perspicace e vivo ingegno, bella lingua Latina bella e varia erudizione, e fatica volentieri per lo Studio. Ha stampato due opere nella sua facoltà che sono state ben ricevute. Ha buon gusto di poesia, & ha stampato commedie ed altro. Concludendo, è soggetto meritevole, non ha chi l'avanzi, ed il collocare in lui qualche grazia oltre il merito suo dovria giovare a eccitare gli altri a imitarlo e nello stampare, e nel servire lo Studio.

hac via aditum sibi ad honores atque famam patefecerunt. Siqui vero extitere, qui artis, quam profitebantur, dignitati non satis consuluerunt, industria tamen assiduitateque, quod deerat, supplere conati sunt, aut hoc illis ignotum fuit, aut jussi alia obire munera, quae tantam doctrinae copiam minime requirerent. In omni arte omnibusque rebus difficilis est optimi perfectio & absolutio, & hanc perfectionem absolutionemque desiderabis potius, quam obtinebis in magna Doctorum copia.

CAPUT X.

De Juris Civilis Magistris.

QUanquam inter juris prudentiae magistros primum occuparent locum ii, quibus commissa erat Pontificiarum legum interpretatio, major tamen cura adhibebatur in eligendis optimis Romani juris interpretibus, hisque, ut alibi quoque monuimus, praemia liberaliora tribuebantur. Nam hoc erat non solum populi, sed etiam Rerumpublicarum Rectorum judicium, juris prudentiam praeferendam esse ceteris disciplinis, quod ut medicina valetudinis, sic vivendi, consulendique privatis & publicis rebus ars esset juris civilis cognitio. Justitia quidem ad res gerendas necessaria est, eaque erga Deum religio, erga parentes pietas, erga omnes fides continetur, quapropter omnium domina & regina virtutum merito appellatur. Sed inquies; non semper justa & aequa jubent Romanae leges, earumque non paucae magis ad tempus, & fortunam Romani imperii, quam ad humanam naturam accommodatae esse videntur. Esto. Nunquam tamen satis laudari potest sapientia earumdem conditorum, illorumque, qui jus civile diffusum & dissipatum in certa genera coegere, & ad artem redegerunt, & quanquam non omnia providerint, nec omnium hominum rationibus semper consuluerint, ea tamen natura est Romani juris, ut sine eo inveterata quaedam barbaries ex nationum moribus, disciplinaque deleri minime potuisset, & allici homines ad dijudicandas controversias aequitate, & ad amplectendum, quod aequabile inter omnes, & unum omnibus esse videretur. Nostra hac ipsa aetate, in

Digitized by Google

qua dominatur licentia novarum ferendarum legum, novorumque condendorum codicum, saluti populorum consuli haud posse judicatum est, nisi ex jure Romanorum multa sumerentur aequitatis plena, quibus parere & natura, & consuetudo, & voluntas adeo cultiores nationes assuefecerat, ut sine iis stare non posse viderentur. Facessant igitur ab omni societate reipublicae, qui despiciunt & pro nihilo putant labores, quos per tot saecula tulerunt homines in efferendis, interpretandisque Romanorum legibus, quanquam ex iis nonnulli fuerint, qui praeclare constituta ingenii acumine abutentes corruperunt ac depravarunt, & gratiam habeamus Academiarum conditoribus, quod eos singularibus honoribus, & praemiis afficiendos putaverint, quasi illarum omnis dignitas & celebritas ab iisdem penderet. Hac in re Cosmus quidem minime passus est desiderari diligentiam suam, nihilque non egit ut Marianum Soccinium, cui stipendium obtulit MCCC. usque centussium, ad Academiam revocaret. Tum primum locum inter Jurisconsultos occupabat Alciatus, secundum Soccinius, tertium autem Peregrinus Fava, hosque ad se se allicere per Philippum Miliorium & Benedictum Varchium, quos ad conducendos magistros miserat in Cisalpinam Galliam, vehementer studuit (1). Sed frustra. Meliores exitus habuerunt acta per ipsos cum Joanne Francisco Vegio Ticinensi, & Ansuino Mediceo Camerte, quorum magnum tum erat nomen, & per quos plurimum illustrata & celebrata fuit Pisana Academia.

In lucem venit Vegius an. 1489. & cum esset illius familia honorata & nobilis, sua virtute non mediocrem illi splendorem addidit, eam excolens scientiam, quae sibi & multis esset profutura. Studio-

(1) *De Peregrino retulit Miliorius*, che lesse 4. anni in Napoli ove aveva Ducati 700. di Carlini, che il quart'anno si partì, perchè ne voleva 1000. e che giunto in Gaeta gli fu mandato dietro coll'offerta di 1000., e non l'accettò, e proseguì il suo viaggio.

Digitized by Google

rum curriculum in patria confecit, adeoque in juris prudentia profecisse judicatus est, ut in illa docenda collega datus fuerit Hieronymo Torniello Novariensi, cujus fama tota Italia celeberrima erat. Cum censeret se posse etiam in alieno solo magis magisque clarescere, oblatam conditionem accepit docendi Pisis cum stipendio DCCCC. ferme centussium. Non ejus modo schola, sed & domus maxima discipulorum frequentia celebrabatur, incredibili diligentia omnibus satisfaciebat, siqui ei segniores videbantur, eos ita pungebat, quasi despectui & ludibrio omnibus futuri essent (1), bene animatos vero sic fovebat, sic osculabatur, ut omnia a se veluti amantissimo parente expectare potuissent. Non recusabat etiam consulentibus respondere, extantque in manibus hominum quaedam ejus forensia scripta (2) ex quibus dijudicari potest, si hoc concertatorium & judiciale genus tractare voluisset, parem summis illum esse potuisse. Constans in suo Doctoris munere, & omnibus carus vitam Pisis an. 1554. amisit, monumentumque habuit elegantissimum a pietate filii in Sepulcreto Pisano, quod *Campus Sanctus* dicitur, in quo haec posita inscriptio fuit.

D. O. M.

JO. FRANCISCO VEGIO PATRITIO TICINENSI JURISCONSULTO CLARISSIMO, QUI AB OPTIMO DUCE COSMO MAGNIS PRAEMIIS DECORATUS PER XII. ANNOS PISIS PRINCEPS IN DOCENDO FUIT. AUG. F. MOER. P. OBIIT ANNO MDLIIII. VIXIT ANNOS LXV.

Quem

---

(1) Vid. Fabbruccium opusc. XIII. p. 56.

(2) *Horum quaedam vide inter Albae Consilia*.

Digitized by Google

Quem secundo loco supra nominavimus Ansuinus Mediceus, cui stipendium assignatum fuit DC. & ultra centussium, paucos menses apud nos fuit, quod naturam loci & caeli Pisarum nocuam sibi esse affirmabat. Tulit hoc aegre Cosmus propter celebritatem hominis, qui ut primum cathedram conscendit, admirabilitatem magnam fecit. Quod consilium enim in studiis, quae industria, qui labor, quae diligentia in instituendis discipulis sibi futura esset, quanta dignitas esset juris prudentiae, tanta eloquentia exposuit, ut Franciscus Campana, qui erat Cosmo ab epistolis, secretioribusque consiliis, nunquam simile se audivisse affirmaverit (1). Primo aetatis suae tempore cum ad jus civile animum applicuisset, media ferme in adolescentia omnium consensu promeruit, ut dignus magisterio judicaretur. Sed cum is quaerendum sibi nomen atque famam apud exteras nationes existimasset, domesticos penates liquit, & apud Bituriges in Gallia constitit, ubi & docendo, & consulentibus respondendo ejus sapientia non jucunda solum, sed etiam admirabilis visa est. Ea propter de ejus augendis commodis, ac mercede amplificanda cogitatum est, sed is repente consilium cepit in Italiam redeundi, & cum nota esset ejus doctrina, Bononiae primum, mox Patavii jus docuit. Quod Graecis erat Latinisque litteris eruditissimus, facile triumphare potuit de turba illa & colluvie Jurisconsultorum, qui nil aliud afferebant ad scholas, nisi forensem barbariem. Itaque Patavini maxime sibi curandum putarunt, ut retinerent hominem, quo plurimum eorum Gymnasium gloriabatur. Sed quomodo in eorum potestate poterat esse, qui in sua nunquam

(1) *Sic ipse ad Joannem Franciscum Lottinium scribens, litteris datis Pisis mense Novembri an.* 1544. E' successo questa sera l' Ansuino, il quale ha lassato ciascuno admirato & stupefatto, & me ancora con tutto che sia solito pure a vedere & udire qualche cosa, & per concluderlo in una parola, non credo che nè in Italia, nè fuori sia chi possa in quel genere far meglio. Filza XXX.

fuit, semper tractus, quo ambitio, quo levitas, quo animi impotentia rapuit? Cum verbis contenderetur, pugnum in os impegit Julio Oradinio summo Jurisconsulto, qua de re cum scriberet Bonfadius, litteris datis Patavii Novembri an. 1543. nescire se ait, quid inde eventurum esset (1). Evenit quidem, ut Mediceus Etruriam, unde familiam suam originem ducere glorians, sed minus vere fortasse, affirmabat, cogitaret, & plurimum sibi gratulatus est Cosmus, quod tantum virum Academiae Pisanae addixerit. Sed hic quoque magnas sustinuit controversias cum Nicolao Guicciardinio, quarum asperitatem haud valuit Curatoris humanitas condire. Illius aetatis Doctores contentionum quidem, quam gloriae cupidiores esse videbantur, qua de re cum quereretur Campana eo tempore, quo Pisas venerat dimittendi caussa Germanos milites, qui in statione urbis erant, scripsit ad Cosmum ab his minora, quam a Doctoribus sibi creari fastidia (2). Sed ut ad Ansuinum revertar, omnes, qui de illo scripserunt, in eo consensisse videntur, calculorum morbo Florentiae, cum in flore esset aetatis, ipsum mortem obiisse; discrepant tamen quo anno, & erravit quidem Papadopolus (3), qui non citius anno 1548. eumdem ad nos venisse affirmavit. Neque minus in errore versari arbitramur Marcum Mantuam, qui deceptus fortasse Mediceorum cognomine, Florentiam Ansuino patriam fuisse scribit. Traditur plura litteris mandasse, quorum hi tituli sunt: *Antiquorum Jurisprudentum rixae in concordiam revocatae; Scholia in Titulum de in jus vocando, & in l. Gallus; Character Triboniani & aliorum Jurisconsultorum sequioris saeculi; Liber singularis de collectionibus legum, earumdem varietatibus, &*

---

(1) Letter. p. 63. ec

(2) *In haec verba scripsit*: La conversazione de' Tedeschi è fastidiosa, ma quella de' Dottori è fastidiosissima.

(3) Histor. Gymn. Pat. Lib. III. c. XX. p. 248.

Digitized by Google

auctoritate ; *de difficultate inveniendae veritatis a judice pro tribunali sedente*. Vel ex his titulis intelligi potest Ansuinum ad juris disciplinam adjunxisse eruditionem, sine qua manca quodammodo atque imperfecta esset.

Si, quemadmodum de Pericle dicebatur, fulmen in lingua gerebat Ansuinus, non habebatur elinguis ejus competitor & aemulus Guicciardinius Florentinus, qui vel ab adolescentia ad facultatem juris civilis adjunxit studium humaniorum litterarum. De ejus eloquentia judicium facere potui ex binis Latinis orationibus, quae extant in tabulario Mediceo, quasque habuit Romae, cum missus fuisset legatus ad Pontifices Maximos Julium III. & Paullum IV. ut iis Cosmi Ducis nomine de summa dignitate gratularetur. Non contentus de illorum laudibus dicere, liberius vagari voluit, conditionem miseram temporum recensens, ut ipsos ad defendendam & conservandam Rempublicam Christianam inflammaret. Dignitas hominis, familiae nobilitas, doctrinae fama, & singulare Cosmi erga eum studium, cujus tum magna erat Romae auctoritas & potentia, effecerunt ut ab Urbe honoratissimus discederet. Gratiam vero eidem habemus, quod per totos undecim annos jus civile apud nos docuerit cum stipendio DC. & amplius centussium, & diutius docuisset, nisi Aloysii patris mors an. 1554. coegisset ipsum in patriam remeare. Eodem tempore Senator creatus plura gessit munera, & quae in publicis rebus civilis, in suis rebus domestica prudentia appellatur, sic illi adfuit semper, ut nemo in patria par poneretur. Mortem obivit an. 1557. cum esset annorum LVII.

Filium reliquit Petrum, aemulum paternorum studiorum, qui eodem illo anno, qui postremus fuit magisterii Nicolai, coepit apud nos Justinianeas institutiones explicare. Post mortem vero patris majora cogitans, relicta Academia, ad Urbem accessit, ubi statim a cognitionibus Urbani Senatoris (Collateralem vocant) est factus. Legationem deinde Pontificis nomine ad Maximilianum II. Caesarem suscepit, ac demum in collegium XII. virorum litibus judicandis, quos Rotae

Digitized by Google

Auditores nominant, est cooptatus. Hoc judiciale munus exercens magnam sibi comparavit laudem prudentiae & aequitatis, & testis est Augustinus Fontana (1) ipsum peracutum fuisse ad excogitandum quod in jure, aut in aequo verum aut esset, aut non esset. Ob haec merita & vitae innocentiam spes ostendebatur illi amplissimorum honorum, sed ne hos assequeretur obstitit mors, quam obivit post. Kal. Sext. an. 1567.

An tu hisce temporibus populum Florentinum illum fuisse putas, qui quotidie caedes atque incendia optaret, & qui ad libertatem recuperandam nihil sibi non audere ac licere arbitraretur? Conticuerat jam illa lamentatio & gemitus, evulsam e suis sedibus fuisse Rempublicam, extinctum jam erat illud maledictum crudelitatis, quod Cosmus non amplius ut crudelis tyrannus, sed ut beneficentissimus parens omnium bonorum studiis efferebatur; erat tum Etruria pulcherrimarum rerum, ac praestantissimorum virorum plenissima, & ea laus praeclara ac divina Principis erat, quod nullam non benevolentiam insignem declararet erga eos, quos nobilioris cujusdam artis cultores, & patriae dignitatis custodes propagatoresque judicasset. Is signa, & monumentorum quod supererat in Graecia, & in urbe terrarum domina honoris populi Florentini caussa domum suam deportanda curavit, is urbem magnificentissimis aedificiis ornavit, is ad honorem Dei immortalis & Sanctorum templa aut restituit, aut a fundamentis erexit, is bibliothecas aliaque bene multa Musarum domicilia aperuit, is in imperio omnia ad gloriam splendoremque revocavit, is denique tanta vigilantia fuit, ut nullam effluere horam pateretur, quin bene de se meritis referret gratiam, amicitias igne perspectas tueretur, cum apertis hostibus bellum gereret, timidis amicis ignosceret, & male animatos aut consolaretur imperii dignitate, aut ad obliterandas privatas injurias be-

---

(1) Bibliothec. legal. part. I.

neficiis invitaret. Quorsum haec, inquies? Ut intelligas fieri non potuisse, quin, Cosmo regnante, plures Florentiae essent nobilitate praestantes familiae, quae acceptam a majoribus gloriam virtute, consiliis, doctrina praeclarisque factis non modo conservarent, sed etiam plurimum adaugerent. Ex his nunc commemoranda mihi est Asinia multis doctis jurisconsultis illustris, quorum dignitati mirum in modum favit Cosmus. Joannem quidem Baptistam adolescentem praeclara indole, qui studiis tum Bononiae, tum Patavii vacaverat, Academiae nostrae addixit, & postquam in explicandis Caesareis Institutionibus omnibus se probaverat, eam juris civilis partem, quam vespertinam appellant, ipsum interpretari jussit. Noli putare rugis, superciliogue illum famam collegisse. Aderat discipulis mirabili diligentia, afferebat ad scholam non solum legum peritiam, sed etiam verborum elegantiam, antiquitatisque notitiam, & comitate facilitateque singulari sibi omnium animos facile conciliabat. Sic cum per XI. solidos annos utilem operam navasset Academiae, ab ea se distrahi passus est, ut Marco patri summo Jurisconsulto, cujus domus tanquam oraculum civitatis celebrabatur, quique erat aetate decrepitus, opem ferret, & amicis, necessariisque morem gereret. Ceterum optasset se jurgiis & litibus abstinere, & quanquam suus hic forensis labor ad gratiam, & opes obtinendas plurimum conduceret, cum liceba tamen se ad scribendum, suaque pristina studia conferebat. Hujusce otii fructus fuerunt *Commentaria in Titulum de religiosis & sumptibus funerum*, quae Florentiae an. 1562. Torrentinianis typis edidit, & Joanni Mediceo Cardinali ac Pisarum Archiepiscopo nuncupavit. Nihil de his rebus superiorum temporum Jurisconsulti attigerant, & qui postea idem argumentum tractandum susceperunt, quae coarctavit, indicavitque in oratione sua Asinius aut dilatarunt, aut exscripserunt. Vix autem dici potest quam subtiliter & acute, quae sunt propria Jurisconsultorum, quaeque in Asinia domo facile innascebantur, hoc in libro explicentur; illa vero, quae ad eruditionem & ad antiquórum ritus, ac sacrorum caerimonias pertinent, suo sibi jure vindicabat Jo. Baptista, & per haec

vel illorum animos allicere & delectare potuit, qui fastidii erant delicatissimi. *Quemadmodum, qui rosas legunt* (in haec verba scribebat Petrus Angelius ad Asinium, gratulans illi ob hujusmodi confectum opus) *si quando accidit, ut aculeis pungantur, vix, aut ne vix quidem se pungi sentiunt iis suavitatibus odorum, quae afflantur e floribus, ab leviculo dolore ad delectationem avocati, ita ego mehercule tacitus admirans tantam copiam rerum pulcherrimarum nullo modo sentire visus sum, quae homini a jure civili, non dicam abhorrenti & alieno, sed certe parum cupido ac studioso ejus facultatis molestiam fortasse aliquam parere, & animum interdum remorari consueverunt*. Praeter eruditionis copiam mirum in modum commendant opus moralia praecepta, & quae Auctor in prooemio de contemnenda morte, & de expetendis colendisque amicitiis pluribus disseruit, hominem religiosissimum, & ad societatem hominum natum satis declarant. Illa spinosiora, ut pote ad forum proprius pertinentia, quae exaravit *ae modo procedendi in civilibus ad statutum Florentinum; de Executionibus*, quaeque inscripsit *Viridarium juridicum*. Totam enim vitam, quam produxit ad annum usque 1585. consumpsit in tractationibus forensibus, quod nihil tam utile esse judicaret, quam aequo & justo conjunctionem, societatemque hominum conservare. Cum esset a cognitionibus illius magistratus, cujus munus est videre, ne quid Etruriae oppida atque urbes detrimenti faciant in rebus suis consulendo, omnibus aperuit, quam justi & juris colendi esset studiosus, & quam sapiens in providendo atque administrando, quod e re publica esset (1). Neque minus in rebus suis prudens fuisse videtur, sicque

(1) *Gestos per Asinium fuisse alios civicos magistratus, & Assessorem, ut loquuntur, Pupillorum, Dohanae, Artis Cambii, Honestatis, Artis & Universitatis Pharmacopolarum ipsum fuisse testatur de Comitibus* in additione ad II. Tit. de Claris Judicibus Civit. Florent.

Digitized by Google

educavit Marcum filium, quem ex lectissima femina Constantia Martellia suscepit, ut illi aditum ad amplissimos honores patefecerit. Quam etiam facile, diutius si vixisset, ille praeclaro ingenio praeditus vel paternam esset, vel etiam avitam gloriam in litteris consecutus!

Non minus patriae natus esse judicabatur Dominicus Bonsius junior, quem educatio ad amplexandam juris prudentiam, scientia ad docendam, ingenium & usus ad quod velis negotium fecisse videbatur. Inter eos igitur, quos Cosmus ex amplissimis Florentinis familiis delegit, ut decus adderent Academiae, hunc ponere minime dubitamus, & quamvis esset in juvenili aetate, cum an. 1546. coepit Caesareas institutiones explicare (natus enim erat an. 1522) non mediocrem tamen sibi doctrinae famam comparavit, & in optimorum patronorum, ut de eo testatur Jacobus de Comitibus, numero fuit (1). Domesticum se habere exemplum ajebat ad imitandum: nam diximus alias quantum de Academia & de juris prudentia benemeritus fuerit Antonius Bonsius, quem illi patruum fuisse suspicor. Multis gravissimisque in rebus usus est Cosmus opera prudentissimi hominis, summaque honestate, atque integritate praediti, & studio, consilio, auctoritate et gratia illius, cum Romam Legatum misisset, plurima a Summo Pontifice Pio V. obtinuit. Post id in Florentinum Senatum eumdem legit, praefecitque Stephanianorum Equitum Ordini (Auditorem vocant) quae munera, omnium fere Principis consiliorum adjutor & particeps, gloriosissime gessit ad annum usque 1583. quo e vita migravit. Duxerat uxorem Constantiam Petri Victorii Filiam, ex qua genuit Jo. Baptistam purpura, multisque praeclaris factis, & doctrina illustrem virum.

---

(1) *Menochius* de Praesumpt. lib. VI. praesumpt. 88. n. 1. *eum doctissimum appellat*.

Quoniam intelligebatur plurimum quoque expedire Academiae, ut alienigenae ad illam vocarentur, qui multos labores magnosque susceperant ad famam in publice interpretandis Romanis legibus colligendam, statim ac de illa renovanda cogitavit Cosmus, ad nos vocavit Hieronymum Malevoltum Bernardi filium summa nobilitate Senis natum, qui in patria jus civile explicans non vulgaris doctrinae indicia dederat. Septennium magna discipulorum frequentia, ac liberali D. centussium stipendio munus istud apud nos exercuit, post quod tempus Senas rediit, ut domesticis & publicis rebus consuleret. Egit itaque cum fratribus de herciscunda familia, post quod uxorem duxit Faustam Fornariam castissimam feminam in Picentibus natam. Quod autem ad publicas res pertinet, non solum civicos magistratus, qui primi in libera civitate putabantur, gessit, sed anno 1552. expulsis Hispanis, in ratione administrandae reipublicae quid tempus ferret videre jussus est, ac demum triennio post, coacta patria pati dominationem Florentinorum, ad Cosmum venit, ut cum eo de deditionis conditionibus pacisceretur. Egit & suam rem, cum fidem obligasset redeundi ad Academiam, quae dolere quodammodo videbatur se spoliatam atque orbatam fuisse ejus voce erudita. Atque his temporibus si quid accidit, in quo commodis utilitatique patriae servire potuerit, fidem ei ac studium praestitit singulare, & multis quidem praesidia periculis, & adjumenta honoribus comparavit. Si qui vero erant, qui eum reprehenderent, quod nimium deditus esset gratiae voluntatique Cosmi, ajebat incidere saepe tempora cum ea, quae videntur digna esse justo homine, commutantur, fiuntque contraria. Non facile quidem reperisses, cui bene vivendi via magis considerata ac provisa fuerit, & ne suavissimi ac prudentissimi capitis memoria extingueretur, positum illi monumentum fuit in majori Templo Senensium cum hac inscriptione.

D. O. M.

D. O. M.

Hieronymo Malevoltae summae

nobilitatis ac probitatis viro illustri

Iuris cons. de Senis suae Reipublicae

optime merito

Dum Pisis maiori cum stipendio

Quam nemo alius (*) Iuris civilis

Interpretandi munere fungitur

Diem suum obeunti

Et mirum sic desiderium Patriae

Bonisque omnibus relinquenti

Fratres moestissimi P. C.

Obiit die ii. Sept.

Anno Sal. m. d. lx. annum agens xliii.

(*) *Minus vere hoc dictum videtur.*

Digitized by Google

Tantum tribuit Cosmus laudis & honoris Jo. Boncompagnio Casparis Bononiensis filio, quantum tribuere necesse erat homini, in quo summa erat familiae honestas, Vitae integritas, neque mediocris doctrina. Ipse ad nos venit postquam in patria jus civile docuerat, & in Judicum Collegium lectus fuerat, ejusque forensis laus & industria posita erat in oculis omnium (1). Neque sane tanta cura de illo evocando Pisas actum fuisset, nisi plures atque insignes suae virtutis & doctrinae testes habuisset. Sed dum maximam in spem adductus erat per se quoque illustrius fore Pisanum Gymnasium, paucos post menses, quam ad illud venerat, morbo correptus, vitae extremum diem morte confecit. Nemo non doluit hunc casum, quem cum nonnulli Doctorum tribuissent insalubritati caeli Pisarum, parum abfuit quin, metu injecto, ab iis discesserint. Extant quidem litterae Francisci Campanae ad Cosmum Ducem datae Pisis mense Novembri an. 1544. quibus dolet adversam Academiae fortunam, quod multi Doctorum in morbum inciderant, quod aquae inundaverant civitatem & agrum, quodque summa erat rei frumentariae caritas. Quantum potuit his malis consuluit Cosmus, ad bene de Pisanis suis promerendum semper paratus, utque spe gloriae excitaret atque inflammaret animos multorum, jussit Boncompagnio in nobilissimo civitatis loco poni monumentum, quod posteris traderet memoriam illius doctrinae atque virtutum. Quod tum minime perfectum est, suis sumptibus mandavit absolvi Gregorius XIII. qui Joanni erat patruelis, in eoque haec inscripta fuerunt.

---

(1) *Autographum ejus conductionis extat in Tabulario Academiae eo in volumine, quod inscribitur*: Miscellanea di documenti del secolo XV. e XVI. *Ex eo quidem apparet vel a mense Junio an. 1543. Joannem fidem suam obligasse Cosmo Duci, & Academiae.*

Gregor. XIII. Pont. Max. Patria Bonon.

Praestantissimo Jurisconsulto Joanni Boncompagno

Fratri patrueli praestantissimis moribus

Eximia pietate

Omnibus denique animi dotibus ornatissimo

Pisis dum in primo loco

Maxima celebritate jus interpretaretur

Anno Aetatis suae XLI. Sal. Hum.

MDXLIIII. extincto

Hoc ad restituendam jucundissimae

agnationis memoriam fieri mandavit

Anno Sal. MDLXXIV. Pontif. sui III.

Hoc tempore Pisani plures, qui anno 1525. quando pene desiit esse Academia, a Clemente VII. obtinuerant, ut instituerent collegium quoddam legale, facultatemque haberent decorandi laurea juris prudentiae studiosos, a Cosmo petierunt, ut iisdem juribus gaudere possent, quibus gaudebant magisteria exercentes. Hi quidem obstiterunt eorum precibus, quanquam tum in more positum erat, ut Principis indulgentia nonnulli admitterentur in collegium, qui nunquam scholas habuerant, neque habituri unquam erant. Interdum etiam Principes vel hanc

Digitized by Google

sibi tribuerunt potestatem, ut voce crearent doctorem, quod in Ludovico Covo factum vidimus. Nihil tamen hujusmodi gessit Cosmus, quamvis omnia ad arbitrium illius collata esse viderentur, tantumque abfuit, ut ex legibus, quas dederat Academiae, laxari aliquid vellet, ut qui ab iis vel minimum discessissent, severe puniendos putaverit. Indignum enim esse Principe ajebat describere jussa, & componere ac sancire leges, atque pati quidquam adversus illas fieri atque tentari. Sed ad Magistros redeamus.

Non fori atque judiciali consuetudine judicandum est de ingenio Jo. Ronchagalli Gioldi Ferrariensis, quem commendatione Benedicti Accolti Cardinalis Cosmus anno 1541. Institutionum civilium cathedrae praefecit. Nam ut de illo cecinit Caspar Sardius:

Disertissime Ronchagalle, Pisis
Jam recte potes explicare jura,
Ut Doctor populo voceris illo,
Nam cum nomen id afferunt Etrusci,
Tunc tu, non alius vocatur illis.
Tulli sic quoque Vergilique nomen
Orator tenet, & Poeta magnum.

Is quinquaginta & amplius theses coram eodem Duce ex intima juris prudentia petitas publice propugnavit, quod illi aditum patefecit ad obtinendam citius, quam tum consuetudo ferebat, ordinariam juris civilis cathedram. Quae *de Bonorum possessionibus* in ea exposuit, nec non *Tractatum* alium *de duobus Reis constituendis* publici juris fecit, ex quibus satis apparet, quam multa ei venirent in mentem acuta atque subtilia in forensibus quaestionibus tractandis. Cum vero ab his se sejungebat, ut cum mansuetioribus Musis se oblectaret, facile poterat cum delectatione aculeos relinquere in animis eorum, qui audiebant, ut de Pericle scripsit Eupolis. Ejus carmina cete-

ros inter laudatorem habuerunt Lilium Gregorium Giraldium (1) & Baruffaldius judicavit politissimum & acutissimum eumdem fuisse omnium suae aetatis Jurisconsultorum. Quare minime est mirandum, si cum a nobis discessisset an. 1550. plures illum expetiere Italicae Academiae; & porro jus civile explicavit in urbe Montis Regalis, & carus fuit Sabaudiae Duci. Dulcedine quadam gloriae commotus, quae eum admonebat non cum vitae tempore nominis sui commemorationem esse dimetiendam, sed cum omni posteritate adaequandam, multis in laboribus versatus est, testimoniumque laudis a summis viris quaesivit. Neque est hoc dissimulandum ceteros inter illi amicitiam intercessisse cum Petro Aretino, homine profecto, in quo quidquid erat vocis & linguae, omne in turpissimum calumniae quaestum contulit, ad quem extat ipsius epistola, ut Speronis dialogos obtineret (2). Is vitae cursum Ferrariae explevit, sed quo tempore haud mihi compertum est. Vivebat quidem an. 1567. quo Patri in Aede S. Dominici sepulcri monumentum posuit.

Si quis erat, cujus labor in privatorum periculis caste integreque versatus esset, is quidem doctrinae & virtutis fructum judicio Cosmi consequebatur. Videbat hic non culpae, sed fortunae tribuendum esse, quod Calefatorum familia, captis Pisis, patriam deseruisset, seque Plumbinum contulisset, & quod in ea hominem dignum Academicis honoribus invenit propter praestantiam doctrinae, quam a Philippo Decio acceperat, & propter famam, quam agens caussas & judicia tum Lucae, tum Senis (3) exercens, consecutus fuerat, hunc sibi

(1) Dial. II. Poetar. suorum temporum.

(2) *Vol. I. Italicar. epistolar. Illustrium Virorum per Aldum Venetiis editarum p. 166.*

(3) *Ejus decisiones impressae fuerunt* post vol. II. Consilior. Criminal. divers.

obstringere minime dubitavit. Multa & varia ab eo edita nullam rem esse declarant in juris Romani usu positam, quae hujus viri scientiam fugerit. Horum quaedam ipsi Cosmo nuncupavit, non ut illo aliquid dignum, aut ceteris novum atque inauditum afferret, sed ut laborem atque industriam suam in docendo omnibus probaret. Fuit hoc quondam proprium nostrorum Doctorum, ut capita illa juris Romani, quae more institutoque Academiae interpretari debebant, quanquam multorum commentariis fuissent explicata, suis quoque explicarent, atque haec ut in lucem hominum emitterent, efficiebat admurmuratio discipulorum, qui opinione magis famae, quam aliqua certa ratione ad illos audiendos commovebantur. De Calcfato quidem tanta & tam praeclara judicia fecerunt vel ii, qui in juris prudentia antistites esse putabantur, ut in claris jurisconsultis ponere illum minime dubitemus. Vixit ad summam senectutem, neque solum magnum illi attulere solatium bene acta aetas, sed & liberi, quos plures habuit ex Marietta Tignosia lectissima femina, e quibus natu major nomine Nicolaus per triennium apud nos Caesareas Institutiones interpretatus est. Ad hos saluberrimis praeceptis imbuendos librum confecit, tum Latine, tum Italice Lucae an. 1563. editum, quo ea persecutus est, in quibus omnis virtus, omne decus, omnis vera laus ac nobilitas consistit. Quantum homo summa prudentia, multa etiam doctrina, & moribus lenissimis honoratus esset, sequens declarat inscriptio posita in Pisano Templo Sancti Francisci.

---

in parvis, *Tractatus vero* de Equestri dignitate *relatus fuit in Vol. XVIII. operis, quod inscribitur,* Tractatus Magni. *Alii alia ediderunt, de quibus vide Fontanam.*

PETRO CALEFATO VIRO ILLUSTRI J. C.

VERITATIS CULTORI

EQUITI AURATO CAESAREO AC PONTIFICIO

PALATINO COMITI AC CONCISTORIANO

POST PLURES CLARISSIMOS MAGISTRATUS

LUCAE ET SENIS ET ALIBI SINCERE PERACTOS

ITIDEM ET LEGATIONES

IN GYMNASIO PISANO JUGI OBSERVATIONE

AC SEDULO DOCENDI LABORE

XXXVII. ANNOS JURIS CIVILIS

INTERPRETI ORDINARIO MATUTINO

ET POSTREMO XXX. PRIMARIO ADHUC VIVENTI

ET AN. LXXXV. AETATIS AGENTI

POSITUM EST AN. MDLXXXVIII.

MORE PISANO DIE SECUNDA

MENSIS MAII.

Digitized by Google

Si aliquid memoria dignum haberem de Laurentio Maria de Nobilibus Lucensi, & Nicolao Bellarminio Politiano, qui anno 1547. Extraordinarii juris civilis interpretes fuerunt, libenter commemorarem. Ex litteris quidem Laelii Taurellii conjicere potui, mediocrem de illo priori fuisse opinionem, eaque propter eumdem consilium cepisse deserendi Academiam paucos post menses quam in illam venerat. Nescio etiam quid dicam de Jo. Baptista Orſinio Fulginate, & Octavio Laudio, quibus post breve tempus amissis, viguit tamen res Academica. Haec autem dignitatis suae splendorem plurimum auxit ob adventum Jacobi Mandellii de Alba, de quo pluribus nunc dicemus, quod non jurisconsultus unus e multis, potius inter multos prope singularis fuerit. Illud dolendum unice, quod non ultra quadriennium (& tum plerumque quadriennes erant conductiones) apud nos manserit, quamvis Cosmus de illo retinendo nihil non egerit. Natus hic vir est Albae, quae est civitas Montis Ferrati, patre medico, qui coegit summae spei adolescentem medicinae operam dare. Sed quoniam nihil fit, ut ajunt, invita Minerva, idem patria potestate solutus totum se dedidit juris prudentiae studiis, quae praesertim Augustae Taurinorum & Ticini excoluit. Hoc in loco, postquam publice theses quasdam *de substitutionibus* propugnavit, non modo doctrinae insignia, sed etiam munus accepit explicandi Justinianeas Institutiones. Praefuit deinde cathedrae juris Pontificii, mortuo autem Andrea Alciato, qui omnes Jurisconsultos doctrinae fama superabat, ejus in locum suffectus est. Nihil sane ad immortalitatem nominis illustrius, quam tanto viro successisse. Post id Maceratae functus est publici Doctoris munere, & Mediolani forum egit, eo quidem successu, ut nobiliores familiae ipsum advocatum ad defendendas fortunas invocaverint. Tali modo cum praeclara de eodem fama surrexisset, & vehementissime ille laboraret, ut collectam non conservaret modo, sed etiam adaugeret, a multis expetitus fuit, neque sane illum fallebat se non mediocris pretii hominem esse, ut de illo habendo praesertim inter se contenderent Cosmus Dux, Venetusque Senatus. Quas

infra

Digitized by Google

infra excribemus Laelii Taurellii litterae huic rei testimonio erunt (1). Ubi vero Cosmo, apud quem semper honorata virtus fuit, nuntiatum est Mandellium Florentiam advenisse, statim ad se se accersivit, benignissime accepit, & omnia a se sperare jussit. Illo docente, magnus ad scholam fiebat discipulorum concursus, & quae *de rebus creditis*, *de officio Assessorum*, *de Jurisdictione*, deque insignioribus quibusdam Romanis legibus in vulgus emisit, plurimum sane valuerunt ad confirmandam opinionem, quam de eo omnes conceperant. His adde *Consilia* plura (fieri enim non poterat quin tantus vir plu-

A Cristiano Pagni

(1) Parlai con Mes. Agnolo e convenimmo in questo, che se lo Alba si potesse avere dandoli fino a 600. Ducati, fossi bene di pigliarlo, trovandosi tanto excellente, quanto tutti coloro che scrivano di Milano affermano. E par verisimile che avendo chiesto a Vinitiani 600. Ducati, se da loro non li a potuti avere, egli resti in aria quanto alla lettura, & debbia più facilmente accostarsi ad accettar questo partito, & quando pur non si potesse far meglio, diasi autorità a chi tratta seco di darli fino a 50. Ducati per pagar la casa in Pisa e la condotta delle sue robe, e dandoli 50. in nome di salario, cioè 650. potria servire per fare che il Guicciardino si licenziasse, che più volte ha detto non essere per tolerare che altri novamente condotto lo passi di salario. Quando il predetto fusse fermo dai Vinitiani, ovvero non volesse condursi quà con questo salario, che par honoratissimo a chi in Pavia non aveva più di 400. allora si potria voltare al Alciato, o al Salerno, non passando 300. Ducati al Salerno, e li 400. all' Alciato, e piuttosto conducendo il Salerno per 300. che l'altro per 400.: poichè tutti accordano, che il Salerno sia sì dotto, e più studioso, e più faticante dell' Alciato, e non si guardasse al dargli il pagamento della condotta delle robe, avendo cura di condurlo per più anni, che si potesse, e dando la commissione al Vinta, o a chi altri a S. Eccellenza più piace, che fermi con l'uno delli tre secondo l'ordine sopradetto, non passando la commissione circa

Digitized by Google

rimum consuleretur) quae non minus produnt Scriptoris acumen in definiendis juris quaestionibus. Neque tacendum videtur ex iis unum spectare ad *Numerariatum*. Qui *Numerarii* Professores dicebantur apud nos octo numero erant, hique majora emolumenta ferebant in decorandis adolescentibus doctrinae insignibus. Verum saepe in controversiam vocabatur quibus hujusce gradus jus esset, & Mandellius non alienam modo, sed & suam caussam egit. Juris sane sciens patrocinia suscipiendo opes sibi parabat. Miraberis vero hominem, qui inter jurgia & lites educatus fuerat, nihil tam exhorruisse, quam arma & bella. Quapropter cum videret ardere Cosmum desiderio opprimendi Senen-

---

le quantità, ma quanto al tempo delle loro condotte, facendo il meglio che potessero, cioè per quanto più potessero, ma non potendo per più lungo tempo, almeno per il solito cioè d' tre anni e quarto del rispetto, e anco, se per tanto non potessero, per minor tempo, perchè potria servire anco a noi il provarli, e poter licenziarli tanto più presto, quando ben non venisse il tenerli. Mess. Agnolo pende alquanto più all' Alciato che al Salerno per il nome dell' Alciato e memoria del Zio. Io pendo più a quello che dicano, che più attende e più sa, e più s' affatica, e si dia commissione che di uno si concluda senza aspettar di rescrivere ed aspettar risposta, perchè il tempo è breve come si vede. Al Pozzio diede Filippo Provveditore Ducati 200. d' oro di 450. incirca, e gli diede questa settimana Baccio dell' Antella, e gli ha compartiti a diversi creditori per insalata. A chi chiede e dice non potere andare a Pisa, nè far nulla senza denari, non so che altro dire, se non che saranno pagati ad ogni modo, e essi dicono che io dò loro parole. Il Beltramino, che è stato a Lucca per sue faccende, dice che là affermano, che lo Studio di Pisa vacherà per quest' anno, e che perciò alcuni son iti a Bologna, e che con fatica ha dato a credere a coloro, che a Pisa pure si leggerà al solito. A V. S. mi raccomando.

Di Firenze il dì 3. Ottobre 1551.

Lelio Torelli.

ses, & magnum hac de caussa in universa Etruria excitari incendium, ab ea aestate an. 1554. discessit. Inde Ticinum remeasse videtur, quamvis Ferrarienses summe illum expetiverint. Addit Panzirolus, qui non semper vera narrat de suis Jurisconsultis, eo in loco nobilem puellam uxorem duxisse, & gracilem hominem incontinenter adeo illa usum fuisse, ut in aetatis flore repentina morte occubuerit. Sepulcri monumentum habuit in Aede S. Thomae, in eoque haec posita inscriptio.

JACOBUS MANDELLUS ALBENSIS

JURIS INTERPRES CELEBERRIMUS

PAPIAE PLACENTIAE ET PISIS SUPREMOS HONORES CONSECUTUS

CUM DEINDE PATAVIUM FERRARIAM RURSUSQUE PISAS

MAGNIS PRAEMIIS VOCARETUR

VITA FUNCTUS

TICINENSEM HANC CETERASQUE LUGENTES

RELIQUIT ACADEMIAS

VIXIT AN. XLV. OBIIT XXX. OCTOB. MDLV. (*).

(*) *Additum inscriptioni epigramma fuit, quod sic se habet:*

Clara, diem rutilo praecurrens lumine, caecis
  Aurora hic noctis mergitur in tenebris
Mandelli, egregio rutilans viventis honore
  Sic lustrat manes fama relicta pios:
Hanc oriens feret aequo occasusque ordine sortem,
  Aurora aeternum ut luceat Alba diem.

Minime stu litm defuit illius discipulo Vincentio Annibaldio colligendi edendique ejusdem opera, quae Mediolani primum, mox Francofurti, ac demum Venetiis typis impressa fuerunt.

Relictum a Mandellio locum occupavit Julius Salernus Ticinensis, cujus doctrinae quae opinio esset, quantaque industria, ex iis, quas supra attulimus, Taurellii litteris colligi potest. Is ad aestatem usque an. 1562. apud nos mansit, & grati illi animi testimonium debemus, quod per octo atque amplius annos constans fuerit in optima ratione docendi. Haec sunt officia docentium, ajebat ipse, abducere discipulos ab otio & languore, traducere ad legum fontes & capita, & justitiae, ex qua una virtute boni viri appellantur, & in qua virtutis splendor est maximus, amore inflammare. Testis est Panzirolius, qui eum competitorem habuit in Patavina Academia, ad quam a nostra transiit, Graecis Latinisque litteris egregie ipsum fuisse eruditum. Non diu Patavinis illo frui licuit. Nam eodem illo anno, quo ad ipsos venerat, morbo correptus decessit.

Rainaldus Rodulphus Perusinus toto illo triennio, quo apud nos mansit, sic satisfecit discipulis, ut in optimis magistris poneretur. Suum partiebatur honorem cum Salerno & cum Antonio Ciofio, qui omnes pomeridianis horis scholas habebant, & cum iis certare sane gloriosum erat. Diximus alias de Ciofio, de cujus obitu cum scriberet Tonsus, non dubitavit affirmare magnum ex eo accepisse detrimentum Academiam, praesertim cum tum deessent, qui cum eo juris doctrina contendere potuissent. Ea propter actum fuit cum Guidone Panzirolio, ut ad nos veniret, verum conditiones, quamvis liberalissimas, ipse recusavit.

Ceterum quod ad Rodulphum pertinet, perincommode accidit Academiae, quod illius opera diu frui minime potuit. Coactus enim Cosmus cedere precibus Perusinorum, eorumque Legati Julii Roborei Cardinalis, qui reposcebant operam Rodulphi, aestate an. 1563. veniam huic redeundi in patriam Lyceum concessit. Pro hac pietate praemia liberalissima illi tribuerunt, & quod nulla conditione ab ipso

obtineri potuerit, ut Patavii honoratiores juris prudentiae cathedras occuparet, laudem illi sane dabimus optimi civis, qui nihil antiquius habuit caritate patriae. Postremo tamen tempore vehementius tentata fuit ejus constantia a Bononiensibus, quorum honorificentissimis invitationibus sine dubio cessisset (iter enim parabat) nisi Sixti V. voluntas obstitisset. Qua de re cum scriberet Lamius Praesul ait: *honorificum illi fuisse ab illustri Senatu vocari, sed multo honorificentius a tanto Pontifice retineri* (1). Ex quo quidem maximus fructus jucunditasque Perusinis, qui & in publicis rebus utebantur Rodulphi opera, & gaudebant per hunc patrium Gymnasium discipulorum nobilissimorum quotidiana frequentia factum fuisse illustrius. Quod vel ipsos summos Pontifices Clementem VIII. & Paullum V. inter auditores suos numerare potuerit, jure quidem ac merito gloriabatur Rodulphus. Afferebat ipse ad scholam praeter prudentiam summam in omni jure exquisitius & minime vulgare dicendi genus, addebat etiam nescio quid augustius ex populorum institutis, & naturae legibus, rem complectebatur memoriter, dividebat acute, neque praetermittebat fere quidquam, quod ad confirmandam aut refellendam propositam sententiam conduceret. Quibus subsidiis, ac praesertim eloquentiae ornandam ipse juris prudentiam putaverit, facile perspicies ex ejus orationibus in vulgus an. 1578. editis a Jo. Bernardino Rastellio cum hoc titulo: *Orationes duae judiciales ubi Juris civilis scientia conjungitur cum eloquentia*, quas quidem cum legeris, & oblectaberis sententiarum varietate, & verborum copia, & dolebis sublatam esse consuetudinem eloquentia tutandi innocentium caussas. Quod hominum ignavia factum putabis. Nam cum multi laboris sit studuisse litteris, quibus fons eloquentiae continetur, ad caussas tum privatas, tum publicas adire

(1) Epist. Cent. II. epist. 2. p. 268. edit. Col. Agrip. 1624.

Digitized by Google

homines coeperunt paucarum legum, vel potius conclusionum notitia, nec omni tempore defuerunt leguleii, qui in foro ipso didicere, quod ad quaestuosum munus exercendum, & ad fucum faciendum imperitioribus satis esse videretur. Horum insulsitatem atque insolentiam saepe insectabatur Rodulphus, qui ne quid sibi deesset, quod ad exornandam artem, quam profitebatur, pertinebat, vel cum Musis rationem habere voluit. Extat ejus poema hoc titulo editum Perusiae an. 1588. *Panegyricus dictus Sanctis. & Beatis. D. N. Sixto V. Pont. Opt. Max.* ex quo de ejus elegantia facilitateque in pangendis Latinis carminibus judicari potest. Minime necesse arbitramur mentionem facere de omnibus ejus *Consiliis*, quae scripsit juris interpres, quaeque omnia habent acumen ad controversias non calliditate, sed aequitate dijudicandas. *Non jam mihi licet, neque integrum est*, scribebat ad amicum, qui opem illius in magni momenti caussa imploraverat, *ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam*. Erat vero in hoc viro praeter ingenium summum, summamque prudentiam modestia, integritas atque innocentia singularis, quae virtutes multis magnisque in rebus spectatae fuerunt. Vitae sane gloriosissimae cursum explevit, cum esset sexagenario major, postrid. Kal. Junii 1591. sepultusque fuit in S. Florentii Aede. Filium reliquit nomine Franciscum, qui in publicis officiis & muneribus exercendis patriae mirum in modum servivit. Eodem illo anno, quo discessit Rodulphus, ad Academiam venit illius civis Benincasa Bernardini Benincasi Perusini filius, cujus doctrina in jure civili minime obscura esse potuit, quod illud docuerat antea in patrio Gymnasio, quod sponsor erat Rodulphus ipse, & quod an. 1561. vulgaverat opus studiosis utilissimum, cujus est inscriptio: *Benincasae Benincasi Comitis Catrani, & Jurisconsulti Perusini ad titulum de Actionibus . . . . . . Interpretatio.* Quod si ille ultra biennium manere in Etruria voluisset, ex Institutionum Caesarearum quidem cathedra ad honoratiorem quaestuosioremque gradum fecisset, & majorem etiam laudem consecutus esset. Sed, qua de caussa ignoro, redire in patriam maluit, neque multos

post annos in ea, cum esset adhuc in flore aetatis, vitae cursum confecit.

Iisdem temporibus deliberatum est de Camillo Plautio Fontanelletensi, vocari placeret, an deseri. Et in albo quidem Doctorum anni 1562. de eo scriptum inveni, *si sic illustrissimo Domino nostro placuerit*. Feliciter accidit, ut retineretur, nec sane dubitari poterat de illius doctrina, quam comprobaverat omnibus, editis Lugduni an. 1553. Commentariis *de Bonorum possessione*, Mediolani autem triennio post Commentariis *ad l. Quod te ff. si certum petatur*. Quinquennium & amplius apud nos fuit, cumque an. 1566. se & honorem suum commendaret Cosmo, propterea quod insolenter adversarii sui gloriabantur vicisse eum assidua & diligenti scriptione, Commentaria *de verborum obligationibus* edidit Florentiae, quibus postea addidit binos libros *de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*. Commemoratur etiam a legalium rerum scriptoribus ejusdem *Repetitio in l. Barbarius de officio Praetoris*, eorumque universorum hoc testimonium est, fuisse Plautium in interpretandis Romanorum legibus in primis acutum. Illius opera usum quoque est Ticinense Gymnasium, quo in loco minime veritus est contra Aymonem Cravettam, magnum sane Jurisconsultum, contendere illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est. Nihil enim tam desiderasses in illius aetatis Doctoribus, quam mores moderatos ac mites. Philosophia quidem nos docuit asperitates contentionum humanitate quadam condire, & raro accidere videmus, ut jurgiis inter se contendant sapientiae magistri. Non desunt tamen, qui dissimulanter humani, & obscure iniqui, nihil non agunt, ut praeripiant aliis desponsam jam & destinatam laudem, & ostentantes ingenium, & venditantes memoriam se ad omnia, de quibus audire quis velit, esse paratos denuntiant, quasi his artibus, quae imperitis quidem fucum faciunt, invidiae suspicionem fugere, & stabilem gloriam consequi possint. Sed illuc redeo.

Gloriabantur Pisani quod ortum dedissent Hannibali, Josepho &

Digitized by Google

Ptolemaeo Nozzoliniis, quorum familia origine erat Florentina, vel potius Fesulana. Ille prior natus Bartholomaeo patre XVIII. Kal. Februarii an. 1530. cum complesset nondum XXIV. aetatis annum coepit Caesareas Institutiones explicare. Quadriennio post altiores gradus consecutus est, & per totos viginti annos civilis juris studiosis non vulgari diligentia satisfecit. Claruit & poetica laude, & quae typis Lucensibus an. 1570. edidit Etrusca carmina ab harum rerum peritissimis viris Crescimbenio, Fontaninio & Negrio laudata fuerunt. Illius frater Joseph a mathematicis disciplinis nomen obtinuit, easque nostra hac in Academia docuit. Docuit & logicam Ptolemaeus Herculis filius, nec sibi, nec ceteris profuit, quod cum Galilejo de proportione geometrica, & arithmetica contenderit. Illum ne cum poetica tractaret, & cum ad Torquati Tassi gloriam adspiraret, edito Poemate, quod inscribitur *la Sardegna ricuperata*, magis aequum virium suarum aestimatorem fuisse arbitrabimur? Emisit quoque libellum, cui titulum fecit: *il sogno in sogno*, & dum tibi videbitur Bombycis metamorphoses omnes persequi, involucro rejecto (1), ab eo utilissima praecepta ad bene moderandam vitam disces. Satis de his.

Nunc de Antonio Anselmio Florentiae nobili genere nato dicendum, qui praefuit cathedrae Extraordinarii Juris, & in ea ad annum usque 1564. permansit. *Luculentissimum jurisconsultum* illum appellat Michael Pocciantius, omnesque de illius doctrina judicium facere possunt ex ejus commentariis *in Leg. Celsum* 34. *ff. de usucapionibus*. Peracto magisterio, forum attigit, & Cosmo Duci multis in rebus utilem operam praebuit. Ab hoc arbiter datus Ferrariensium Duci in controversia quadam de finibus regundis, plura scripto mandavit, ut

Prin-

(1) *Si plura scire cupis de Ptolemaeo Nozzolinio vide Volumen IV.* delle Memorie istoriche di alcuni illustri Pisani, *in quo ejus vita explicatur.*

Principis sui jura tueretur. Callide acceſſit; reprehendit arbitratores Ferrarienſes, quo voluit adduxit, convicit, & pene elingues reddidit. Summae dexteritatis erat homo, neque hoc mediocriter valebat ad Coſmi gratiam obtinendam, qui calliditate omnes ſuperabat. Hunc extinctum funebri oratione laudavit, gloriarique potuit ſe non audita, ſed cognita praedicaſſe. Multa tamen erant ejuſmodi, ut etiam ſi in homine ipſo, de quo agebatur, efferenda eſſent neceſſitatis excuſatione, tamen in imitatione atque exemplo pertimeſcenda viderentur.

Comitem habuit Anſelmius in extraordinaria cathedra juris civilis Carolum Bardellonium Patricium Mantuanum, cujus extant bina *Conſiliorum* volumina Venetiis ſemel iterumque edita, quaeque ſatis oſtendunt ejus nomen fere iis omnibus fuiſſe auditum, qui hoc forenſe, concertatorium, & judiciale genus tractabant. Non ultra quadriennium operam ſuam navavit Academiae, cum utilius rationibus ſuis putaſſet privatorum cauſſas defendere. Colebatur vero ipſe non tam propter prudentiam, quam propter gratiam. Etenim vel ab ineunte aetate in aula educatus, cariſſimus fuit Guilelmo, Vincentio, & Franciſco Gonzagis Mantuae Ducibus, quorum juſſu, cum iis fuiſſet a Conſiliis, praefuiſſetque magiſtratui, cui Montis Ferrati adminiſtratio commiſſa erat, magnam *Conſiliorum* partem ſcripto mandavit. Quem honorem conſiliis dandis, & ferendis ſententiis conſecutus eſt, retinuit ad ſummam uſque ſenectutem, & re familiari auctus amplum gloriae, & bonorum patrimonium haeredibus ſuis reliquit.

Non eſt neceſſe eos ex noſtratibus commemorare, qui hiſce temporibus conſulebant juris civilis ſtudioſis, poſtquam alias juris cathedras rexerant. Nam cum de iis alibi dixerim, actum agere viderer, ſi illos iterum in ſcenam adducerem. Neque hoc praetcribo alienigenas non facile laturos fuiſſe, ut loci ſibi aſſignati mutatio fieret, quod facile obtinebatur a noſtratibus, qui dum parebant voluntati Praefectorum, & neceſſitati ſerviebant Academiae, honoribus & praemiis donabantur. Una ex urbe Florentia prodierunt Alexander Capponius, Martinus Spigliatus, Jacobus Cantuccius, Bartholomaeus Romu-

Digitized by Google

leus, & Leonardus Fabronius, de quibus cum dixero, satis dixisse videbor de omnibus jurisconsultis, quos Cosmus nobiliores juris prudentiae cathedras occupare jussit. Tenuissimis illi praemiis moti sunt ad praestandam operam Academiae, quod tunc nescio qui stimulus excitabat nobiliores adolescentes ad gloriam sibi praeclaris artibus comparandam. Proscripti parentes, bona erepta, jus libertatis non imminutum modo, sed etiam extinctum, minime illorum animos retardabat, erigebat potius, cum quis clarus & potens fieri non posset, nisi ingenii vim alendo atque exercendo. Et sane qui honos, quae praedicatio, quae remuneratio praetermissa est a Mediceis Principibus erga eos, qui sapientiae adquirendae studio flagrarunt? Cum vero tanto in honore essent juris prudentiae cultores, satis mirari non queo quorumdam hominum indiligentiam, qui in Gymnasiis perbelle garrientes, in foro strepentes, & pugnantia saepe loquentes ornamenta eruditionis, atque eloquentiae prorsus abjiciebant, remque omnem in jejuna verborum volubilitate, & recitandis legum capitibus positam esse arbitrabantur. Sed his missis, ad id quod propositum est veniamus. Capponius honores magis, quam litteras, quamvis harum minime expers erat, spectasse videtur, & quod florebat nobilitate generis & gloria majorum, & quod scientiam tenebat opportunitatis idoneorum ad agendum temporum, facile quae optabat consecutus est. Spigliatus & Cantuccius intra unius Etruriae fines gloriam aluerunt, quam ex professione docendae atque exercendae juris prudentiae sibi compararunt; Romuleus vero, qui ex Decii schola prodierat, majus aliquid spectasse videtur, cum, antequam a Cosmo ad Academiam invitaretur, in Germania fortunae periculum fecisset. Erat tum in more positum, ut omnes, qui primum exedram conscendebant, eam haberent concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se tradituros esse profitebantur, artis laude conjungerent, eoque quidquid haberent in dicendo virium conferrent, ut in ea cum utilitatis & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis longe plurimum inesse confirmarent. Quod dum praestitit Romuleus ad excitandum in discipulo-

rum animis juris prudentiae studium, non solum doctissimi jurisconsulti, sed etiam oratoris laudem obtinuit. Haec initia bonos exitus habuerunt, cum labori nulli pepercisset, ut quae ipse didicerat, ceteris traderet, & expectationi, quam sui commoverat, responderet.

Quem postremo loco supra nominavi Leonardus Fabronius, antiqua origine Pistoriensis, recenti Marradiensis, ortu vero Florentinus, Lucae filius fuit, quo praesertim, ut & aliis Fabroniis multis, quos corporis sui custodes habuit, usus fuerat Cosmus in bello Senensi. Per viginti quinque ferme annorum spatium is utilem operam praebuit Academiae, a qua cum discessisset an. 1583. patroni munus Florentiae exercuit eo quidem successu, ut ejus prudentia, religio, auctoritas aliquid etiam momenti apud Ferdinandum I. habere videretur. Ibi extremum diem obiit cum aetatis annum complesset LXVII.

Jam vero quo animo fuerit in Academiam Franciscus I. satis supra diximus. Is cum sedere ad Etruriae clavum coepit, de advocando ad se se Jacobo Menochio Ticinensi cogitavit. Quod tum obtineri minime potuit, liberalissimis propositis praemiis, iterum tentavit ejus successor Ferdinandus (1), usus praesertim opera Jo. Baptistae Arcim-

B b 2

(1) *Spem in ipso excitavit addicendi sibi tum Menochium, tum Panzirolium Hieronymus Mercurialis, his datis Bononiae litteris XV. Kal. Novembris* 1588. Ho inteso che sono in Bologna gli Eccellentissimi Signori Menochio e Pancirolo, che leggono nello Studio di Padova le leggi con tanta gloria, quanta si sa per il mondo, esser per partirsi da quel servitio, e se ben sò V. A. S. poterlo saper da altri, nondimeno la gelosia che io porto delle sue contentezze, & il sapere quanto desideri ingrandir il suo Studio di Pisa, mi hanno indotto a dirgli che quando potesse condurre uno di questi valentuomini tirarebbe una partita efficacissima per adempire i suoi heroici dissegni. E se questa mia proposizione gli pares-

boldii, cujus magna erat apud Menochium ipsum auctoritas. Qui primum excusaverat Pisani caeli intemperiem, secundo respondit, se sui juris amplius non esse, quod fidem Senatui Mediolanensi obstrinxerat. Homo sane illustris fuit honore ac nomine, & quae edidit opera magni nunc etiam putantur ab iis, qui forum agunt. In albo Doctorum an. 1577. inscriptum nomen inveni Hieronymi Menochii, sed mihi non satis constat, qui vir fuerit (magnum fuisse arbitrabimur conjecturam facientes ex lauto DCCC. centussium stipendio) & quibus propinquitatis vinculis cum Jacobo conjunctus. Successit ex sententia Francisco Duci, quod plures ex Soacorum familia Patavii clara habere potuerit, qui Academiae dignitatem sustinuerunt. Pendebantur Guarino, veterano (1), si ita loqui fas est, jam militi DCLXXX. usque centusses, quando ipse in patria, ubi a studiis vacare solebat, prid. Non. Augusti an. 1591. naturae cessit, postquam per totos XII. annos diligentissimam operam nostrae Academiae tribuerat. Haud multa, quamvis jurisprudentissimus judicabatur & erat, litteris mandavit, & quae sunt in manibus hominum ad Feuda, & Romanorum & Venetorum magistratus inter se collatos pertinent (2). Petrus & Thadaeus Soacii fratres, ingenio tanto, quantum id convenit existimari ex summorum hominum testimoniis, minime hoc loco commemorabuntur, quod

---

se per avventura importuna, la supplico humilissimamente ad iscusare l'ardentissimo desiderio, che ho di testificargli con ogni maniera la prontezza mia nell'ubbidirla e servirla.

(1) *In patria coeperat jus civile docere an. 1560. & quindecim post annos collega datus fuerat Menochio: Vid. Riccobonium* de Gymnasio Patavino lib. II. cap. V.

(2) Praeludia in Feudorum usus seu consuetudines Venetiis 1575. *Vid. etiam* Soacii, Hieronymi Garzonii, & Annibalei Tractatus de Feudis. Francofurti 1597. *Libellus de Romanorum & Venetorum magistratuum inter se comparatione Lipsiae 1614. editus fuit.*

eorum opera & industria in canonicis legibus interpretandis, ut alibi diximus, consumpta fuerit.

Volaterranos Guidios Medicei Duces sic in suam receperunt fidem, ut nihil non ab iis sperare posse viderentur. Quae Jacobus & Camillus pro gloria Principis, pro dignitate imperii, pro Academiae bono, & pro universa re publica gessere, plures historiae monumentis mandarunt, & ii profecto nullam aliam mercedem laborum periculorumque desiderasse visi sunt, praeter illam laudis & gloriae, qua quidem detracta, ut ait Cicero, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Camillo frater erat Joannes, hicque in lucem venerat an. 1547. patre Francisco Jurisconsulto, matre autem Maria Landinia. Nondum ille ab adolescentia excesserat, cum profiteri juris prudentiam in Academia coepit, a qua discessit, ut sederet judex in Senensium Rota. Idem munus sustinuit apud Bononienses, qui tantum tribuere ipsius sapientiae, ut an. 1588. in illo per quinquennium, raro sane exemplo, eundem confirmaverint. Post id Romam concessit, cumque illum potentiores ad defendendas fortunas advocatum invocarent, fama & divitiis auctus est. Ibi diem extremum obiit an. 1601. & quod laudem consecutus fuerit omnium, ac multorum benevolentiam, quae sunt vitae beate degendae praesidia firmissima, nihil illo fortunatius fuisse videtur.

Vix in Guidii locum an. 1575. successit Benedictus Pescionius Florentinus, cum probare omnibus voluit quam eo dignus esset, editis Florentiae *Commentariis ad titulum Institutionum de obligationibus, & quibus modis re contrahitur obligatio*. Nuncupavit opus Francisco Mediceo Magno Duci, a quo honores & fortunas sperabat. An. 1583. biennio ferme postquam Academiam deseruerat, in collegium Canonicorum Florentinorum cooptatus fuit, & majora fortasse obtinuisset, nisi mors obstitisset, quam obivit an. 1587. cum esset adhuc in flore aetatis.

Franciscus Bertinius Collensis, de quo supra diximus, & Evander

Benvolientius Senensis, quorum ille anno 1583. ordinariam, hic vero extraordinariam juris civilis cathedras occuparunt, audientiam sibi fecisse videntur aut arguendo, aut refellendo quae in circulis proponi consueverant. Benvolientius etiam, quod eloquentiae minime expers erat, proludebat copiose, neque imitabatur Samnites, qui vibrabant hastas ante pugnam, quibus in pugnando minime utebantur, sed ut iis sententiis, quibus proluserat, fortius pugnare posset. In hoc etiam elaborabat, ut oratio, quae ad probandam argumentationem valebat, compta esset sine judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis. Omnino vir erat, a quo plurimum sperare poterat Academia, ad quam venerat postquam in patria plurima doctrinae specimina, neque ea obscura & publice docens, & privatorum caussas defendens dederat (1); sed an. 1586. extinctus est, cum ab adolescentia vix excessisset.

Senensis alter Pamphilus Columbinius Leonardi illustris jurisconsulti filius magis acute videbat quae sunt in Romanorum jure, quaeque in foro agitari consuescunt. Germani eum maxime audiebant, qui tum frequentes iterum coeperant esse in Academia. Neque sane ulli ipse parcebat industriae, quo florentem scholam haberet, & instrumentum illud forense, litigiosum, tractumque ex interpretum opinionibus (exiguum sane atque mendicum) plane inornatum atque nudum haud relinqueret. Cum septuaginta vixisset annos (obiit enim Senis anno 1605.) ex his duodecim in Academia consumpsit, & quod mireris, rei militaris peritissimus fuisse traditur. Filium habuit Leonardum ingenio peracri, studio flagranti, doctrina eximia, & memoria singulari, qui an. 1583. extraordinariae juris civilis cathedrae praeesse coepit, postquam in patria Academia se exercuerat. Bononienses quoque ejus admirati sunt cum diligentiam & fidem, tum prudentiam & scientiam,

(1) *Fertur plura legalium rerum Volumina haeredibus suis reliquisse.*

cum eumdem cooptassent in collegium eorum, qui judicia exercent, quosque Rotae Auditores appellant. Unica extat illius *Decisio* inter Bononienses, ex qua tamen satis intelligi potest, nihil ipsi defuisse ad prudentissimi judicis laudem obtinendam. In patria vitae cursum explevit VIII. Kal. Novemb. an. 1612. sepultusque fuit apud Dominicanos in sepulcro majorum, in quo posita fuit longa sane, atque inelegans inscriptio, quae ejus, patris, & avi singularia in patriam ipsam, & in juris prudentiam merita celebrat.

Iisdem temporibus, quibus Columbinii apud nos docebant, Perusia acciti fuerunt, sed non eodem tempore, Sfortia Oddus, & Philippus Massinius homines nobilitate & doctrina praestantes, qui magisteria exercentes, caussasque defendentes magnam sibi famam comparaverant. Quantam doctrinae vim ad scholam detulerint, ex eorum editis scriptis dijudicari potest, quae quidem sunt multa (1), neque vulgaria, si spectes rationem, qua tum in scholis, tum in foro juris prudentia tractabatur. Sed de iis separatim dicere praestat. Pater Sfortiae fuit Galeottus Oddus, qui eum Perusiae suscepit ex Virginia Penna an. 1540. quae familiae genere ac nobilitate primae putabantur. Quod in ea urbe magna semper copia fuit Jurisconsultorum, nec medio-

(1) *Pertinent ad Oddum*, Tractatus de restitutione in integrum *impressus primum Perusiae 1571. postea Venetiis & alibi*, Tractatus compendiosae substitutionis *ter usque editus*, de cesso debitore, Venet. Tractatus de fideicommissis inductis per prohibitionem alienationis Venet. 1622. & Decisiones, Venet. 1593. lib. I. *Pertinent autem ad Massinium* Commentaria de officio ejus &c. & ad l. Gallus Perus. 1615. Selectae juris distinctiones Centuria I. Ticini 1610. & Venet. Commentar. in primam ff. veter. partem: Perus. 1615. in secundam Infortiat. partem Bonon. 1617. Tractatus de Legatis & ad legem Falcidiam Bonon. 1617. Tractatus ad l. I. Cod. de edendo, & Comment. in secundam partem Cod. Tractat. de bonor. possess. jur. accresc. & substitut. Ticini 1600.

ctia praemia proponebantur iis, qui juris prudentiam tenebant, Sfortia, quanquam artibus variis atque multis, ne musica quidem excepta, in qua excelluit, in adolescentia fuerit deditus, illam tamen quaestuosam disciplinam praecipue sibi excolendam putavit. Lauream aestate an. 1569. accepit, neque multo post ejusdem in patria docendae onus suscepit. Eodem ferme tempore Parmam concessit, ut armis prudentiae Caesarem fratrem defenderet, qui homicidii insimulabatur, & postquam fraternae pietati satisfecit, sic ad suum munus rediit, ut propter assiduitatem & industriam in docendo, & propter exquisitius & minime vulgare orationis genus omnium animos ad se converterit. Longius autem procedens, & maxime in obscurioribus interpretandis legibus adhaerescens, coepit etiam absentibus notus esse, quapropter multae Academiae ejus doctrina frui concupivere. Maceratensi primum operam suam per quadriennium tribuit, quo expleto Pisas an. 1578. vocatus est, (1) ex qua urbe quatuor post annos Ticinum concessit, ac

(1) *Decrevit Princeps*: primam occupet cathedram citra praejudicium antianitatis quo ad praecedentiam. *Rationem enim habendam esse putavit Hieronymi praesertim Papponii, qui haec ad illum scripserat.*

Serenissimo G. Duca

Supplico V. A. S. che mi voglia scusare, se io le sarò nojoso con questa mia lettera, la quale son forzato a scriverle spinto dall' occasione, che nasce dal doversi in breve spedire il negotio dello Studio, e perchè quà si è sparso voce, che sia stato condutto alla lettura Ordinaria di Ragion Civile della sera Mes. Sforza Oddo da Perugia nel primo luogo, mi occorre ridurre a memoria a V. A. S. ch' io ho servito in questo Studio per Lettore 36. anni finiti, e nella prima Cattedra della sera dalla morte di Mes. Antonio Ciofi in quà, che sono hormai anni 14. se non più, e se io non m' inganno, mi pare di haver servito commodamente, e con

ac demum an. 1599. Patavium, postquam biennium in patria consumpserat, quo tempore negotiorum illius caussa legatus fuit ad Summum Pontificem Clementem VIII. Non diu Patavinis opera Sfortiae frui licuit. Is enim an. 1600., cum incredibilis contentio & preces intercessissent Rainucii Farnesii Parmae & Placentiae Ducis, primum locum in Academia Parmensi occupavit, & Principi quoque, postquam

---

sodisfatione per quello, che si è visto dalla frequenza delli scolari, che hò havuto, e mi trovo di età di anni 60. spesi tutti in servitio di questo Studio, per le quali cose, & altre che si tacciono, non mi posso persuadere, che questo nuovo Dottore mi habbia ad esser preferito, potendomi essere per età figliuolo, e per dottrina quanto al tempo Scolare, aggiunto a questo che la consuetudine di questo Studio osservata dalli Serenissimi suoi antecessori è stata che li più antichi di Dottorato debbino esser preferiti nel luogo alli altri più giovani, & in me concorre oltre all'esser più antico di Dottorato l'essere ancora più antico Lettore di molti, e molti anni, & haver letto in questo Studio assai più famoso, che quello di Macerata, e di fama pari, se non maggiore, a quello di Perugia. Però supplico V. A. S. che mi voglia far grazia di non esser rimosso dal mio luogo, poichè questa sarebbe cosa, che a me tanto pregiudicherebbe, massime potendosi contentare il suddetto Sig. Oddo del luogo, che per ragione se gli perviene, come fece già Mes. Rinaldo Ridolfi suo compatriotta lettore di più età, e più esercitio che lui, e Mes. Giulio Saleroo da Pavia, i quali, come più giovani, lassorno in pacifico possesso del suo luogo Mes. Antonio Ciofi per esser più antico Dottore di loro. Nè altro occorendomi resto baciandole humilmente la veste, con pregarle da Dio il colmo di ogni felicità. Di Pisa il dì 17. di Settembre 1789.

Di V. A. S.

Humiliss. e Devotiss. Servo
Hieronymo Papponi.

Digitized by Google

in multis gravissimisque rebus illi fidem & benevolentiam suam probaverat, a consiliis fuit. Quantum eidem sui desiderium reliquerit ob mortem, quam obivit an. 1611. declaratum est pompa funeris, quod ei faciendum curavit in Aede *Servorum* B. M. V. laudationemque habuit Hieronymus Figinius Mediolanensis (1), qui fuerat ex ejus discipulis unus. Unicum suscepit filium, quanquam binas in matrimonium duxerat feminas, ex Florieta Raineria Perusina, cujus honori ipse consuluit. Nam pro gratia, qua plurimum poterat apud Ferdinandum I. ab ipso an. 1592. obtinuit, ut ex parte bonorum suorum institueretur Bailatus, ut loquuntur, Ordinis S. Stephani, cujus possidendi jus esset penes familiam suam. Quanquam forum & schola fuerint curriculum industriae Oddii, nihilo tamen minus, quod erat instructus humanioribus litteris, & valebat genere jocandi eleganti, urbano, ingenioso, faceto, bonus comoediarum scriptor evasit. Tres ejus extant comoediae (1) quae plurimum laudantur ab Adriano Polito, qui narrat etiam quaesiisse ab eo Clementem VIII. quando, ut diximus, ad hunc venerat patriae suae legatus, num in hoc scriptionis genere amplius exerceretur, & tum puduisse, quod antea puditum non erat, eaque propter respondisse Pontifici: ***Beatissime Pater, delicta juventutis meae ne memineris.***

Sed ad Massinium veniamus. Is Perusiae natus est Innocentio

---

(1) *Laudationem aliam habuit Perusiae Marcus Antonius Salvuccius, & haec typis vulgata fuit, nuncupataque Odoardo Farnesio Cardinali.*

(2) *Earum hi sunt tituli.* Erofilomachia, o sia duello d' amore e d' amicizia; In Perugia per Valente Panizza 1572. in 8. I morti vivi; Perugia per Baldo Salviati 1576. in 8. La Prigione d' amore: Firenze presso il Giunti 1590. in 8. *Qui de his Comoediis scripserunt, ignorasse videntur editiones, quae primum factae fuerunt, quasque nos recensuimus, omissis posterioribus. De his comoediis pluribus disseruit Apostolus Zenus in Vol. I. pag.* 370. Annotaz. alla Biblioteca dell' Eloquenza Italiana del Fontanini.

Digitized by Google

patre, matre autem Ludovica Carbonchia Kalend. Maii an. 1559. Non sic studuit juris prudentiae, cujus insignia accepit exeunte an. 1580. quin multam quoque operam dederit humanioribus litteris & philosophiae (1). Ex patrio Gymnasio, in quo non diu docuit juris prudentiam, ad Firmanum transiit, ex hoc autem ad Pisanum an. 1592. cum stipendio CCCC. centussium, succedens in locum Oddii, cui DC. usque pendebantur. Erat tum in more positum, ut conductiones Doctorum fierent ad quadriennium, quo expleto, tum Oddius, tum Massinius a nobis discesserunt. Hic autem, cum jam famam sibi optimi jurisconsulti comparasset, locum facile invenit in Ticinensi Lyceo, in quo per XIV. & ultra annos fuit, jus civile & voce & scriptis sic exornans, ut perpauci illi pares ponerentur. Anno demum 1612. veluti postliminio Pisas rediit, neque mediocre est indicium opinionis, quae de illo habebatur, quod pro stipendio assignati ipsi fuerunt MCCC. usque centusses, CC. vero pro viatico, & obligata ejus fides ad sexennium. Non ultra tamen annum 1616. in Etruria mansit, & bona cum Principis venia ad Bononienses transiit, apud quos vitam amisit IV. Kal. Junias an. 1618., sepultusque fuit in S. Petronii Aede. Extant litterae Jacobi Lagerii ad Bonciarium datae Pisis ineunte an.

(1) *Ejus in humanioribus litteris praestantiae argumento esse possunt*, Lezioni dell' Estatico Insensato, *quas diversis temporibus habuit in Perusina Academia, cui nomen erat* degli Insensati, *Perusiae apud Petrum Jacobum Petruccium* 1588. *in* 8. *nec non* Rime al Serenissimo D. Cosimo de' Medici G. Duca di Toscana: in Pavia per il Viviani 1609. in 12. *Quaedam etiam Massinii carmina separatim edita fuerunt, ac binae illius odae, altera de laudibus Lauretanae domus, altera, quae inscribitur*, la Villa, *falso Francisco Panigarolae tributae fuerunt. His adde* il Candore Amoroso in Venezia 1609. *& Perusiae anno post. Multa etiam reliquit inedita carmina, de quibus mentionem fecit Quadrius* (Stor. e Ragion d'ogni Poesia Tom. VII. p. 101. & 102.).

Digitized by Google

1613. ex quibus intelligi potest quae essent Massinii in ea urbe occupationes, quantumque deditus esset studio litterarum, ac praesertim poesis (1). Is non minus voluntati & gratiae Cosmi II. deditus fuit, quem etiam patronum adscivit libello suorum carminum Ticini edito an. 1609. Visus vero est nimium illius praesidio confidere, cum honore antecedere contendisset non omnes modo collegas, sed & ipsum Academiae Curatorem. Porro iis temporibus nil frequentius erat hujusmodi controversiis, quae interdum sic judicabantur ab iis, qui judicia Florentiae exercebant, perinde ac si de aris ac focis lis esset (2). Neque vero nunc est quisquam, qui haec admodum curet, eaque propter non putavi in iis commemorandis diutius esse immorandum. Denique si ad ea, quae a nobis dicta sunt de Massinio, addideris non

---

(1) *Harum exemplar communicavit nobiscum Aloysius Mariottus Perusinus, vir sane eruditissimus, & de patria, quam praeclaris scriptis illustravit, optime meritus.* Massinius multum tibi impertit salutis, illique de more favent Musae, & post Perusio discessum, dum has Pisanas colit sedes, non solum ad difficillimarum materiarum hoc primo semestri currentium interpretationem incumbit, & in circulorum decertationibus tot excellentissimorum Doctorum subtilissimis argumentis proponentium satisfecir, sed etiam varias composuit distinctiones, & ab Illustrissimis viris consultus in caussis gravissimis, & maximi quidem momenti de jure eleganter & erudite respondit; & sex decem dierum curriculo CLX. epigrammata, seu potius madrigales, ut appellant, ex Graecis deprompsit, duaeque odae ab uberrimo illius ingenii fonte emanarunt. Haec de Massinio tuo Aristotelico, & Platonico, ipsiusque Juris prudentiae principe, ac quasi trium disciplinarum ornamentis illustrato ad te scripsi, non ut de illius virtute praecellentique doctrina mentionem tecum facerem, quam quidem superfluam omnino apud te semper judicavi, sed ut de illius labore, & in scribendo componendoque mirabili celeritate te ipsum certiorem facerem &c.

(2) *De hac re vid. Jacobum de Comitibus* Dec. Florent. *Rescripsit autem Princeps.* Nelli atti Collegiali, che si fanno nella solita stanza de' Dottorandi

minus illum de officio, quam de dignitate sollicitum fuisse, ac neminem ad scholam venisse paratiorem, vigilantiorem, compositioremque, & in explicandis Romanis legibus non modo acumen, sed etiam elegantiam, eruditionem atque philosophiam adhibuisse, debitum ejus virtuti praeconium tribuisse judicaberis. Cum in matrimonium an. 1602. duxisset castissimam feminam Virginiam Narducciam, ex hac plures genuit liberos, & in his Innocentium paternorum studiorum imitatorem, qui postquam judicia exercuit Florentiae in collegio Rotae, ut vocant, Auditorum, jus civile docuit in hac ipsa Academia, magna quidem cum nominis sui gloria, & discipulorum utilitate.

Cum Perusinorum erga Academiam nostram merita considero, non possum non inflammari desiderio debitas illis laudes persolvendi. Quid valeret in jure civili Sauctes Ballerinius Bernardini tabellarii filius, ac natus Perusiae an. 1577., saepe testatus fuerat Massinius; neque mediocria ingenii argumenta dederat cum an. 1596. per biduum in aula publica, antequam laurea donaretur, multas decades thesium defendisset, & ipsum jus civile in patrio Lyceo per XI. annos explicasset. Vocatus itaque ad Academiam nostram fuit an. 1607. cum stipendio CCCC. centussium, assignataque ei cathedra ordinaria atque vespertina juris civilis, quae honoratior habebatur. Nullius unquam schola magis celebrata fuit non solum propter hominis doctrinam, quam propter morum facilitatem singularem. Testatur quidem Octavius Lancellotus (1), qui eum bene noverat, ex ea quamplurimos

---

il Priore del Collegio preceda a tutti, e dopo il Priore preceda il Primario (*hoc titulo decoratus erat Massinius*) e dopo il Primario preceda il Priore de' Cavalieri di S. Stefano, ed il medesimo si osservi nell'andare ad accompagnare i laureandi. Ma nelle scuole, circoli, dispute, quando v' intervenga detto Priore della Chiesa, o nelle processioni, & altre pubbliche, o private funtioni il Priore della Chiesa preceda alli predetti Priori del Collegio e Primario. 22. Ottob. 1614.

(1) Scorta Sagra; *sic liber inscribitur*.

prodiisse, qui decus addiderunt non solum Pisano, sed etiam Ticinensi, Patavino, aliisque Italicis Gymnasiis. Conveniebant quoque domum illius studiosi adolescentes, & quos sua amicitia dignos putasset, saepe ad convivium invitabat. Virtutem enim cum honesta voluptate copulatam esse debere docebat, ut qui ab hac illam distraherent, atque divellerent, inhumanos ac ferreos judicaret. Sua sorte contentus, sedis mutationem, ut ceteri fere omnes alicujus nominis Doctores, minime quaesivit, & patriae caritas, & otii cupiditas ab eo obtinere potuere, ut Pisanam Academiam relinqueret, postquam per totos XXVII. annos utilem illi operam praebuerat (1). Dum multis officiis optimi civis in patria constrictus detinebatur, domum satis lautam nobili in loco aedificavit, quae non tam domini praesentia, quam Principum hominum hospitio nobilitata fuit. Vitae honoratissimae curriculum confecit VII. Kal. Februar. an. 1644., tumulatusque fuit apud Minoritas. Quanquam eximium ingenium industria semper aluerit, nullum tamen, quod sciam, reliquit opus, si excipias, quae de jure consultus respondit.

Per octo usque annos Athenaeum hoc nostrum usum est opera Alexandri Ro Mediolanensis, qui alio etiam nomine Raudensis appellabatur. Antequam ad illud e Ticinensi an. 1592. accederet, Romam iter facturus ad Summum Pontificem Gregorium XIV. quocum propinquitatis vinculis jungebatur, cum Florentiam venisset, acceptus honorifice fuit a Ferdinando I. qui non sat habuit illexisse hominem gloriae cupidum sermonibus humanissimis, sed &

(1) *Testatus est Academiae Curator*, che ne'27. anni, ne' quali servì l' Accademia e il Principe non lasciò mai letione alcuna, e che avendo richiesto di partire nell'ultima terzeria già cominciata, e nel maggio del 1634. per liberarsi da alcune sue indisposizioni, l' ottenne con scudi 100. l'anno a beneplacito di S. A. S.

ejus filium nomine Jo. Antonium in Stephanianorum Equitum Ordinem legit. Etenim illi minime deerat generis nobilitas. Labore & industria, & quod adhibebat ad obtinendas caussas curam etiam & gratiam, aliquot annos in principibus Mediolanensibus patronis fuit. Nondum ab adolescentia excesserat, cum ei commissa fuit a Trivultiis maximi momenti caussa, ob quam Matritum ad Philippum II. Hispaniarum Regem venit. Magnis autem ab hoc cumulatus beneficiis, gratum se eidem praebere voluit, nuncupavitque opus *de analogis, univocis & aequivocis* editum Venetiis an. 1687. Quis tenere risum poterit, cum relatum leget, Raudensem quaerere analogiam, ut ipse ait, quamdam inter Dei Matrem, cui principio operis nuncupationem destinaverat, & illum Regem, quo nullus in toto erat orbe inverecundior & fraudolentior? Quantopere autem gratiam Principum, & summorum hominum amicitias desideraret, ex aliis ejus nuncupatoriis epistolis (1) cognosci potest, neque hoc factu difficile erat magni nominis jurisconsulto, cui omnes honorem habebant. Complebatur autem insatiabili gaudio, cum se aliquid novi, si tamen id fieri potuit, reperisse in tractanda juris prudentia putabat, cujus rei exemplum attulit in cap. XXI. n. 5. operis, quod supra commemoravimus. Idem jactare quoque se potuit non minus ad scholam, quam ad forum aptum esse, & ipsa merces DL. aureorum, quae ei pendebatur, quaeque post quadriennium ad DCCC. usque aucta fuit, argumento esse potest quam doctus juris prudentiae Romanae praeceptor esse judicaretur. Quem cursum ejus industria habuerit, postquam a nobis an. 1600. discessit, prorsus ignoro. Discessisse quoque cum eo videtur ejus filius Paullus, cui biennio ante commissa fuerat Caesarearum Institutionum explicatio. Ceterum Alexander Pisis, atque in

---

(1) *Commemorandam putamus epistolam, qua an. 1595. Ferdinando I. Volumen* Consiliorum, sive Responsorum & Decisionum *suarum nuncupavit, quod nil nisi tanto Principe dignum ipsa contineat.*

Digitized by Google

Aede S. Frigdiani extare voluit monumentum, quod posteris traderet suum singulare in Academiam studium, caussamque, honestam illam quidem, afferret suae ab eadem discessionis. In eo enim haec exaravit.

ALEX. RAUDENSIS

MEDIOL. COMES BURGETI

E PRIMO LOCO

LEGUM INTERPRES

IN PATRIAM REVERSURUS

AD HONESTUM OTIUM

EIUS VERISSIMI AMORIS

VESTIGIUM

F. C.

ANNO M. D. C.

Iam si quaeras quibus scriptis ad hominum famam pervenerit, haec praesertim commemoranda videntur, *Consilia*, *Decisiones Pisanae*, nec non *Mediolanenses*, *Decisiones Feudales*, *Variae Resolutiones*, *de legitima successione*, *de analogis*, *aequivocis & univocis*, quae omnia ad forensia certamina pertinent, quae inire coepit, vix dum e Riminaldi iunioris schola prodierat, & ab eo doctrinae insignia acceperat.

Digitized by Google

Nihil habeo quod commemorem de Cypriano Pagnio, & Antonio Magnanio Pisanis, qui si idonei fuerunt ad sustinendum Doctoris munus, cum nihil egissent, quod commendaretur hominum memoriae, de iis silendum puto. Sane tum non deerant homines ingeniosi, & eruditi, et exercitati, qui ad hujusmodi munera obeunda ultro studium atque operam profitebantur suam, & qui in tradenda quasi cursu aliis lampada & laboris patientiores, & doctrinae copia instructiores erant, atque in his laudandis institutam narrationem persequemur.

Plurimum quidem faverunt Medicei Principes Fachineis Foroliviensibus, qui juris prudentiae, quam professi sunt, omne virtutis decus junxerunt. Ex his Andreas, ejusque filius Philippus numerati sunt in optimis praeceptoribus, iique non modo renovarunt memoriam suorum majorum, qui scientia legum floruerant, sed etiam auxerunt. Andreas ex Ingolstadiensi Academia, in qua totos novem annos jus civile docuerat, ad nos an. 1597. vocatus fuit, proposito praemio CCCC. centussium (1). Hoc se debere dixit Christinae Lotharingiae Ferdinandi I. uxori, cui, ut grati animi testimonium daret, nuncupavit *Controversiarum juris volumina*, magnum sane opus, & novitate ipsa com-

Serenissima Signora

(1) Havendo inteso per lettere del Sig. Mercuriale mio socero quanto benignamente l' A. V. S. mi habbi fatta gratia della lettura di Pisa, vengo con questa a ringratiarla con ogni maggior & humilissimo affetto, assicurandola che se havrò bona licenza da questo Serenissimo Duca, io accomodarò subito le cose mie & per tutto Settembre in circa partirò di quà & verrò a servirla & obedirla con ogni fedeltà & prontezza: Et se bene per ancora non hò detta licenza, nondimeno non ci vedo alcuna difficoltà, & fermamente spero di ottenerla. Così piaccia a Dio concedermi gratia di

mendatum. Praeter haec emisit tres *Consiliorum* libros, & miror equidem cum haberet ex juris prudentia, unde sumptus faceret, non mediocri se aere alieno obstrinxisse. Sed homo ingenuus liberaliterque educatus, parvo contentus minime esse poterat, & pecuniae fructum maximum putabat posse liberalitate uti. Alebat etiam domi adolescentes, qui animi & ingenii spem ostendebant, quosque ad eas artes secum recolendas ac celebrandas, quibus a puero deditus fuerat, invitabat. Decennium usque Academia vocem audivit hominis sapientis & recti, in quo gravitas summa, & naturalis inerat bonitas, ejusque mortem lacrimis decoravit. Plures ipse susceperat liberos ex Camilla Hieronymi Mercurialis filia, quorum bini Bernardinus, & Philippus patris secuti sunt vestigia. Ille autem, cum esset apud nos Institutionum Caesarearum magister, patris mortem non vidit, cum paucos ante menses obiisset, hic in fratris locum suffectus, quanquam tum erat admodum adolescens, tanto in honore fuit, ut ad summos gradus facile pervenerit. Quare de eo vere dictum videtur ab Antonio Merenda, cum ad Mediolanensem Senatum in haec verba scriberet (1).

---

venir sano & salvo, & servirla bene, & longamente, come spero & desidero, & mi sforzerò di fare, acciò l'A. V. S. non resti pentita di così importante gratia che s'è degnata di fare al Sig. Mercuriale & a me. Prego N. S. Dio che sempre conservi felice l'A. V. S. alla quale humilissimamente m'inchino. Di Inglostadio alli 29. di Giugno 1597.

Di V. A. S.

Humiliss. & Devotiss. Servo
Andrea Fachinei

(1) *De eo etiam haec retulit ad Principem an.* 1619 *Academiae Curator*. Filippo Fachinei nipote del celebre Mercuriale ha letto in Pisa 12. anni &

Digitized by Google

Non possum, Patres amplissimi, praeterire clarissimum antecessorem Philippum Fachineum Andreae Controversiarum Auctoris celeberrimi filium in Pisano Gymnasio mane e primo loco jus civile tanta subtilitate, facilitate, eruditione & eloquentia exponentem, ut qui jus nostrum, & ipsius virtutem bene novere, unanimi sensu pronuntient, ulli Italicarum hujus temporis Juris Professorum, absque injuria non posse secundus existimari. Coactus persequi lite bona, quae ei testamento reliquisse videbatur Hieronymus Mercurialis, cujus non cognomen modo, sed & nomen assumpserat, & cum decem usque liberorum pater esset, in summas rei familiaris angustias se adductum esse dolere debuit, quae etsi ejus diligentiam minime retardarunt in instituendis discipulis, abstraxerunt tamen ipsum a mandando litteris cogitationes suas. *Non usitata frequentia stipati sumus discipulorum*, scribebat ad amicum, *domi etiam habemus multorum nummorum bibliothecam; sed nisi praesto nobis erit Principis liberalitas, de cujus erga me voluntate nunquam dubitavi, verear ne perturbationi animi, fortunaeque succumbam.* Ejus aerumnam quidem allevavit Ferdinandus II. & beneficia quoque, eodem mortuo, qui casus accidit VI. Kal. Novemb. an. 1631. contulit in ejus uxorem atque liberos (1). Fuit enim semper apud illum virtuti doctrinaeque honos, ut vel ii beneficia ferrent, qui minime implorabant.

è ordinario canonico con scudi 130.. Ha bella lingua latina, buon ingegno, prontezza, e buoni principj, in somma grand' apparato di far bene. & i suoi consulti sono stimati. E' Assessore degli Ebrei. Ha moglie con tre figliuoli, & ha pagato, e paga molti debiti del padre.

(1) *Haec retulit Academiae Curator.* Il Dottor Girolamo Mercuriale, o sia il Dottor Fachineo Mercuriali, cominciò a leggere nello Studio di Pisa nell' an. 1607. con provvisione di Scudi 45. (*haec erat merces Institutionum interpretum*) e come figlio dell' insigne Dot. Andrea andò emulando il paterno valore, e di grado in grado si tirò avanti in maniera,

Nunc dicendum est de Jacobo Antonio Marta Neapolitano, cujus nomen illustre est penes forensis juris prudentiae cultores. Is natus est IV. Id. Feb. an. 1542., & cum nomen avi haberet, qui claruerat doctrina juris, & prudentia in consiliis dandis, quique propterea charissimus fuerat Ferdinando Gonzagae Siciliae proregi, hujus gloriam se posse aequare speravit. Neque illum sane spes fefellit. Nam cum a natura habuisset acutissimum ingenium, & hoc aluisset industria singulari, summi jurisconsulti facile laudem obtinuit, quanquam neglexerit semper disciplinae, quam profitebatur, insignibus decorari. Romae primum in artis curriculum descendit, ibique dum in Archigymnasio jus civile interpretabatur, opus *de Tribunalibus Urbis, & eorum praeventionibus* an. 1589. emisit. Pisis autem, ad quas venit an. 1596. cum stipendio CCCC. centussium, non modo e superiori loco jus docuit, sed etiam, competitore

---

che arrivò alla cattedra d'ordinaria civile con stipendio di Ducati 600. se ben questo honorario ha goduto interamente solamente dall'an. 1638. perchè per l'addietro ebbe molto meno, e servì con ogni diligenza, e con pubblica utilità e acclamatione. Nel detto anno per benigno rescritto di V. A. S. li furono accomodati Scudi 400. e poi 200. per scontarne 100. l'anno del suo stipendio, e si trova averne scontati 300. Maddalena de Cugea sua moglie domanda gratia a V. A. S. li sia rimesso questo debito in riguardo della sua buona servitù e povertà. Io trovo che del primo matrimonio del defunto sono vivi 6. figli, due maschj (uno però frate) e quattro femmine, delle quali una è di anni 23. & l'altra 25. e del secondo tre maschj ed una femmina, tutti minori di anni 4. posti in una gran necessità, il che ho veduto con occasione di visitar la libreria del defunto, la quale è il miglior mobile, che ritenga in casa, essendo tutto il resto oppegnorato per alimentare la famiglia, e sostenere la dispendiosa lite del Mercuriali. La benignita di V. A. S. che si è degnata altre volte riconoscere la buona servitù d' altri Lettori e loro eredi, come delli Dottori Balletino, Vuetti, Gustavini, Sinibaldi & altri, vorrà &c. *Ad haec rescripsit Princeps*: non si molestino & diasene debito allo Studio.

Hieronymo Papponio exercitatissimo & plane veterano Jurisconsulto in circulis, atque in judiciis plurimum versatus est. Quanta cum nominis sui fama haec omnia praestiterit satis declarant ejus acroases, seu *Repetitiones in Rubr. & leg. 1. Digest. soluto matrimonio* editae Florentiae an. 1599. & in *l. 1. Digest. de nov. oper. nunciatione* anno post in eadem urbe impressae, circulares *Disputationes* iisdem annis habitae, & *Decisiones* Collegii Pisani, & *Vota*, quibus de *Feudis*, *de Emphyteusi*, *de Commendis*, *de jure patronatus*, *de Spiritualibus*, *de ultimis voluntatibus*, *de mercatura*, *de judiciis*, aliisque hujusmodi rebus plurimis copiose tractavit. Expleto suae conductionis quadriennio, vehementer cum ipso actum est, ut illud renovaret, sed cum aperte diceret, se nullo modo ferre posse multorum Doctorum petulantiam, qui alienigenis praesertim invidebant & obtrectabant (neque sane ejus mores rustica asperitate conditi ad illos molliendos erant idonei) Academiam atque Etruriam deseruit. Profecto praemia doctrinae tanto viro deesse non poterant. Tenuit enim primum locum inter juris prudentiae magistros tum in Patavino, tum in Ticinensi Lyceo, neque cessavit unquam a scribendo, solitus dicere non minus turpe esse homini litteras profitenti nullum post se relinquere scriptum, quam libero nullos post se relinquere haeredes. Porro non facile quem dixerim plus studii & laboris adhibuisse ad excolendam juris prudentiam forensem, cui magnum se afferre posse beneficium putavit, si collegisset universi pene orbis Decisiones jam impressas, easque sic distribuisset, ut quae res controversae & plenae dissensionis essent inter jurisconsultos, ex aequo & bono dijudicarentur. Universum opus sex constat voluminibus, quae Venetiis an. 1620. & biennio post Coloniae Allobrogum impressa fuerunt. Nimis vero longus essem si singula commemorare vellem, de quibus ipse & disseruit & scripsit, cum esset in universorum generum infinitis disceptationibus, & in omni jure exercitatissimus. Quare omnibus consilii sui copiam faciebat, & ad eum sic adibatur, ut non solum de jure civili, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de testamento fa-

Digitized by Google

ciendo, de re publica adminiſtranda, de omni denique officio & negotio referretur. Nec deerat etiam illi transmarina atque adventitia doctrina, denique nihil iis temporibus sciri diſcive potuit, quod ad mercaturam, feuda, inſtitutionem civitatum, pacta ſocialia, legum originem pertinet, quod ille non cum inveſtigarit & ſcierit, tum etiam conſcripſerit; ſed ut vita, ſic oratione durus, incultus, atque horridus fuit. Quantum autem ſibi tribueret ob tantam doctrinae copiam, ex eo cognoſci poteſt, quod nuncupans Scipioni Burgheſio Cardinali *Tractatum de clauſulis* confidentiſſime ait hoc ſe feciſſe *ad aeternam ſuae celſitudini gloriam* comparandam. Erat is quidem Ticini an. 1623. ſumma ſenectute, cum typis commiſſurus erat magnum opus, & forenſibus utiliſſimum, quod inſcribitur: *Summa totius ſucceſſionis legalis*. Hoc cum dicaret Carolo Belmontis Marchioni, ait ſe ſemper patriae ſtudioſiſſimum fuiſſe, quamvis ab ea per multa luſtra abfuiſſet, illius gloriae, quantum ingenii vires ſivere, ſerviiſſe, ſeque brevi ad ipſam rediturum, ut in illius gremio ac ſinu, quod vitae reliquum erat, conſumeret. Verum mors, quam eodem illo anno obiit, impedivit ipſum, ne ſuos reviſeret. Quod Papadopolus tradidit (1), Jacobum vitam amiſiſſe vel Patavii, vel Venetiis, neque refellere, neque affirmare auſim.

Praeſtantia dignitatis & fortunae doctrina & virtute parta multos anteceſſiſſe videtur Antonius Curinius Eques Blaſii Pontremulenſis F. qui an. 1592. vix dum doctrinae inſignibus decoratus fuerat, coepit Caeſareas Inſtitutiones explicare tenui mercede XXXXV. centuſſium. Tum Senis, tum Piſis ille praeſertim audierat Hieronymum Benevolentium virum, ut appellat Paganinus Gaudentius, ſanctitate morum & ſcientia juris clariſſimum, quo auctore, ex Academica & umbratili exercitatione in caſtra atque aciem forenſem prodiit. Relicta igitur an. 1599. Academia, judicia tum Senis, tum Florentiae exercuit, multiſ-

(1) Hiſtor. Gymn. Patav. lib. III. c. XXIX.

que extraordinariis mandatis iisque gravissimis Mediceorum Principum satisfecit. Rediit vero Pisas an. 1609. ordinarius & vespertinus juris civilis Magister cum stipendio DC. usque centussium (1), quo in loco nactus est competitorem & collegam Sanctem Ballerinium. Cum aliis bene multis optime paratis & exercitatissimis pugnavit, sed omnibus par esse potuit, cum prope perfectus in omni disciplina juris putaretur. Saepe etiam munus de jure respondendi sustinebat, qua in re ejus opera erat gratior, quod praeter opinionem summam, quam habebat prudentiae & fidei, ejus auctoritas plurimum apud omnes valebat. Has ob caussas an. 1634. addictus aulae fuit, Ferdinando II. Magno Duci a consiliis, (Auditorem Fiscalem appellabant) quo in munere honori patris (nullus enim huic splendor defuit) respondit. Nil quidem tam curabat quam posse opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines intra aequitatis fines, & prudentissimis consiliis, sapientissimisque sententiis levare Principem facillimum atque humanissimum onere administrandae reipublicae, & oblectare etiam atque erudire in familiaribus congressionibus: nam illius domum facile Academiam atque Lyceum dixisses. Quanquam perpauca habeas, ex quibus de doctrina Curinii ju-

(1) *Cum de eo referret ad Principem Academiae Curator an. 1619. haec scripsit.* Cavalier Ant. Curini Pontremolese hà di dottorato 31. anno e 16. dice di servizio colla Serenissima casa di V. A. tra le Ruote di Siena e di Firenze e lettura in Pisa, che otto in gioventù d' Instituta, e straordinario civile, è 10. ora ultimamente d' ordinario civile della sera, che quattro la prima condotta con Sc. 600. e l' altra di sei, che finisce ora, con scudi 800. ed ha un luogo nel Consiglio dell' Ordine, che vale scudi 9. il mese. Domanda ora secondo l' uso finita la sua condotta aumento e di essere dichiarato primo lettore civile della sera, cosa nello Studio di Pisa non mai, ch' io sappia, usata, e da ire con molta considerazione a concederla. *Ad haec rescripsit Princeps.* Accordensigli 100. scudi con la condotta di 8. anni senza più aumenti.

Digitized by Google

dicare possis, quae tamen ejus Consilia edita fuerunt cum Venturini Consiliis, satis ipsam declarant, & hoc perscriptum in veteribus monumentis reperies, eumdem sapientia dicendi faciendique praestitisse, & habuisse semper in consilio legem, religionem, aequitatem atque fidem. Multa quoque, eaque prorsus mirabilia, de eo praedicantur ab Jano Nicio Erythraeo, qui etiam affirmat, quod cum illius mores ad nimiam austeritatem gravitatemque incumberent, effecisse tamen doctrina atque diligentia, ut facilitas in audiendo, mansuetudo in decernendo, lenitas in disputando apparerent. Laudare ille solebat Cyrum illum a Xenophonte non ad historiae fidem scriptum, sed ad effigiem justi imperii, cujus summa gravitas multis condimentis humanitatis mitigabatur, & hoc sibi praesertim proposuisse videtur, ut ne minimam quidem rem quisque posset ullam in se merito reprehendere. Extremum diem obiit Florentiae mense Decembri an. 1638. ejusque mortem lacrimis decoravit magnus ille ingeniorum, omnisque virtutis existimator Ferdinandus II.

Franciscus Lancellottus Perusinus, & Octavius Compagnius nobilis Pistoriensis an. 1599. Extraordinariae juris civilis cathedrae praefuerunt. Hic anno post desiit esse in albo Doctorum, quod in Senensium Judicum collegium lectus fuit, ille autem per totum quadriennium suscepto oneri cumulate satisfecit. Quanquam aetate, honore & fama ceteris, quos supra nominavi, Perusinis erat inferior, si diutius tamen vixisset, non solum sperare, sed etiam confidere poterat se in principibus Jurisconsultis numeratum iri. Sed summa ingenii indoles extincta fuit pene antequam reipublicae & patriae prodesse potuerit. Patrem habuerat illum ipsum Lancellottum, ex quo prodierunt juris Pontificii Institutiones, matrem autem Mariettam Alfaniam, & in lucem hominum venerat VI. Kal. Novemb. an. 1573. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, vix per aetatem licuit, juris prudentiae sedulam adeo operam navavit, ut, cum explesset nondum XXIII. aetatis annum, in jurisconsultorum collegium cooptatus fuerit, omnesque judicaverint illum paternam gloriam consecuturum. Post id nobilius

apud

Digitized by Google

apud nos theatrum quaesivit, ubi sua virtus cognosceretur, & grave fortasse illi fuit, quod cum superior multis esset doctrina, mercede, habita fortasse aetatis ratione, factus fuisset inferior. Nam LXXV. tantummodo centusses ipsi pendebantur. Sed par erat illum majora sperare a magnitudine animi & aequitate Ferdinandi I., ad quam rem videtur respexisse illius civis & familiaris Bonciarius, cum ad illum his verbis an. 1602. scriberet (1): *Vale, illustris adolescens, & perge alacriter, quo te tua indoles & paternum urget exemplum*. Pisis Lancellottus habitavit, aegrotavit etiam apud Lucam Thomasinium, hominem prudentissimum, & in primis honestum, de quo alibi diximus (2), quique postquam an. 1598, Asculanam praefecturam gessit, ad nos venit ordinarius & vespertinus juris civilis interpres cum stipendio CCC. centussium. Hujus illum caritas sublevavit in rebus ipsius incommodis, ac nemo magis immaturam summae spei adolescentis mortem indoluit.

Per triennium competitorem & collegam habuit Lancellottus Antonium Ansaldium Miniatensem, qui primum ad nos venit an. 1597. Caesarearum Institutionum interpres. Decennio autem post mortem obivit III. Id. Aprilis, neque admodum respondisse videtur expectationi, quam de se principio concitaverat. Ejus cadaver Pisis translatum ad Miniatenses, sepultum fuit apud Minoritas sine ullo monumento; neque sane dubitare possumus, quin ejus cives plurimi eumdem facerent, cum ejus opera multis gravissimisque in rebus usi fuissent.

Satisfecit quidem omnium existimationi Polidorus Ripa Mediola-

(1) Epist. lib. VIII. 13. p. 452.
(2) Vid. supra p. 86.

nensis, & stipendium ipsum M. centassium, quod ei pendebatur, postquam rediit ad Academiam, ad quam primum venerat anno 1603. summae de illius doctrina opinionis signum debet esse certissimum. Rediit autem autumno an. 1610. cum triennio ante ab ea discessisset, ut operam suam Ticinensibus praeberet. Atque ille quidem cum profiteri jus civile coepit, hanc mentem voluntatemque suscepit, ut non modo auditoribus suis cumulate satisfaceret, sed ut ex se quoque haberent, qui forensia negotia tractabant, unde aequitatem discerent. Itaque plura vulgavit (1) quae callidi harum rerum aestimatores magni facienda esse judicarunt. Majora etiam emisisset, si diutius vixisset. Nam cum complesset nondum XLIV. aetatis annum, Pisis diem obiit supremum. In ea inscriptione, quae posita est in Aede S. Frigdiani, ut posteri scirent qui quantusque vir fuerit Ripa, nil nisi vere de eo praedicatum esse videtur. Ea autem sic se habet.

---

(1) Tractatus de nocturno tempore, Papiae 1601. Venet. 1602. & Francofurti eodem anno.

Singulares observationes, Centuriae IV. Venetiis apud Petrum Dusinellum 1605. in fol.

De actis in mortis articulo Commentarii, quibus canonicae, civiles, feudales emphyteuticae, criminalea, ceteraeque materiae continentur: Ticini apud Haeredes Bartoli 1590. in fol. & Francofurti 1600 & 1624.

Tractatus de dividuis & individuis. Mediol. 1611. & Venet. 1612. in 4.

Cato Taurinensis Polydori Ripae Mediolanensis JC. primarii Juris Civilis Interpretis & Senatoris: Mediolani 1611. in 4. *Auctor est Philippus Argelatus* in Biblioth. Script. Mediolanens. *Ripam eo tempore, quo in Taurinensi Academia publice Romanas leges interpretatus est, Senatoris titulo decoratum fuisse.*

Carmina plura Latina. *Extant in libro, cujus est inscriptio*: Componimenti di diversi per il dottoramento di Gianfrancesco Sorbellone: Pavia 1599.

Polidoro Ripae Mediolanen.

Philosopho ac Theologo

Vitae integritate et morum

amabilitate conspicuo

In Ticinensi ac Pisano Gymnasio

J. C. Professori Ordinario

In Taurinensi Primario

Et ejusdem civitatis Senatori

Qui Pisis moriens triste sui

desiderium omnibus reliquit

Angelus Felix Frater H. M. P. A. D.

MDCXIV. aetatis vero ejus XLIIII.

Extat Andreae Alciati junioris epigramma, quo mortem ejusdem deflevit. Nam ipsum non solum plurimi fecerat, sed etiam amaverat atque coluerat. Inquies fortasse, quae sunt ista mortuorum elogia? Minime sane negligenda putamus, quoties ab hominibus emanarunt, qui non solum vulgi opinione, sed intelligentium quoque judicio fuere probatissimi; & nemo profecto ignorat quantum Alciati te-

stimonio sit tribuendum, qui non solebat plus hominibus concedere, quam res & veritas ipsa patiebatur.

Pauci quidem sciunt quantus juriconsultus fuerit Jo. Franciscus Costaeus natus Laude Pompeja patre Joanne, quem inter illustres medicos & philosophos numerat Freherus (1). Ipse quoque sedulam adeo operam navavit medicinae, ut dignus judicatus fuerit, qui illam in Patavino Gymnasio e superiori loco doceret. Sed repente ex magistro factus est discipulus studio incensus juris prudentiae, cujus addiscendae caussa labores prope incredibiles sustinuit. Cum judicari potuisset quantus non modo futurus esset, sed quantus jam esset Jurisconsultus (in vulgus enim emiserat opus forensibus utilissimum, quod inscribitur *de voluntariis*, *involuntariis*, *& non voluntariis actibus*) facile locum in Bononiensi Lyceo obtinuit, a quo ad Pisanum venit an. 1607. vespertinus & ordinarius juris civilis interpres cum stipendio CCCXXXX. centussium. Neque erat dubium, quin majora brevi esset impetraturus, quod nemo non ejus virtutem & doctrinam non honorabat, sed ex magnis vigiliis contracto morbo, Pisis vitae extremum diem morte confecit XIV. fere post menses, quam ad illas venerat. Ab uxoris caritate, cum qua homo suavissimis moribus sine ulla querela vixerat, sepulcri monumenrum habuit in S. Frigdiani Aede, in quo haec inscripta fuerunt (2).

---

(1) Tom. II. P. III. p. 1313.

(2) *Hac inscriptione facile convincitur erroris Papadopolus, qui affirmat Costaeum mortem obiisse Bononiae circiter annum 1622., cum in illius urbis Gymnasio Juris prudentiam doceret*; Histor. Gymnasii Patavini Lib. III. Cap. XXIV.

Jo. Franciscum Costaeum

Laudensem

Altesani et Casalburgonii

Condominum

Equitem Aur. Phil. Med. ac J. U. D.

LL. Ex ordine

Interpretem etiam

primarium

In pluribus Italiae Gymnasiis

virum sapientia et innocentia

Cunctis memorabilem

Barbara conjux moestissima

Quem vivum unice dilexit

Extinctum hoc lapide veneratur

xiv. Kal. Decembris mdcviii.

Digitized by Google

O generosam inquies Angeliorum stirpem, in quam, non secus ac in unam arborem plura genera, multorum insita atque illuminata erat sapientia! Diximus supra de Jacobo, de aliis postea dicendum erit, nunc autem laudem tribuimus Francisco ipsius Jacobi filio, qui per sexennium, dum scilicet pater vixit, extraordinariae juris civilis cathedrae praefuit. In eo quidem multa erant eximia, tum illud maxime commendandum, quod eum animum ad Academiam attulit, ut paternam gloriam aequaret. Cum incidisset aliquando in jurisconsultos nescio quos, qui dicebantur esse actores, laudatoresque malorum consiliorum contra reipublicae salutem, hos non modo libera voce reprehendit, sed de iis ita ad Principem retulit, ut illos non modo ex fastis, sed & ex hominum memoria evellendos judicarit. Rectum enim honestumque, & quod cum officio ac virtute erat conjunctum, sic semper adamavit & coluit, ut ne transversum quidem unguem ab eo in tota vita discesserit. Coactus rei familiari operam dare, multum de studio detraxit, a quo non divitias modo, sed & famam consequi potuisset. Valebat enim ingenio, & optime in adolescentia institutus fuerat, & multa domi habebat praeclara exempla, quae vel ignavissimum hominem facile a somno excitassent. Naturae debitum reddidit Pisis postrid. Kal. Maii an. 1663.

Sane non vereor ne quis me assentatorem putet, si affirmavero plurimum nos debere Forolivienslbus, a quibus & jurisconsultos, & medicos nobilissimos obtinuimus. Praeter Fachineos, quos paullo supra commemoravimus, suppeditarunt ii nobis & Fabritium Mattheium, & Antonium Merendam. Illius aetatis scriptores Mattheii immaturum interitum dolent, quod non significabat solum, sed etiam declarabat se ad eam laudem adspirare, quam, qui esse putabantur in juris prudentia principes, obtinuerant. De Merenda vero prorsus mirabilia praedicant non tam propter doctrinam, quam propter singulares animi virtutes, ac praesertim modestiam, humanitatem, mansuetudinem, ut ne lacessitus quidem irasceretur, in Deum, patriam ac parentes pietatem, & in amicos fidem atque caritatem. Is natus est Kalend.

Digitized by Google

Octobris an. 1578. parentibus nobilitate claris Fabritio & Clelia Hastea, educatus autem sic, ut nullum illi subsidium defuerit ad optimum ingenium praeclaris disciplinis excolendum. Romae autem forum attingere coepit, eo quidem successu, ut nulla esse caussa videretur, quae non digna ejus patrocinio esset. Nihilo tamen minus meditationes Academicas exercitationibus forensibus praetulit (haec enim sui ingenii, mitissimi sane, non erant) oblatumque an. 1613. locum in Academia nostra libentissime tenuit. Anno quidem 1619. illius muneri docendae extra ordinem juris prudentiae additum onus fuit explicandi feudale jus, quod quae notata erant in monumentis Longobardorum & Gothorum optime tenebat. Quindecim solidos annos ejus nomen in Academiae fastis adscriptum fuit, & ad discipulorum utilitatem, aequitatisque defensionem multa litteris mandavit. Adfuit etiam fratri in magni momenti caussa, quam ob rem annum & amplius Romae commoratus est. Factum est tandem studio Francisci Barberinii Cardinalis, cui ab adolescentia se consecraverat, ut Pisanum Gymnasium cum Firmano commutaverit, ubi sexennium fuit, post quod tempus ad Ticinense commigravit, inde vero ad Bononiense, & nisi mors obstitisset, quam obivit an. 1655. primam etiam juris cathedram in Patavino occupasset, ad quam liberalissimis conditionibus a Veneto Senatu invitabatur. Ex his quidem facile judicabis multos cupidos ejus fuisse, multos fautores laudum ipsius, quod non tam ejus doctrinae assignabis, quam bonitati naturae. Quanta vero in eo legalis prudentiae vis esset, satis jam probaverat, editis quatuor supra viginti libris, qui quatuor voluminibus comprehenduntur, *Controversiarum juris*, quos cum legeris facile judicabis in explicanda aequitate neminem Merenda copiosiorem, acutioremque extitisse. Dum exquirebat quod in jure non modo verum, sed etiam verisimile esset, vidit multos sic abuti ea, quam dicere solemus, probabilitate, ut facile laxarent vincula, quibus omnis justitiae Auctor constrictos nos esse voluit ad officium & virtutem tuendam. Et commodissimum sane esset quam laxissimas habeuas habere officiorum, quas vel adducas cum velis,

vel remittas. Sed homo, qui in tota vita nil aliud investigavit & egit, nisi quod rectum & honestum esset, quique intelligebat non modo ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem plurimum interesse tutas vias quaerere, & quae majores nostri religionibus sancta esse voluerunt, conservare, adversus novarum opinionum auctores calamum sumpsit, librumque edidit sapientissimis sententiis refertum, quae quamvis validissimis argumentis, & testimoniis confirmentur, reprehensioni tamen materiem dederunt. Qua de re cum aliquando interrogatus fuisset ab Alexandro VII. S. P. Bartholomaeus Mastrius Theologorum facile princeps, fertur ei sic respondisse. *Nae, Beatissime Pater, hominis mihi amicitia conjunctissimi intimos sensus novi: cum in omni vita sua a recta conscientia ne latum quidem unguem discesserit, nihilque tam horruerit quam peccati labem, aequum sane erat illum probabiliora sequi, neque iis contentus esse poterat, quae in opinione quorumdam posita sunt, quaeque habent in se mediocrem probabilitatis speciem. Ita sancta sunt hominis officia, ita diligenter perscripta divina lex est, ita cautum unaquaque de re, & ita, quod oportuit, exceptum, ut suspectae esse debeant opiniones illae, quae vim divinorum praeceptorum laxare conantur.* Illa aetate fuere alii ex Merendiorum familia memoria digni, de quibus silebimus, quod Academia nostra nullam cum iis rationem habuit.

Huic haud mediocrem quoque peperit gloriam Turnus Pinoccius nobili genere Senis natus. De eo cum referret Academiae ipsius Curator ad Principem, ait nulli eum pepercisse labori, quo florentem scholam haberet, probum & bene moratum esse virum, & nullum esse praemium, quod non dignum ejus doctrina & virtute judicaretur. Ea propter anno 1614. cum explevisset jam quadriennium suae conductionis, in collegium Judicum Florentinae Rotae cooptatus fuit, ex eo vero sexennio post rediit ad Academiam cum DC. centussium stipendio, in eaque permansit ad vitae usque exitum, quanquam se justam querendi caussam habere diceret, quod ad annuam

ejus

Digitized by Google

ejus mercedem additum nihil unquam fuerit. Magnum tamen se a Principe accepisse beneficium praedicabat, quod Joanni filio inter Institutionum juris civilis magistros locum dedisset, antequam nulla illustri laude celebraretur. Sed caussam nominis a patre habebat, qui ipsum diligentissime instituerat, quique non juris prudentiae solum, verum etiam animi & virtutis optimus magister esse putabatur (1). Cum decrepita esset aetate, vitae extremum spiritum edidit Pisis an. 1646. conditumque ejus cadaver fuit apud Carmelitas. Triste quidem omnibus, sed praesertim Senensibus, sui desiderium reliquit, qui recordabantur quanta cum utilitate vir prudens, honoratus, aequus & humanissimus suos & docuisset in patrio Lyceo, & eorum rationibus consuluisset, exercens munus, illud quidem honorificentissimum, quod Secretarium legum dicunt. Quando Pinoccius primum apud nos jus civile docuit, tres erant ordinarii ac matutini Doctores, totidemque vespertini, atque hi omnes stabant Academiae quatuor millibus & quadringentis centussibus, ex quo judicari potest quam pretiosa tum esset juris prudentiae professio.

Ad paucos annos usa est Academia Christophori Martimedices opera. Is nobilissimo genere, patre autem Petro Paullo, cui frater erat Florentinorum Antistes, Florentiae ortum habuerat VII. id. Martii an. 1552., ibique & Pisis doctrina liberaliter institutus fuerat. Magisterium autem, quod gloriose sane, in juvenili licet esset aetate, exercuit (teste enim Academiae Curatore ingenium in eo erat ad excogitandum acutum, ad explicandum uber, & ad memoriam firmum)

(1) E' tenuto buon Legista (*haec Academiae Curator memoriae mandavit*) uomo detto, dabbene, amatissimo degli Scolari, perchè ha durato e dura volentieri ogni fatica per loro, cosa che pochissimi fanno. E' ridotto nell' ultima vecchiaia, ma sin ora ha servito lo Studio con assai puntualità e franchezza.

adītum illi ad amplissimos honores pateſeciſſe videtur. Anno enim 1611. Senenses illum Judicem, ut vocant, Ordinarium habuerunt, triennio autem post Rotae Auditorem, post id Ferdinando II. a cognitionibus fuit, ac demum an. 1641. in Florentinum Senatum cooptatus. Quam aptus esset ad docendum, Academiae monumenta testantur, ad judicandum autem satis declarant judicia ab eo pronuntiata in Senensium Judicum Collegio, editaque Venetiis an. 1628. His adde summorum Jurisconsultorum testimonia, qui debita ejus doctrinae integritatique praeconia tribuerunt. Nae ille implicatus molestis, operosisque negotiis nunquam a studio cessavit, in quo levationem curis malisque se reperire ajebat. Vitae honoratissimae cursum in patria explevit non. Martii an. 1666., & quod ita vixerit, ut quidquid diceret & faceret, nemo esset, qui non aequum putaret, non solum hominum benevolentia, sed etiam admiratione facile illum dignum judicabimus.

Ex collegio Canonicorum Pisanae Ecclesiae binos hisce temporibus habuit Academia nostra juris civilis interpretes, Adrianum Abramium, & Petrum Roncionium, in quibus commemorandis illud assequor, ut intelligas minime defuisse Pisanis stimulos industriae atque laboris ad tuendam patriae Academiae dignitatem. Sed si pauci eorum elaborarunt, non modo ut loco, quem obtinuerant, digni viderentur, sed etiam ut ceteros vincerent, nomenque posteritati propagarent, hoc summae negligentiae fuisse dicam. Si, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunae impetum superare, & resistere Florentinorum cupiditati haud potuere, curare tamen debebant, cum summa pax, summa tranquillitas iis data esset, abundarentque omnium disciplinarum praeceptoribus, ut ingeniorum animorumque cultu ceteros Etruriae populos superarent. Quid autem iis magis expetendum erat, quam non latere in tenebris, sed in luce Etruriae esse positos, immo in oculis atque in auribus omnium nationum, quae ad Academiam doctrinarum addiscendarum caussa concurrebant? Atque haec a me idcirco dici nolo quis putet, quasi in tanta Pisano-

Digitized by Google

rum, quos commemoravimus, & commemoraturi sumus, magistrorum copia nulli, aut perpauci extiterint, quorum nomen maxime celebratum fuerit, castigare tantummodo segniores volui, qui propositis praemiis, oblatisque commodis, non omni ope & opera enisi sunt, ut majorum gloriae responderent, in quorum numero si fuisse dicam Roncionium & Abramium, sane non mentiar. Culpae etiam datum est Roncionio, quod diu nimis Romae commoratus fuerit, praetermittens officium, quod debebat Academiae (1). Hic e vita migravit an. 1629. aetatis annum agens XXXXIV. Abramius autem decessit an. 1644., cum complesset LXIX. annum.

Non sejungam ab his Matthaeum Stephanium Florentinum, quamvis instructus & ornatus iis praesidiis esset, quibus non tam prodesse discipulis suis poterat, quam decori Academiae servire. Teste enim hujus Curatore, & Romanas & Pontificias leges optime tenebat, eaque propter ad utrasque explicandas adhibitus fuit, neque arte carebat disponendi illustrandique oratione cogitationes suas, & ad se se alliciendi discipulorum animos. Cum uxorem an. 1620. duxisset, neque re familiari abundaret, neque admodum liberalis esset merces, quae ei pendebatur (vix enim ad CL. centusses perveniebat) domesticis angustiis adeo angebatur, ut vix studiis suis obsequi posset: sed quod in officio colendo sita vitae est honestas omnis, ut in negligendo turpitudo, nunquam tamen ab eo discipuli diligentiam assiduitatemque de-

(1) *Haec an. 1620. de eo retulit ad Principem Academiae Curator.* Pietro Roncioni Canonico e nobil Pisano ha letto 14. anni 3. Instituta e 11. Straordinario civile. E' d' un sottilissimo e bellissimo ingegno, fu, e sarebbe di grandissima speranza, ma la poca sanità, le assenze, e le molte occupazioni domestiche l' hanno assai divertito dal servire lo studio, & ha avuto più volte desiderio, & quasi ferma resolutione di trasferirsi a Roma, & l' anno passato lo fece.

siderarunt. Naturae cessit an. 16,0., successoremque habuit in ordinaria juris canonici cathedra Petrum Gerium Aretinum, qui triginta & amplius annos ante per biennium Institutiones Caesareas explicaverat. Vir magna prudentia, usu & exercitatione praeditus erat. Judicia enim Bononiae, Perusiae, & Ferrariae exercuerat; Parmae Taurelliorum caussas egerat, jus civile Ferrariae docuerat in Achillinii locum suffectus, atque a multis ad res gravissimas adhibitus effecerat, ut neminem unquam commissi sibi negotii poenituerit.

Quoniam quis perfecte tenere Romanorum juris prudentiam non potest, nisi eorum leges, magistratus, mores, instituta, omnemque disciplinam rei tum militaris, tum civilis noverit, gratiam habebimus Senensibus Accarisiis Francisco ejusque filio Camillo, qui haec in Academia nostra docuere. Illius nomen illustrius est, neque Senensium modo rerum scriptores, sed & Erythraeus atque Mazucchellius illud immortalitati commendarunt; hic autem quamvis minus notus, adeo quidem ingenio & doctrina valebat, ut patri minime de arte concederet (1). Natus est Franciscus Anconae, ubi illius pater Camillus mercaturae

---

(1) *Haec Academiae Curator de eo retulit an.* 1622. Cammillo Accarigi Sanese Institutista con Sc. 45. Questo è figlio di Francesco il Primario, ha 7. anni di dottorato, 6. di lettura 4. in Pisa, & 2. in Parma. E' di rarissima espettazione, e se seguita di studiare, e la sanità lo assiste, passerà il Padre, perchè ha bellissimo ingegno, buonissimi principj e di filosofia e di leggi, fiorita lingua Latina e varia eruditione, e quello, che importa infinitamente, ha diletto grandissimo dello studio in tanta maniera, che ha bisogno di essere ritirato, cosa rara in un giovane, dalle molte fatiche che fa in istudiare, onde saria benissimo impiegata in lui una Cattedra d'Institura Primaria, o vero uno straordinario. *Confirmavit haec ipsa biennio post Academiae Curator, illud addens*: è giovane, nel quale concorrono tutte le qualità, che si ricercano in perfetto Lettore, ingegno, dottrina con varia e bella erudizione, studio e fatica, ordine, e diletto grande nell' imparare ed insegnare.

caussa commorabatur, tali autem modo institutus Senis a Hieronymo praesertim Benvolientio, & Celso Bargalio, ut ejus praeceptores non modo sperare possent, sed etiam confidere talem illum futurum, qualem omnes cognitum postea judicarunt. Extat oratio Bargalii in *Doctoratu Domini Francisci Accarisii die 12. Junii* 1580. qua mirabilia prorsus praedicat de illius moribus, ingenio, atque doctrina, nec non de nobilitate familiae. Sic amabat Bargalius Franciscum, non secus ac si ex se genuisset, participem fecerat omnium studiorum suorum, ac moriens eidem commendaverat doctissimam & elegantissimam illam suam disputationem *de dolo*, nec non orationes quasdam, quas Franciscus ipse Hanoviae an. 1604. imprimendas curavit. Hunc autem cursum ejus industria in patrio Gymnasio habuit, ut sex continuos annos institutiones juris civilis interpretatus fuerit, deinde Pandectas, ac demum mortuo an. 1593. eodem Bargalio, ordinariam juris civilis cathedram conscenderit. Cum iis temporibus magnus transalpinorum adolescentium Senas, disciplinae caussa, concursus fieret, providit sapientissime Ferdinandus I., ut aliquis magno ingenio, doctrinaque praeditus deligeretur, qui in eo Gymnasio jus civile ea via ac ratione traderet, qua in Gallia, in Germania, in Belgio, Cujacius, Connanus, Duarenus illud docuissent. Neque dubium fuit, cui praesertim haec provincia committeretur, cum omnes in eo elogio consentirent, Accarisium esse Jurisconsultorum eruditissimum. Si quidquam vero de jure consulentibus respondebat, tanquam ex oraculo dici putabatur, quare nesciisses, utrum ejus schola, an domus magis celebraretur. Qua fama compulsae omnes fere Italicae Academiae tantam vim prudentiae atque doctrinae habere optarunt. Sed nullum praemium, quamvis amplissimum, putavit esse tanti, ut illud patriae caritati anteponeret. Vicit tamen illius propositum Rainucius Farnesius Parmae & Placentiae Dux, qui nullo non honore adfecit Accarisium, cum ei non tam publice docendae juris prudentiae, quam sibi in consiliis capiendis opitulandi onus imposuisset. Et sane quid non cum illo communicavit, quid non illius prudentiae ac fidei

Digitized by Google

commisit? Verisimile quidem non erat Mediceos Principes passuros esse tantum virum diutius in alienis terris commorari. Itaque in Etruriam ipsum revocarunt ea conditione, ut Pisis primas juris civilis interpretandi partes ageret cum stipendio M. usque centussium. Quod eum per annos quatuor gloriosissime fecisset, ineunte Octobri an. 1622. Senis, quo se conferre consueverat, quando vacabat a scholis, diem extremum morte confecit, tumulatusque fuit in majorum sepulcro, quod est apud Dominicanos. Biennio antequam moreretur, Florentiae edidit legale opus, quod *Allegationes* inscripsit, cujusque neque Erythraeus, neque Ugurgerius, quod sane miraberis, meminere. Mentionem ii quidem fecere carminis cujusdam, quo mortem Cosmi II. deflevit, nec non orationis, quam habuit dum laurea decoraret Joannem Novarinium.

Eodem illo anno, quo ad nos venit Franciscus Accarisius, ejus filius Camillus declaratus est Caesarearum Institutionum interpres cum tenui mercede XXXXV. centussium, quae esse solebat hujusmodi praeceptorum. Sed brevi, cognita adolescentis doctrina, cujus jam dederat haud vulgaria indicia, edito an. 1615. Senis opere *de praeparatoriis Judiciorum*, anno autem post Parmae *Prolusione in auspicanda Imperiali Institutione*, quam habuit in illius urbis Gymnasio, praemiis & honoribus auctus est. Nam an. 1622. ad sarciendum detrimentum, quod fecerat Academia ob patris obitum, eidem commissa fuit extraordinaria juris civilis cathedra, neque multo post ordinaria cum D. centussium stipendio. Pandectas etiam explicavit, ad quod munus an. 1628. ob Joannis Viscontii discessum ab Academia vocatus fuit. Cum illud petiissent Simius Lucensis, Mancinius Politianus, Galvanius Ferrariensis, ut audierunt competitorem fore Accarisium, una voce declararunt se illi cedere, ac prorsus fasces submittere. Disserebat subtiliter & copiose, cum esset peritus morum, consuetudinumque Romanorum, & juris naturae, & Stoicorum philosophiae, scientissime interpretabatur veterum jurisconsultorum responsa, & Caesarum jussa, familiarissime versabatur cum iis, qui juris prudentiam

Digitized by Google

suae pristinae dignitati reddidisse putantur, ac praesertim cum Cujacio, cui in primis se acceptum referre affirmabat quod didicerat, amabat poesim, & litteras illas, quae cognationem habent cum juris prudentia, omnino talis erat Jurisconsultus, ut cum celebrioribus de principatu, si gloriae cupiditas vel mediocriter eum tetigisset, contendere potuisset. Patris studiorum imitator diligentissimus, quod is in patria institutor cujusdam, ut ajunt, Academiae fuerat, cui *degli Affilati* nomen dedit, parens & ipse voluit esse alterius Sodalitii, quod *dei Disuniti* appellatum est., quodque ad exercendos Pisanos discipulos in humanioribus praesertim litteris conditum fuisse videtur. Summa enim semper ab eo adhibita contentio fuit, ut juris prudentiae studiosi ad forum accederent plurimis & gravissimis artibus atque virtutibus instructi atque ornati, quae quidem ornamenta in eo maxime lucebant. Naturae debitum reddidit an. 1630. laudavitque eum funebri oratione Paganinus Gaudentius, in qua illo suo more loquacitatis pleno veri Jurisconsulti imaginem exprimere conatus est. Fratrem habuit nomine Joannem singulari ingenio, nec vulgari doctrina praeditum, qui ne illi succederet in Pandectarum cathedra, nil aliud obstitisse videtur, nisi juvenilis nimium aetas.

Restat nunc, ut de Marco Antonio Sivoro Genuensi, & de Joanne Santinio Lucensi Equite dicam. Profecto minime dubitare possumus, quin Sivorus multorum stipendiorum miles fuerit, cum antea jus civile Messanae & Augustae Taurinorum docuisset, & eo usque progressus esse videretur, ut DCC. centussium merces, quae ei ab Academiae nostrae aerario pendebatur, non admodum liberalis esse judicaretur. Nec desunt, qui affirmant, omnia ex ejus ore profluxisse, quae in hac arte aut cogitari prudenter, aut disputari acute, aut certo definiri ac statui possunt. Dedit quidem operam toto illo biennio, quo apud nos fuit, ut conceptam de se opinionem confirmaret, & ut multitudo adolescentium, quae ad ejus scholam confluebat, industria atque assiduitate vix alium quemquam ad rationes suas accommodatiorem sibi datum fuisse praeceptorem fateretur. Sed quod in vi-

Digitized by Google

ta multa eveniunt, tum ut ea ne facias, quae facere decreveris, tum ea ut facias, quae nunquam facere constitueris, repente Sivorus consilium abjecit manendi Pisis, in qua urbe sedem fortunarum suarum studiorumque suorum se collocasse ajebat. Sponte quoque an. 1624. se abdicavit jus civile extra ordinem docendi munere Joannes Santinius, domesticis rebus & cupiditatibus suis magis opportunum putans in urbe Roma commorari, neque de hoc homine pluribus dicam, quod nec de Academia bene meritus fuerit, in qua biennium tantummodo fuit, nec de juris prudentia, ad quam expoliendam atque exornandam (tum enim coeperat eluere sordes, quibus diu nimis obsoleverat) nihil omnino contulisse videtur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Pandectarum Interpretibus

QUanquam in omnibus fere Italicis Academiis essent doctores, qui Pandectas interpretarentur, serius tamen, quam par erat, hic mos in nostram invectus est. Et miraberis sane, cum ex eo tempore, quo Florentini, captis Pisis, librum Pandectarum Florentiam in urbem victricem cum praeda reliqua transtulerunt, divinos prope honores eidem tribuerint. Nam in ipsa Curia loco celeberrimo monachorum quorumdam, summique magistratus diligentia, & religiose servabatur, & quoties proferebatur (quod ipsum non sine gravi caussa fieri solebat) accensis funalibus monachi illi, quos dixi, summusque magistratus capite aperto venerabundi circumsistebant. Non enim ignorabatur quanta ex hoc volumine, quod Justiniani aetate descriptum putatur, elici utilitas posset, si cum vulgatis exemplaribus compararetur, & novis commentariis illustraretur. Vidit hoc praesertim Laurentius Mediceus, homo ad omnia summa factus, quare auctor fuit Angelo Politiano, ut in id operam suam impenderet. Licuit illi inspicere sanctissimum illud volumen, rimarique omnia & olfacere, de qua re cum ad Marquardum Breisacium scriberet, ait se deprehendisse multa novis in codicibus vitia, multa in interpretibus, quoniam inerudito nati saeculo, cum latinatis ipsius imperiti fuissent, & graecam linguam penitus ignorassent, leges graecis editas verbis aut omiserunt omnino, aut in latinum sermonem pessime converterunt. Quapropter operae pretium se facturum putavit, si commentarios ali-

quos contexeret, quibus in integrum corrupta diu lectio restitueretur, & linguae Latinae vis, quae tota pene in legibus est, explicaretur. Quod omnino perficere non potuit Politianus aliis distractus occupationibus (nam uno eodemque tempore linguam utramque, & philosophiam publice Florentiae docebat) operam, laborem industriamque aliorum doctorum virorum poscebat, & par erat hoc munus suscipere Pisanos Jurisconsultos, quoniam apud eos sedem domiciliumque suum collocasse ipsa Juris prudentia videbatur. Factum interea Laelii & Francisci Taurelliorum opera, ut nobilissimam editionem Florentini Pandectarum codicis haberemus, ob quam juris periti, qui saepe in lectione depravatorum codicum, legibusque interpretandis, tanquam in salebris, haerebant, ex incertis certi facti multis molestiis sollicitudinibusque liberati fuerint. Nulla non laude vero celebrandus est Cosmus I. quod non solum stimulaverit summos illos viros ad opus laboriosissimum perficiendum, sed etiam pecuniam suppeditaverit ad ipsum typis Torrentinianis imprimendum. Nihilo tamen minus neque is, neque illius successor Franciscus jusserunt esse Pisis, qui Pandectas illustraret atque explicaret, quod factum tandem est an. 1591. sedente ad Etruriae gubernacula Ferdinando I. Tum vocatus ad Academiam fuit Jacobus Vias Massiliensis cum CCC. centussium stipendio, de quo homine majora fama nuntiaverat, quam ipse re comprobaverit. Erat enim Latinis, Graecisque litteris mediocriter doctus, & nemo sane ignorat sine illarum praesidio posse quem in interpretandis Pandectis laudabiliter versari. Ea propter non diu fuit apud nos (fuit autem vix biennium) & ex eo tempore siluit Pandectarum cathedra ad annum usque 1616. quo illam occupavit Thomas Dempsterus. Hominis dignitas atque fama admonent nos, ut in illius vita explicanda paullulum immoremur.

Natus est in Scotia nobili, ut fertur, genere, quod plures homines pacis & belli artibus clari illustraverant. Noli putare quidquam illum vel a prima aetate maluisse, quam ut eos gloria aequaret, ac sedulam adeo operam Lutetiae Parisiorum navavit juris prudentiae stu-

dio, ut non modo, cum ageret XVII. aetatis annum, laurea decoratus fuerit, sed & non multos post annos disciplinae illius publice docendae onus susceperit, in Davidis Sincleri locum succedens. Vel ante hoc tempus Tornaci & Tolosae humaniores litteras docuerat, cum ejus prima aetas his mirum in modum dedita, in iisdemque a Justo Lipsio institutus fuisset. Caussa vero deserendae Galliae fuit, quod concitus ad rixam gravissimas inimicitias cum potentioribus quibusdam susceperat, quodque a Magnae Britanniae Rege patriae historiae conscribendae mandatum acceperat. Plura hac de re reliquit, nihil tamen, quod sciam, in vulgus edidit. Venerat in Italiam vel ante illud tempus, quo a Cosmo II. factus est Pisanus magister, & Romae tum fuisse ex eo conjici potest, quod per Petrum Strozzium Praesulem amplissimum Paullus V. Summus Pontifex ipsum, ut praemio aliquo afficeretur ob ejuratam haeresim, de meliore nota Magno Duci commendavit. Paucos post menses quam in Etruriam venerat, petiit ut sibi potestas daretur redeundi ad suos, ac secum Pisas uxorem & familiam devehendi, quod ei facile concessum est, dataque pecunia non solum ad iter conficiendum, sed etiam ad emendos libros, quibus se egere affirmabat ad contexendum opus *de Etruria Regali*, quod, ipso Magno Duce auctore, susceperat. Rediit in Etruriam ad constitutum tempus, & tum illius stipendium auctum fuit ad CCCC. usque centusses. Sane nihil non sperare poterat a Magni Ducis liberalitate, sed ob inconstantiam quamdam naturae, & ob illatam a discipulis sibi, uxorique eximia pulchritudine injuriam (nam cum Gymnasio domum rediret arcam captam, ac mulierem ab se abductam reperit) Academiam Pisanam deseruit tres post annos quam in ea Pandectas explicaverat, & ad Bononiensem migravit humaniores litteras in illa traditurus. Antequam Pisis discederet Cosmo munus misit libri de *Etruria Regali*, & mirum sane omnibus videri debet ipsum brevi adeo tempore tantum opus, quamvis in illo multa sint imperfecta, conficere potuisse. Sed nemo illi par erat diligentia in studiis (quotidie enim ad XIV. saltem horas in his versabatur) memoria vero

Digitized by Google

tanta, ut se nescire diceret quid esset oblivisci, doctus denique adeo Graecis, Hebraicis & Latinis litteris, ut nihil in his esset, quod ipsi esset incognitum. Ex illius operum indice, quem ipse contexuit (1),

(1) *En ejus operum indicem, qualem ab Pasqualio Alidosio habuimus, qui ipsum a Dempstero accepisse fatetur.*

Carmina omnis generis, in his Satyrae in Elisabetham Angliam, Sanctorum occisorem: & de omnibus totius mundi Principibus Acrosticha. Duaci affixa, & partim edita.

Orationes, & Praefationes solemnes, alieno & proprio nomine habitae, ut Duaci, Tornaci, Lutetiae, Tolosae, Pisis, Bononiae: Editae iis locis.

Silvae Poematum variorum, ubi Protreptica, Lyrica, Comica, Ludicra Strenae, Expostulatoria. Libr. VII.

Panegyrici: in his Clementis VIII. & Pauli V. Romae.

Epithalamia: in his Electoris Brandemburgi, Comitis Perthani, Vicecomitis Hadintoniae. Francofurti, & alibi locorum.

Lessi & Epicedia: in his Henrici IV. Galliarum Regis, conjugis Illustriss. Timoleontis Despinay Sanlucii proregis Brunopolis, Comitis Angusiae & Lutetiae.

Epigrammata, Doctorum operibus praefixa. Libr. II.

Declamationes Scholasticae adinstar Senecae, natalis S. Catharinae Lexovaeo dictae & pubblicatae. Libr. I. Lutetiae.

Genethliaca: in his Ludovici XIII. Galliarum Regis. Libr. I. Flexiae.

Traguediae, Maximilianus, Stilico, Decemviratus abrogatus, Jacobus I. Scotiae Rex. Libr. I. Lutetiae.

Epistolae ad Summos Pontifices, Reges, Cardinales, Duces, Principes, viros eruditos omnium gentium cum responsoriis eorum. Libr. IV. MS.

Triumphi sacrorum, de S. Thoma de Aquino, Catharina Martyre, Triduana, Richarda Augusta, & aliis. Libri III. Parisiis.

Judicium de omnibus omnium gentium, temporum, & pene linguarum Historicis. Libri IX. Parisiis.

Cosmographia, frequenti Lutetiae auditorio dictata. Lib. I. Audio Lugduni postea editam.

Politica Parechases in gratiam Alexandri Razivilli Principis Poloni emissa. Lib. I. Lutetiae.

Digitized by Google

ut rem gratam faceret amico cuidam Bononienſi, cognoſci poterit qui quantusque vir fuerit, quantisque in laboribus ſe exercuerit. Nihilo tamen minus non multa adeo conficere potuiſſet, ſi quae litteris man-

In Claudianum Notae. Lib. I. Flexiae

In Statium Notae. Libr. I. Flexiae.

In Claudianum Commentarius. Libri XI. Lugduni & alibi.

In Aeliani Varia Hiſtoria Notae. Libri XIV. Luteciae.

In Corippum Notae. Libri IV. Lutetiae.

Mythologia ex numiſmatis & inſcriptionibus. Libr. I.

Antiquitatum Romanarum Libri X. in quibus nonnulla ſunt retractanda, & maxime ubi de jurejurando militari libr. 10. cap. 3. egent caſtigatione, quae jam parata eſt.

De triplici juramento. Libri III. opus Illuſtriſs. Card. Mellino nuncupatum. Propediem edetur.

Ad Benedictum Accoltum de bello ſacro Commentarius, & Notae uberiores. Libr. IV. opus ſuſceptum in gratiam Leonardi & Petri Accoltorum patriciorum Arretinorum & Florentinorum fratrum, qui Magno Duci a Scriniis, & juris civilis profeſſione inclyti. Prodiit Florentiae.

Etruriae Regalis libr. VII. ſuggeſſit Camillus Guidius Eques Volaterranus, flos hujus ſeculi hominum, alter parens meus, imperavit Coſmus II. Magnus Etruriae Dux, & magno pretio invitavit. Opus inter arcana illius Principis aſſervatur.

Hiſtoria naturalis quadrupedum. Lib. I. ſupplementum Ulyſſis Aldovrandi. Senatus Bononienſis impoſuit, prodiit Bon.

Οβελος και Κεραυνος. in gloſſas Viviani, Accurſii, & aliorum: Principi Virginio Caeſarino a me dicatum: Comiti Ruino a bibliopola Lib. I. Bononiae.

Obſervationes in gloſſas per totum corpus Civile, in Codicem, & Pandectas, Feuda & Novellas. Adhuc MSS. Lib. LXXVII.

Mendicabula repreſſa. Lib. I. Lugduni.

Apparatus ad Hiſtoriam Scoticam. Libri II. Bononiae, Illuſtriſſimis Cardinali Antonio Cajetano Legato, & Angelo Caeſio Prolegato inſcripti.

Menologium Scotorum: potius apices Menologii Lib. I. Bononiae, Illuſtriſſimo Cardinali Mapphaeo Barberino nuncupatum.

dabat, politius limasset. Ut moribus, sic oratione durus erat, & cum minime intelligeret quae resecari oporteret tum in verbis, tum in rebus, ejus interdum scripta loquacem, ut ajebat Horatius, delassare valent Fabium. Reprehenditur & in eo quod temperare nescivisset animi motus, & linguam adversus eos, quibus se infensum esse aut noverat, aut suspicabatur. Simulandi nescius, sive amore, sive odio quempiam prosequeretur, utrumque palam faciebat. In exercendo suo munere apud Bononienses diligentissimus judicatus est, & nonnullorum, in quibus summa auctoritas erat & amplitudo, sibi studia conciliavit. Floruisse etiam dicitur nobilitate discipulorum, quanquam

---

Nomenclatura Scotorum Scriptorum de viris claris ab initio regni quater edita. Lib. I.

Historia Scotica. Libri XIX. MSS.

Episcopatuum Monasteriorumque Scotiae omnium fundatio, & successio. Libri IX. MSS.

Scoti bello illustres CCCCXCV. Lib. I. MSS.

Scotorum Regum affinitas. Libri III. MSS.

Chronicon Pictorum Lib. I. MSS. de origine, & fine illius Regni, regibus enumeratis, & praeclara tantae gentis domi forisque acta: Virginio Caesarino Principi Romano inscriptum.

In Historiam Hibernicam P. Edmundi Campiani Societatis Jesu Notae Lib. I. MSS.

Anatomia partium humani corporis, Antiquaria & Historica. Lib. I. Flexiae.

Commodianus contra Gentes cum notis. Libri II. jamdudum Typographo datus, ut ederetur. Auctorem eum antiquissimum, sed nunquam editum, R. P. Jacobus Sirmondus Soc. Jes. doctissimus, & de litteris optime meritus mihi concessit.

Apparatus Scotici. Lib. XI.

Mantissam de fabulosis veterum Diis *in Etruriae Regalis opere lib. 1. cap. 17. ipse Dempsterus a se scriptam fatetur; sed fortasse haec eadem est ac* Mythologia ex numismatis & inscriptionibus, *in superiori catalogo memorata.*

Digitized by Google

scribendi elegantia nullo modo cum iis esset comparandus, qui antea in ea ipsa Academia humaniores litteras professi fuerant. Vitam finivit Non. Septembris an. 1625. sepultusque ad S. Dominici. Est in manibus hominum funebris oratio, quam de illius laudibus habuit Ovidius Montalbanius vir inter Bononienses doctrina clarus. Plures extitere alii, qui de illius eruditione & doctrina, & vi ingenii summa & mira prorsus praedicarunt, quos commemorare minime necessarium arbitramur.

Ob Dempsteri ab Etruria discessum iterum Pandectarum cathedra doctore caruit. Occuparunt eam postmodum alii, neque incommodum videtur dicere nunc de Joanne Viscontio, & Nicolao Bonapartio, quod hi, quamvis sub Ferdinando II. primos in Academia honores obtinuerunt, ei tamen vel ante hoc tempus addicti fuerunt vel Caesareas Institutiones, vel extraordinarios, & ordinarios, ut loqui solemus, juris civilis titulos explicantes. Viscontius, quamvis juris civilis peritissimus esse judicaretur, neque expers esset humaniorum litterarum & poeticae suavitatis, floruit etiam magis sanctitate morum, quam cum nutricis lacte suxisse videbatur. Is Pistorii natus est III. Id. Novembris an. 1589. nobilissimis parentibus Antonio Stephaniano Equite, matre vero Hippolyta Odaldia. Vix e pueritia excesserat, cum in eo studio, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, opus minime contemnendum confecerat, & condiderat carmina morata, bonisque coloribus picta, quae maxime commendarunt Maffejus Barberinius, Fridericus Cardinalis Boromaeus (Caroli enim patrui sanctissimi viri laudes in primis celebrabant) & Franciscus Bracciolinius, qui iis temporibus nemiuem superiorem in poesi habebat. Cum an. 1613. laurea Pisis decoraretur, quadraginta usque obscuriora juris prudentiae capita in publico proposuit, quae explananda & defendenda suscepit, eaque latinis versibus ornavit; haec autem omnia cum nuncupasset Carolo Mediceo Principi, ejus commendatione factum est, ut biennio post juris civilis Institutionum interpres declararetur. Praeparaverat se ad hujusmodi munus, cum *commentaria* in illas ipsas Institu-

Digitized by Google

tiones, & *ornamenta juris civilis*, dum otiosus erat in patria, confecisset, illud autem sic exercuit, ut diligentiam omnes admirarentur, ingenium cognoscerent. Nulla erat exercitationis via, nullum artis praeceptum, quod discipulis suis non monstraret, neque studebat minus illorum animos informare christianae sapientiae monitis, in quo mira prorsus erat illius dexteritas cum summa humanitate conjuncta. Creatus Stephanianus Eques e Duodecemviris fuit, quorum consiliis res Ordinis gubernabantur, cujus muneris, & aequitatis caussa cum nobili quodam viro singulare in certamen venit, ex quo luculentam plagam in capite accepit. Ipse vero majus etiam periculum attulit adversarii vitae, pro qua re sanctissimus homo nunquam poenitendi & lugendi finem fecit. Cum in exercenda juris prudentia tantam jam esset facultatem adeptus, ut non aequalibus suis solum anteponeretur, sed & cum majoribus natu compararetur, an. 1624. assignatum est illi munus interpretandi Pandectas, quod nisi iis deferri non solet, qui cum notitia veterum legum morumque Romanorum conjunctam habeant quamdam elegantiam doctrinae, sic ut in omni rerum civilium disputatione copiosissime atque elegantissime possint versari. Quanquam ista tanta, tamque multa profiteri haud potuisse Viscontium non censeam, satis magnum tamen id fuit, quod potuit praestare, ut in legibus Romanorum explicandis ejus plurimum valuerit oratio, ut prudentibus, prout illa ferebant tempora, diserte, stultis etiam vere dicere videretur. Tantum quidem ejus dicendi copiae tribuebat Academiae Curator Hieronymus a Sommaja, ut si quando defuit, qui in studiorum instauratione orationem haberet, ejus habendae Viscontio mandatum dederit, quod nunquam recusavit, licet ferme ex tempore sibi dicendum esset. In iis etiam litteratorum hominum coetibus, quos Academias dicimus, quorumque tum plures erant Pisis ad exercendam maxime juventutem in juris prudentia, philosophia, & humanioribus litteris, saepe ingenii sui periculum fecit, sive dissertationes, sive panegyricas orationes, sive carmina, quorum nonnulla extant, recitaret. Quae dum a me laudantur, nolo quis putet illa immunia fuisse a vi-

tiis,

tiis, quibus illa aetas contaminari coeperat. Serviendum erat saeculo, cui nihil tam placebat, quam luxuriantis ingenii fertilitas. Ab Academia Pisana vocatus est an. 1628. ad Firmanam annuo stipendio D. centussium, ejusque moderatores hanc vocandi caussam fuisse testati sunt, *quod ab initio aetatis ita juris prudentiam coluerit, ut in principibus jurisconsultis merito ab omnibus haberetur*. Biennium eo in loco fuit primarius juris prudentiae Professor, multisque in rebus adhibitus a Rinuccinio Archiepiscopo, inde vero in patriam rediit, ut sacrae militiae totum se se addiceret, cum jam presbyter & canonicus esset. Vivere ei erat ferre opem & salutem indigentibus, deerrantibus rectam monstrare viam, lites cognoscere atque dirimere, omnesque in officio & in concordia sapientissimis monitis continere. Tandem, ut sui ipsius desiderio, & Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis voluntati obsequeretur, mortuo mense Septemb. an. 1641. Gherardo Saracinio, curam Academiae Pisanae, & sacrorum Stephaniani Ordinis suscepit, quae munera sic explevit, ut nemo satis ejus operam & sedulitatem laudare possit. Sacris illis virginibus, quibus ipse Stephanianus Ordo constitutus est patronus, tot sapientissimis monitis & legibus consuluit, ut hodie etiam illarum monasteria stent, & floreant opinione sanctitatis, ejus institutis servandis. Homo, qui totam vitam exercuit in litterarum studiis, &, quod magis putabat, in labore patientiaque & animi & corporis ad virtutem consequendam, ut aeternum apud nos reliquerit veteris sanctitatis exemplum, illam in patria, ad quam autumno rusticationis caussa redire solebat, non. Octobris an. 1647. amisit, sepultusque est apud Jesuitas, quos omnibus officiis, dum vixit, prosecutus fuerat (1).

Opera Edita.

(1) Carmen in laudem S. Caroli una cum aliis poeticis scriptionibus.

Digitized by Google

Quoties Cujacianam, id est cultiorem juris prudentiam laudamus, & recordamur quando ipsa apud nos coeperit esse in honore, praeconia Nicolao Bonapartio Jacobi nobilis Miniatensis filio tribuere solemus, quasi ipse primus omnium auctor fuerit illius colendae, qua sane re existimatio minuitur multorum Jurisconsultorum, qui ante eum & exemplo & vocibus docuere male meritos esse de nobilissima disciplina eos, qui eruditione, elegantia, & philosophia ipsam prorsus orbarunt. Horum nonnullorum laudes nos quoque celebravimus, habuique auctores & magistros ornandae juris prudentiae multarum artium praesidio Politianum, Jacobum Modestium, Aemilium Ferretium, Jo. Baptistam Asinium, aliosque bene multos, quos nunc iterum commemorare minime necessarium arbitramur. Ne tamen sua laude fraudetur Bonapartius, in medium afferam testimonium ejus discipuli Bartholomaei Chaesii, qui haec de ipso memoriae mandavit (1). *Hic*

Problemata utriosque juris cum elogiis & epigrammatibus.
Orazione nel Capitolo de' Cavalieri di S. Stefano.
Commentarii in primum librum Institutionum Civilium.
Iosagoge, seu introductio in IV. libros Institutionum.
Carmen in laudem Ferdinandi II. Magni Hetruriae Ducis.
Lezioni Accademiche, e osservazioni istoriche.

Multa inedita ad jus civile pertinentia reliquit, & in his Tractatum ad Pandectas.

Plurima quoque extant ejus opera ad divinas res pertinentia, quorum hi sunt tituli. La Catena d'oro per l'anime del Purgatorio = La regola della vita ragionevole e tranquilla = Meditazioni per tutti i giorni dell'anno sopra la vita e passione di Gesù = Rocca della passione = Lo Sposo dell'anima = Affetti unitivi = Specchio di Consolazione = I progressi dell'Amor divino = La guardia del Cuore = Lettere e diversi altri insegnamenti alle Religiose =.

(1) Interpret. Juris Cap. XLVII. n. II.

fuit (inquit ille) *qui primus in hac Universitate Pisana Jacobi Cujacii viri doctissimi commentaria admiratus his uti praecipue coepit. Viderant & ante eum alii, sed longe diversis regulis, & documentis instituti doctrinae puritatem non gustarant. Ille cum adhuc in scholis addisceret, legerat in quibusdam juris nostri codicibus glossulas quasdam desumptas ex observationibus Cujacii, in his (ut erat maximi ingenii) aliquid elegantioris animadverterat, maximo flagraverat desiderio has observationes habendi. Cum postea ad Lecturam Institutionum (an.* 1609.) *in hoc ipso Gymnasio fuisset vocatus, nescio quo fato libros quosdam supra aliorum ordinem in taberna quadam libraria multo contectos pulvere intuitus, reperit esse opera Jacobi Cujacii: maxima commotus laetitia, statim convenit de pretio, inde veluti divinum suscipiens opus, semper prae manibus habuit; Cujacium amicis juris studiosis proposuit legendum, commendare, celebrare non destitit, donec apud omnes maxima esse in veneratione obtinuit. Difficile sane id ei fuit persuadere, cum multos haberet contradictores, qui eum auctorem, eique similes Duarenum, Antonium Fabrum, Donellum improbarent, despicerent: sed cum audirent omnes quotidie novos, singulares, peregrinos Nicolaum promere intellectus, in eam tandem venerunt sententiam, bonos illos esse juris magistros, quibus ducibus, veras ille juris prudentiae semitas adeo secure percurreret. Eam igitur juris tractandi rationem normamque secutus Nicolaus, nullis addictus Doctorum communibus opinionibus, nec in eorum dictis interpretandis, vel conciliandis laborans, veram germanamque juris scientiam anhelans, diligenti studio, assiduo Textuum usu, veterum J. C. responsis inhaerens, plurima observavit. Nihil in jure adeo reconditum dicere potuisses, quin ipse statim locum designasset: quae apud alios singularia habebantur, huic fuerunt pertrita: in summa viros politae eruditionis in sui admirationem trahebat, adeo ut eruditissimus ille Thomas Demsterius in hoc Gymnasio aliquando interpres laudatissimus, Nicolaum audire non satiaretur, quin immo hujus scholam*

Digitized by Google

frequentare, hujus lectionibus addiscendi caussa interesse, non fuerit dedignatus. Incredibile est quanto ipsius amore caperentur, qui illum docentem audirent, quanto discendi desiderio arderent, qui illum sequerentur; id unum ei objiciebatur, quod nollet omnia docere; sed parcendum ei erat siquae singularia propriis studiis observaverat, promere renueret, ut qui & typis aliquando ea mandare cogitabat, & latrunculorum quorum Iam insidias fuerat expertus, qui cum infructuosas Nicolai subtilitates (ut ipsi vocabant) damnare non cessarent, si quae clanculum investigabant, poterant furari, imprudentissime sua facere minime dubitabant. Novissimum habuit Nicolaus collegam, & in circularibus disputationibus contradictorem Marcum Aurelium Galvanum Ferrariensem, virum doctissimum, eruditissimum, in Patavina Universitate e prima sede tunc interpretem juris civilis meritissimum, antiquitatum Romanarum, praecipue ad juris prudentiam peritissimum: cum & hic eadem juris tractandi ratione vera purae & germanae juris prudentiae, & magis condita scrutaretur arcana, quam pulchrae & pertinentes in circularibus congressibus a juris consultissimis difficultates excitatae ex veris juris principiis resolvi audiebantur! Dissentiebant interdum viri doctissimi in conclusionibus juris, sed animis maxime erant conjuncti, qui virtute non solum, sed & humanitate concertarent, se se amarent invicem, & observarent. Galvani discessum adhuc luget Pisanum Gymnasium, Nicolai quinque ante annos extincti memoriam aeternum debebit recolere, quo auctore primum barbaries depulsa est. Haec Chaesius, qui si tibi effusus videbitur in praedicandis Magistri laudibus, non assentatorie tamen locutum ipsum fuisse judicaveris quippe de mortuo, quem quidem, dum vixit, nunquam ea cura ac cogitatio deseruit ecquid decerpere ac delibare ex omnium fere doctrinarum magistris posset, quod ad expoliendam & exornandam juris prudentiam esset accommodatum. Multa quoque & magnifica de eo testati sunt Academiae Curatores, cum de rebus Academiae ad Principem referrent, cujus memoranda

Digitized by Google

est illa vox de aegrotante Nicolao: *nisi ei mors pepercerit, magnum sane detrimentum faciemus*. Hanc in patria obivit IV. Kal. Septemb. an. 1644., cum ageret aetatis annum LXIII. ejusque haeredes parum sane de fama illius laborasse videntur, cum monumentum nullum ipsi posuissent, nec vulganda curassent, quae ad illustrandam juris prudentiam scripto mandaverat. Laudavit eum funebri oratione Aemilius Meuccius, ejusque cadaver conditum fuit in majorum sepulcro apud Minoritas.

Atque haec de Jurisconsultis dixisse sufficiat. Etenim a me minime exactum iri puto, ut sermonem habeam de omnibus iis, qui Institutionum Caesarearum cathedras occuparunt, qui numero plures erant (interdum enim decem atque duodecim numerabantur) quorumque catalogum in extremo libro dabimus. Nam qui honoratiori loco digni habiti fuerunt, satis superque eosdem laudavimus; qui autem aut in hac prima ingressione constitere, aut ad alias se applicuerunt disciplinas, aut alia quaesierunt munera, illos quidem Jurisconsultorum nomen haud mereri facile judicabis, ut in iisdem commemorandis diu immorari debeam. Illud verendum potius mihi est, ne nimis multos commemorasse & laudasse judicer, qui per medium jus civile grassantes, &, ut quidque obvium erat, lacerantes, mutilantes, trucidantes exhibuerunt discipulis suis veteres Jurisconsultos instar Deiphobi, *laceros crudeliter ora, ora manusque ambas* (1). Nam cum superioribus saeculis, densissima quadam caligine animis hominum offusa, omnes propemodum bonae artes oppressae ac sepultae jacerent, extiterunt in illis tenebris homines audaces ac praefidentes, qui nulla, aut perquam mediocri Latini sermonis intelligentia, nulla Reipublicae Romanae cognitione, cum dialecticam, sine qua nihil recte atque ordine tractari potest, aut non attigissent, aut ita attigissent, ut non attigisse praestaret, politicen autem, unde omnia juris prin-

---

(1) Virg. VI. Aen. v. 495.

Digitized by Google

cipia ducuntur, ne per somnium quidem adspexissent, arrepta, ut inter caecos, juris interpretandi provincia, verbosissimis & insulsissimis commentariis illas qualescumque veterum prudentum reliquias onerarunt, & ita imposuerunt humano generi, ut hoc quoque politissimo atque eruditissimo saeculo judicia tamen plerisque in locis ad eorum dicta & sententias, vel potius somnia dirigantur, & ex eorum indocta doctrina exerceantur. En fortasse, inquies, homines, in quorum monumentis inquirendis tot labores consumpsisti, en materiem dignam scriptione tua. Verum hoc saltem mihi concedi velim fuisse eorum plures singulari ingenii acumine praeditos, multaque sagacissime vidisse, & dandam veniam antiquitati, si, lenocinante mercede, diu nimis existimavit satis superque posse consuli juris prudentiae studiosis nuda legum, alienarumque opinionum recitatione. Praeter quam quod, ut diximus, minime defuerunt, qui in illorum temporum caligine lucem aliquam respexere, & ingeniosorum adolescentium animos ad meliora converterunt, ita juris prudentiam docentes e superiori loco, ut neque praetermitterent necessaria, neque inutilia consectarentur, & quotidie aliquid minime vulgare, minimeque contritum adferrent.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Medicinae Magistris.

NON sine nausea fortasse questus sum de infelicitate disciplinarum, ob quas ad Academias fiebant studiosorum adolescentium concursus, quod a plerisque ita docebantur, tractabanturque, ut qui loquaciores & confidentiores essent, & in inanium opinionum merce comparanda atque vendenda callidiores, ii sapientiam tenere putarentur. Quo etsi oppressa malo fuerit juris prudentia, majoribus tamen incommodis conflictata fuit medicina, quod illa in explicandis legibus, senatus consultis, edictis praetorum aut aedilium, constitutionibus, decretis, epistolis principum non alio nisi Graecarum Latinarumque litterarum, quae semper in honore fuerunt, indiget subsidio, haec autem coacta requirere non quae essent in more majorum, sed in ipsa rerum natura, nec opinionibus, nec hypothesibus, nec alienis dictis contenta esse potest, sed referri omnia, tanquam ad scientiae fundamenta, postulat, ad corporum universorum, ac praesertim humani cognitionem, ad easque artes, quae nos docent, ne falsa & incognita pro veris & cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Tantum autem abeiant medici, de quibus diximus, & nunc dicendum superest, ab hujusce operis perfectione, ut saepe inter se andabatarum more pugnarent, incomptisque unguibus bacchantes, asperoque ore se se invicem discerpentes opinionem & spem illorum fallerent, qui salutaria remedia atque consilia ab iis poscebant. Instituti tamen nostri ratio postulat, ut in il-

Digitized by Google

lorum monumentis inquirendis versemur, in quibus exponendis si tibi videbor nimium saeculo, in quo vixere, servire, non semper adhibens censoriam severitatem in illorum dictis scriptisque notandis, saltem hoc a te mihi concedi velim, sic a me res narrari, ut facile judicari possit quae laudem, quaeque vituperationem mereantur. Praeter quam quod non tantum mihi tribuo, ut possim callide scrutari ea, quae sunt in disciplinis recondita atque abstrusa, neque ea mente hanc historiam scribo, quin multa in illam, si modo tanti putabitur, a prudentioribus addi posse existimem, quorum si excitavero industriam, magnum laboris fructum me percepisse arbitrabor. Sed ad propositum veniamus.

Favit profecto fortuna Cosmo, quod statim ac de renovanda Academia Pisana cogitavit, medicos invenit, qui illius famam ac decus augere potuere. Principatum in hac arte tenere videbatur Matthaeus Curtius Ticinensis, qui quamvis infirmissima valetudine, affectaque jam aetate esset, non recusavit tamen iterum apud nos onus docendi suscipere. Porro liberalissime cum ipso egit Cosmus. Nam illi stipendium assignavit MCC. centussium, pecuniam pro viatico dedit, domum Florentiae attribuit, ejusque famae concessit, ut sine competitore doceret (1). Non multos tamen post menses, quam Pisas

(1) *Harum rerum monumenta extant* in Filza XXIX. *Tabularii Medicei. Sic enim scripsit Philippus Miliorius ad Cosmum ipsum, litteris datis Mediolani post. Kal. Martii* 1543. Si è concluso (col Corte) che venga a servizio di V. E. per leggere dove a quella piacerà nel suo dominio con salario di Sc. 1200. l' anno, la condotta cominci adesso in Kalende di Marzo, e duri per otto mesi e due anni più, oltre al qual tempo ci hò aggiunto l' anno del respecto, che sia in potere di V. E. tenerlo e non tenerlo un anno più secondo le piacerà. Queste sono le condizioni specificate nel contratto: holli dipoi promesso che V. E. gli darà la casa in Fiorenza, e di farli condurre la sua roba.

sas venerat, mortem obivit, & quia de eo satis multa diximus in superiori volumine, ad illud studiosos Curtii delegamus. Illud tamen unum addidisse juvabit, mandasse Cosmum Robertellio, ut Latina inscriptione, quae in illius sepulcro poneretur, posteris proderet qui quantusque medicus ille fuisset.

Reducem quoque esse voluit Cosmus Franciscum Gallum Pontremulensem, de quo pauca hoc loco, quod alibi plura narravimus. Quoniam vero nihil honorificentius fieri potuit litteris, quibus eum invitavit Cosmus ipse ad iterum sumendum onus tradendae medicinae, illarum exemplar infra exscribere minime pigebit (1). Quoad vi-

(1) In Dei Nomine Amen. Anno Dominicae Incarnationis ejusdem 1545. Die Decima Mensis Octobris.

Cum sit quod Excellentissimus, & Illustrissimus D. D. Cosmus Medices Dux, & Magnifici Consiliarii Reipublicae Florentinae allegerint, & in numeros retulerint, ac conduxerint, excel. Artis, & Medicinae *Doctorem Dom. Mag. Franciscum Gallum de Pontremulo*, ad Ordinariae Practicae Medicinae interpretationem in Gymnasio Pisano, ut patet ex Literis patentibus, & Decreto praefati Excellentissimi Dom. Dom. Ducis, & Magnificorum D. D. Consiliariorum, quarum, & cujus tenor est, ut infra.

Magnifice, ac Excellens Vir. &c. Semper nobis summa laude dignus ille visus est, qui Atheniensibus Leges dedit, qui ne quis Patrem aleret, tulit, qui filium artibus erudiendum non curasset: noluit enim sapiens vir Patrum causa, culpaque contingere, ut Juvenes in Civitate reperirentur, qui artibus illis praediti non essent, quibus & se ipsos, & Parentes alere facile possent.

Nos igitur vehementer cupientes, ut non solum Cives nostri, atque ii, qui in jurisdictione nostra sunt, quorum, tamquam Patres, curam gerimus, & qui filiorum apud Nos locum obtinent, sed cujusvis Nationis Juvenes bonis artibus erudiantur, atque illis potissimum artibus, quae liberales, at-

Digitized by Google

xit glorioſe ſuum munus exercuit, vixit autem ad Octobrem usque an. 1547., cumque binos filios doctrinae ſuae haeredes reliquiſſet,

---

que ingenuae, & ſunt & vocantur, quibus eruditi, & ſibi ipſis honori, & parentibus, atque amicis utilitati, & Patriae emolumento, atque ornamento eſſe poſſint. Gymnaſium noſtrum Piſanum (juſtis de cauſis) aliquo tempore intermiſſum, tamquam poſtliminio revocare, & reſtituere decrevimus: ad quod, tamquam ad mercaturam ingenuarumque omnium artium, & diſciplinarum, undique proficiſcentes, praeclara eruditione, atque doctrina ornati in Patriam denique revertantur: praeteriti enim temporis exempla memoria repetentes facile confidimus ex celeberrimo horum omnium ludo, tamquam ex Equo Trojano, Juvenes principes extituros. Quoniam autem id ſine ſummorum Magiſtrorum, ac Doctorum opera, nulla fieri ratione poteſt, hujuſmodi quidem Majores Noſtri magna diligentia conquiſiſſe, & collectos, acceſſitos adhibere undique conſueverunt, cum cetera omnia in opportuniſſima ad talem rem urbe, & rebus omnibus ad uſum domeſticum affluenti minime defutura ſint, maxime nobis curae fuit, ut optimorum bonarum artium, ac diſciplinarum Interpretes, atque in eo docendi munere ſpectatos, & probatos Viros conduceremus; quemadmodum multos etiam conduximus: in quorum Album Te ipſum quoque deſcribendum cenſuimus: ea enim eſt de praeclara eruditione, ac doctrina tua fama, ut ſi aſſignatum Tibi officium, & munus obire dcereveris, & nobis gratum, & tibi honeſtum, & in Gymnaſio noſtro ſe exercentibus Juvenibus maxime utile fore, non ſperamus ſolum, verum etiam confidimus. Quibus autem conditionibus vocatus a nobis ſis, intelliges ex Decreto, quod his noſtris litteris incluſum ad te deferri mandavimus: quas quidem ſi tibi admittendas duxeris, ſignificabis Nobis per litteras tuas ſtatim non ſine publica, ac ſolemni negotii ratihabitione, contractus fide, dabisque operam, ut Kalendis Novembris proxime futuri ad exequendum munus tuum adſis. Si vero aliqua de cauſa officium iſtud, atque onus diffugiendum tibi potius putabis, id etiam nobis per hujuſmodi Nuncium, qui tibi has litteras reddit, ſignificabis, ut ſufficere tuum in locum alium valeamus: ludum enim il-

quorum alter medicinae, alter juris prudentiae laurea decoratus fuerat, hi Principis indulgentia in Collegia, a quibus doctrinae insignia acce-

lum esse quam ornatissimom volumos. Datum Florentiae in Palatio Nostro Ducali XIX. Septembris MDXXXXIII.

FRANCISCUS CAMPANUS.

Magnifico, ac Excellenti Viro, & Medic. Doctori Magistro Francisco Gallo de Pontremulo Amico nostro Carissimo.

Die XIX. Septembris 1543.

Cum inter cetera, quae ad poblicae commoditatis compendium Illostriss. & Excellentisa. Dom. Dux Florentiae vigili ac perspicaci cura tractare non desinit, praecipuum sit Rei litterariae studium, qoo non tantom suae Ducalis ditionis alumnos, verum etiam ad totius Christiani Orbis populos omnis generis virtutum decus diffundator, atque omnes ad bene beateque vivendum subsidia sibi comparent, non immerito ejos Ducalis Excellentia, ejosque nomine Magnifici Locumtenens, & Consiliarii, ad felicem Florentini, ac Pisani Gymnasii proximam Instaurationem, animom intendentes, illamque ad effectum perducere cupientes, spectatae virtutis, & probitatis Clarissimum Virum, Medicinae Excellentissimom Doctorem Magistrom Franciscum Gallum de Pontremulo, ejus moltiplicem eruditionem, interpretandique, ac disserendi solertiam habendo, ad Ordinariae, & Practicae Medicinae interpretationem cum solitis honoribus, oneribus & emolumentis, ac annuos ejusdem Stodii Florenos quatuor centum quinqoaginta, videlicet Florenos 450. Stipendio elegeront, & in nomeros retolerunt pro foturo a Kalendis Novembris Primo incipiendo Triennio; nec non etiam pro Qoarto, ad ejusdem Illustriss. beneplacitum An-

Digitized by Google

ſerant, adſcripti fuerunt. Neque hoc ſolum patris, ac filiorum merito conceſſum, ſed etiam mori, qui invaluerat, Doctores Piſanos hujuſmodi honore, qui non erat ſine emolumento aliquo, decorandi. Et Piſanos illi quidem ſe nominant, quod ipſorum pater civitate Piſana donatus fuerat. Tertium & filium ſuſceperat Franciſcus nomine Georgium, qui in flore aetatis e vita migravit, poſtquam an. 1524. Rectoris Academiae, & Medicinae etiam Doctoris munere functus fuerat. Huic autem, ſibi, ſuiſque heredibus Franciſcus ſepulcri monu-

---

no, & Statutorum Capitulum, & laudabili dicti Gymnaſii conſuetudinum obſervatione; & haec omni meliori modo &c.

Ego Joannes, olim Benedicti de Piſtorio Coadiutor in Cancellaria praedicti Illuſtriſs. Domini Ducis, &. Conſiliar. de Mandato D. Vincentii Godemini eorum Cancel. de praedictis rogat. in fid. ſubſcripſi.

Quibus Litteris, & Decreto viſis & lectis a praed. Magiſtro Franciſco coram Me Notario, & Teſtibus infraſcriptis, humili, & cum debita reverentia in primis, & ante omnia egit, & agit immortales gratias praed. Illuſtriſs. Dom. Dom. Duci, & Conſiliariis de tanto merito ſibi collato, offerens ſe nedum ad ſimilia, ſed ad majora, & ad commodum, utilitatem, & beneplacitum praed. Illuſtriſs. D. Ducis, & Conſiliar. ſemper paratum, & eorum Dominationibus Illuſtriſs. in omnibus obſequenti animo, & corpore, ipſe ſuprad. D. Magiſter Franciſcus Gallus de Pontremulo, in praeſentia mei Notarii, & Teſtium infraſcriptorum, omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus magis, & melius potuit, & poteſt acceptavit, & acceptat eum illis honoribus, & oneribus, & emolumentis, ac ſtipendio, ac omnibus, & ſingulis aliis, prout in praedictis, Litteris Patentibus, & Decreto continetur; ad quas, & quod ſe offert, ac refert promittens mihi Notario infraſcripto Perſonae Publicae, officio publico fungenti, praeſenti, ſtipulanti, & recipienti, pro praed. Illuſtriſs. Dom. Dom. Duce, & Conſiliar. & omnibus, & ſingulis aliis, quorum intereſt, & in futurum intererit, praedictam acceptationem, & omnia, & ſingula praedicta habere, & tenere rata, & firma ſuis loco, ac tempore, de quibus &c.

Digitized by Google

mentum in S. Catharinae Aede posuit, in quo haec inscripsit: *In hoc tumulo jacent ossa Magnifici Rectoris Pisani Gymnasii Georgii de Gallis de Pontremulo Artium & Medic. Doct. Ordinariam legentis, ejus pater Magister Franciscus Medicinam Ordinariam profitens ac lectura comes sibi, & haeredibus posuit.*

Erat tum in more positum, ut ex alienis provinciis, qui doctrina praestare videbantur, maxime quaererentur, quod ad gloriam Academiae, & discipulorum frequentiam augendam plurimum conducere putabatur. Hac igitur de caussa, ut supra commemoravimus, missus est in Insubriam Philippus Migliorius, qui sane plures inflammavit & utilitatis & gloriae spe ad cogitandam Etruriam. Cum Mediolani invenisset Nicolaum Boldonium nobili genere & Octaviano patre natum ineunte ferme saeculo XVI. acutissimo ingenio, nec medicina solum, sed & ceteris artibus, quas Patavii didicerat, eruditum, cum eo sic egit, ut Pisanam Academiam, quam unam domum fore virtutis, tranquillitatis, ac dignitatis Migliorius affirmabat, patriae anteponeret. Mandatum itaque dedit Curtio, ut tanquam legitimus Procurator de sua fide, deque propositis conditionibus pro se sponderet (1) & gratias agèret Cosmo, quod sui vocandi mentem voluntatemque suscepisset. Mansit apud nos ad totam usque aestatem an. 1554. cum ejus nomen maxima apud omnes esset in gloria, mane theoricam medicinam docens, post quod tempus ad suos redire coactus est. Non defuerunt huic honores. Nam Philippi II. Hispaniarum Regis, & Mediolanensium Ducis *Protophysicus* declaratus est, & in Ticinensium Medicinae Doctorum numerum lectus cum stipendio, quo

(1) *Extat hujusmodi monumentum* in Filza, *quae inscribitur* Miscellanea di Documenti del secolo XV & XVI. *In eo dicitur Boldonius* artium & medicinae Doctor, & legens ordinariam lecturam theoricae in civitate Mediolani.

Digitized by Google

nullum liberalius erat. Tantam enim famam collegerat, ut vere de eo dixisse videatur Martinus Henricus in libro *Pulcherrimarum Quaestionum: cum in omnibus disciplinis, tum vero in medicinae scientia tantum valet, ut hodie neminem norim, vel apud Italos (cum pace omnium dixerim) quem illi conferendum existimem*. Dives, honoratus, adhibitus in Principum hominum curationibus, & vel Rodulphi Caesaris, ejusque uxoris, cooptatus demum in Mediolanensem Senatum vitam felicissime ad aetatis usque annum septuagesimum octavum perduxit. Moriens Octavio filio praecepit, ne vulgari sineret quaedam scripta sua, licet in iis, & in libro praesertim de febribus, contexendis multum insudasset. Nepos illi fuit (neque hoc tacendum arbitramur ad familiae gloriam illustrandam) Sigismundus Boldonius vir Graecis Latinisque litteris eruditissimus, cujus extant epistolae & carmina Latina omni lepore affluentia, quique haec de avo memoriae mandavit. *Dicam ingenue, ipsum non barbare, verum non Latine scripsisse. Ceterum philosophus non vulgaris; graece nequaquam mediocriter eruditus. Multa etiam ex Arabicis fontibus hausit: ad haec & mathematica tetigit, praecipue Astronomica, magnus in primis naturae scrutator, ab omni ambitione longissime dissitus*.

Quanquam Cosmus nihil difficilius esse affirmaret, quam diu retinere homines alienigenas, qui ex doctrina, quam mercabantur, claritudinem sibi paraverant, effecit tamen, ut per decennium & amplius operam & studium suum navaverit huic Academiae Joannes Argenterius, qui ex Pedemontio, in quo natus erat, cum pat.iam habuisset Castrum Novum, ad illam venerat autumno anni 1543. Vel ante hoc tempus tum Lugduni in Gallia, tum Antuerpiae in Belgio medicinam exercens omnium opinionem superaverat, cumque fama illum notum fecisset Francisco Campanae, cujus auctoritate Cosmus ipse, qui eum habebat ab epistolis, plurimum movebatur, hujus commendatione facile obtinuit, ut locum honorificentissimum cum satis ampla mercede in hac nostra Academia occuparet. Etsi minime valeret memoria, ut

de se ipse testatur, omnes tamen in illo elucere ingenium videbant, cujus vim praesertim consumebat in exagitandis alienis erroribus (1). Nunquam ipsemet sibi praecidit libertatem atque licentiam mordendi eos, qui in omnia Aristotelis atque Galeni dicta jurabant, quorum iram adeo in se concitavit, ut vel maledictis vexatus fuerit. Ex nostratibus Remigius Milioratus adversus eum librum *de putredine* exaravit, aliique, ac praesertim Julius Alexandrinus, acerbiora etiam scripserunt. Vir quidem acuti erat ingenii, sed dum hujus aestui nimium indulgebat, neque anatomen, neque naturam consulebat, effecit, ut ejus scripta *in artem medicinalem Galeni*, *in Hippocratis aphorismos*, *de morborum generibus*, *differentiis & causis*, *de generibus*, *& differentiis & causis symptomatum*, *de temporibus sive partibus morborum*, *de signis medicis*, *de urinis & de febribus*, *de vi purgantium medicamentorum*, *de calido nativo*, *& de spiritibus*, *& de officiis medici*, aliaque hujusmodi, quamvis semel iterumque typis impressa, & physiologica plurima contineant, parvi pretii nunc existimemus, soliti irridere, & merito quidem, inutiles quaestiones, in quibus tractandis veteres medici occupabantur. Sunt qui pluris faciunt libros *de somno & vigilia* (2) uno minus vitio fortasse vitiosos, quod in iis exarandis magis brevitati Auctor consuluerit.

(1) *Praestitit id praesertim in libro de* Consultationibus medicis, seu ut vulgus vocat, de modo collegiandi, *& in libris* de officio medici, *de quibus hujusmodi judicium protulit Hallerius*. Subtiliter, ut solet, & verbose receptas methodos moresque seculi refutat.

(2) *Laurentius Torrentinius plerosque libros Argenterii Florentiae typis impressit. Nonnulli quoque in Gallia excusi fuerunt: omnia vero illius opera vulgata fuerunt Francofurti 1610. in fol. De iis vide Mazzuchellium, qui in Vita Julii Alexandrini plura etiam de illo narravit. Simlerus, Tiraquellius, Conrigius, Mangetus, &, ut de ceteris sileam, Thuanus in fine libri LIV. Histor. de eo honorificam mentionem fecere.*

Cum is a nobis an. 1555. discessisset (1), quod ei odiosum & molestum erat in scholis rodi, in circulis vellicari, Neapolim accessit, neque multo post in Academiam Montis Regalis medicinae Doctor adscriptus est. Inde Augustam Taurinorum rediit, qua in urbe adolescens insignia dederat indicia ingenii atque doctrinae & publice docens medicinam, & exercens privatim, quamvis non feliciter admodum, ut ex Jo. Vartio compertum habemus (2). Vitam ad LVIII. usque aetatis annum produxit. Obiit enim III. id. Maii an. 1572. monumentumque habuit in Aede principe a pietate Herculis Filii, quem ex Margarita Brollia Taurinensis Archiepiscopi sorore genuerat. In monumento autem hic positus titulus fuit.

JOAN-

---

(1) *Non incommodum erit exscribere viri summi Laelii Taurelli litteras, quas de Argenterio ad Jo. Franciscum Lottinium Cosmi I. ab epistolis dedit, ex quibus de hominis morositate judicari poterit.*

Magnifico Mes. Gianfrancesco honoratissimo.

Il nostro Argenterio venne qui, e fece un gran scalpore di non potere leggere la mattina per non essere preparato, per non li esser sano il levarsi a buon'ora, per non potersi udire da scholari la theorica e pratica, e Porzio la mattina, e disse voler leggere o l'usata letione, o la sera. Io dissi che parlerei con Mes. Andrea, e poi scriverei a voi, e se ne è andato, ed ha lasciato scritto a Mes. Andrea una lettera che non è per leggere altra letione che l'usata, o la sera . . . . . In vero se l'Argenterio si potesse conservare, saria pur bene, perchè è di qualche frutto, e sebbene ha il giudizio di un cavallo, pure è letterato, massimamente in quella via estravagante dagli altri, come il Cardano, che giova per acuire l'ingegno. Per vostra fè saldate con S. E. questa piaga, e fate pubblicare il Rotolo, facendolo accomodare dove bisogna . . . .

Di Firenze 16. Ottob. 1548.

(2) De ingeniorum examine Cap. XII.

Joanni Argenterio

Parentibus et natali solo suis tantum noto

Ingenio vero Aristotelico

Et in re medica Doctiss. monumentis

Lustranda orbi notissimo

Cujus perennem Famam et gloriam

Neutiquam consumpta est

Vetustatis injuria

Hercules Filius moerens Posuit.

Obiit Anno Dom. mdlxxii.

iii. Idus Maii Aetatis suae lix.

Inter Medicos, qui Academiae fores aperuerunt, numerandus est Michael Angelus Jacobi Angelii Bargaei filius, de quo quia supra, cum de Anatomicis scriberem (nam per plurimos annos utilem operam navavit Academiae tum Medicinam, tum Anatomen professus) satis multa dixi, tacendum hoc loco videtur. Illud tamen addendum putamus, extare in Riccardiana Bibliotheca ejus manu scriptum opus *de facultatibus naturalibus*, in quo postquam Galeni & Peripateticorum sententias exposuit, pluribus de pulsu, de urinis, & de purgandi ratione egit; nec non libellum alium *de recto usu aquarum mixtarum*, de quo illud animadvertendum videtur, vel ante Redium

novisse Angelium salutarem esse in difficultate intestinorum curanda aquam illam, quam *del Tettuccio* appellare solemus.

Is collegam habuit Leonardum Jacchinium Emporiensem, qui Luca, ubi medicinam exercebat, Pisas venit autumno an. 1543. Instrumentum extat suae conductionis actum in domo Christophori Trenta, ex quo apparet aegre ipsum ab se dimisisse Lucenses. Ejus prima aetas, cum educatus fuisset apud Petrum patruum tum Volaterris, tum Pistorii, quibus in urbibus hic Ecclesiae militaverat, non modo dedita iis disciplinis iisque artibus fuit, quibus ad medicinam instrui homines solebant, sed etiam humanioribus litteris, & cum Graece luculenter sciret, Galeni libellum *de purgatione* in Latinam linguam convertit, & commentariis illustravit. Arabis medicis infensus, quos corruptores Graecae medicinae fuisse ajebat, librum exaravit, qui *Barbaromastix* inscribitur, eoque Avicennam, Mesuen, omnesque Arabicae doctrinae sectatores libere atque aspere momordit (1). Et Galeni quidem se studiosissimum ostendit cum de curatione acutorum morborum librum emisisset, ceteraque hujusmodi ad medicinam practicam, ut ajunt, pertinentia tractasset. Nihilo tamen minus in eo gloriabatur, quod in nullius soleret jurare verba magistri (2), nec reverens, ne magis accusatorie, quam libere dicere videretur, cum aliorum increpabat errores ac turpem servitutem, multorum ferre de-

---

(1) *Extat inter Academiae Florentinae opuscula adversus Arabes edita Lugduni 1534. in 8. Illa Academia se Galenicam appellabat. Ceterum nemo ignorat, quod non minus Galenus, quam Arabes omnes medici, Aristotelem, tanquam philosophiae Deum, sequebantur, sicque tota medicina tum Arabum, tum Galenicorum Peripatetica appellari potest. Quibus vero in rebus inter se dissiderent non est hujus loci recensere. Vid. Boerhaavium de Stud. Practico cum Halter. commentar. Vol. II.*

(2) In epistol. ad Lector. de natural Quaest. edit. Lugd. an. 1567.

Digitized by Google

buit irrisiones atque calumnias. Mirandum vero est tum Jacchinium, tum Argenterium, acutissimi sane ingenii homines, qui libenter arripiebant facultatem laedendi quaecumque dabatur, perstrinxisse aciem mentis, ne viderent, experientia duce, quae ante oculos posita erant, quaeque recta ratio suadebat. Sed iis temporibus omnis fere aditus ad veritatem in physicis rebus obstructus videbatur, qui sero nimis, & perpaucis postea patuit. Vixit Jacchinius ad aestatem usque an. 1547. quo tempore Florentiae diem supremum obiit. Magno sane studio ejus scripta quaesita fuerunt, cum perpauca ex iis vivens vulgasset, & Hieronymus Donzellinius clarus medicus typis Veronensibus an. 1563. multa eorum emisit, cujus diligentiam alii postea imitati sunt (1). Quae de Peponibus exaravit digna putavit Soderinius quae suos *de Agricultura* libros ornarent; & plauserunt sapientes medici epistolae, qua admonuit illos, ne temere alienis sententiis subscriberent. Medicinae enim disciplinam meliorem reperiebat nullam Jacchinius, quam magna & diligenti contemplatione per se investigare morborum naturas, nec facile alienis dictis fidem praebere.

Atque hi medicinae Magistri fuerunt, in quos oculos conjecit Cosmus, statim ac de renovanda Academia consilium suscepit. Vel an-

(1) *Vulgavit Hieronymus Donzellinius*; Commentaria in IX. librum Rasis ad Regem Almansorem ec. methodum praecognoscendi, atque libros de rationali curandi arte, de acutorum morborum curatione, & quaestionum naturalium. *Praeter haec opera Georgius Abraham Merklin in suo* Lindenio Renovato de scriptis medicis *recenset quae adversus Avicennam, Mesuen, & vulgares medicos scripsit, Galeni de purgatione Libellum in Latinum conversum, & commentario explanatum, Orationem apologeticam, qua probatur,* Praecognitionem ex medicina, ut plurimum, certam esse, si nihil delinquatur, *ac demum methodum* curandarum febrium per Rodricum Fonsecam cum additionibus ejusdem Fonsecae: Pisis apud Jo. Fontanum 1615. in 4.

te hoc tempus magna cum laude Pisis salutarem artem exercuerat Marcus Antonius Quarantoctus Bartholomaei Montiscatinensis filius, eaque propter Pisani eumdem civitate donaverant. Quanquam is nunquam processisset in solem & pulverem Academicum, intraque moenia unius urbis, quae per multos annos omni praeclara arte caruerat, gloriam aluisset, nihilo tamen minus dignus habitus est, qui ordinariam medicinae cathedram occuparet. Erat quidem ad docendum paratus, minime vero ad dicendum; praeter quam quod verebatur contendere cum Angelio Bargaeo, qui in primis acutus & disertus habebatur. Itaque cum munus suum ingredi deberet Octobri an. 1544., caussam afferens curationum, serius, quam par erat, ingressus est. Fecit id studiose accurateque, nec mediocrem de se opinionem concitavit, vel potius confirmavit (1). Quod fortasse intelligebat & multa, & magna, & difficilia esse ea, quae sunt publico Doctori necessaria, & quod medicinam faciens magno cum emolumento suam industriam in plura studia distrahi nolebat, non diu operam Academiae navavit. Quo autem anno obierit ignoro. Erat quidem summa senectute an. 1565. quo tempore mortem cogitans in S. Catharinae Aede sibi suisque monumentum cum hac inscriptione posuit. *M. Ant. Quarantoctus C. Pisanus Phil. & Med. Doctor, cum Pisis pub. legendo, tum exercendo octogesimum ageret annum* L. M. V. P. S. & S. A. D. MDLXV. *Kal. Mart.*

Is filium habuit nomine Clementem, quem an. 1529. ex Lucretia

---

(1) *Hujus rei testem habemus Franciscum Campanam, qui his verbis ad Cosmum scripsit, datis litteris Pisis XIV. Kal. Decemb. an.* 1544. Il Montecatino sotto pretesto di curar malati non fece il dover suo al principio dello Studio, e temeva la concorrenza del Barga. Questa mattina però ha fatto il suo principio molto dottamente, & gli è mancato solo di quelle cose, che non ha chi non è exercitato.

Vernagallia nobili femina suscepit, atque hic vel a pueritia deditus iisdem studiis, quae pater excoluerat, tum philosophiam, tum medicinam non mediocri cum laude Pisis professus est.

Nomine mihi tantummodo cognitus est Sebastianus Papparellus, qui an. 1547. una cum Baccio Bernardi Baldinii F. onus docendae theoricae medicinae suscepit. Hujus quidem fama illustris fuit, quam habuit a medicina, ab humanioribus litteris, & a dexteritate & fide in tractandis negotiis. His nominibus carus & intimus fuit Cosmo I. ut de se ipso testatur, cum illius vitam a se exaratam Francisco Mediceo nuncuparet, ab eoque multis in rebus adhibitus fuit. Relicta enim an. 1550., cum aetatis annos XXXIII. complesset, Academia Pisana, in illius aulam Archiater venit. Quod in ipsius salute positam Etruriae felicitatem putabat, illi sic consuluit, ut bona frueretur, nec modo corpori, sed etiam animo medicinam adhibuisse videtur, cum illi clementiae panegyrin, sane luculentam, inscripsisset. Solitus frequentare Academiam Florentinam ab ipso Cosmo institutam, in ea dissertationes habuit de divina Providentia, atque de Fato, & quidquid attigit, condivit elegantia atque eruditione. Cum vero animo infixus haereret dolor ob mortem beneficentissimi patroni, funebri oratione ipsum laudavit, neque hoc contentus, sermonem de vita & fortuna ipsius Cosmi, & librum de vita ejusdem exaravit (1). Vides itaque talem fuisse medicum Baldinium, qui communi intelligentia contentus esse non poterat, & cum de Graecis Latinisque scriptoribus, deque eorum codicibus recte judicaret, dignus a Cosmo habitus

---

(1) Orazione recitata nell' Accademia Fiorentina in lode del Serenissimo Sig. Cosimo Medici G. Duca di Toscana gloriosa memoria da M. Baccio Baldini suo Protomedico: In Firenze nella Stamperia di Bartolommeo Sermartelli 1574. in 4. Discorso della Virtù e della Fortuna del Sig. Cosimo da' Medici: in Firenze 1577. in 4. Vita di Cosimo &c. in Firenze 1578. in fol.

est, qui Praefecturam bibliothecae Laurentianae gereret. Multum quidem haec illi debuit, & per ipsum aucta fuit Virgiliano codice, quo nullus nobilior, & antiquior extat. Hujus comparandi gratia Romam accessit, quem ubi in manibus habuit, scripsit Cosmo se omnibus laetitiis laetum esse, & superasse Crassum divitiis. Inquies fortasse, haec sunt pergrata atque jucunda, sed pauca etiam requirimus, quae ejus in re medica doctrinam testentur. Non multa hujusmodi scripsit: commentariis (1) tamen illustravit librum Hippocratis *de aquis, aere & locis*, quae satis declarant exacuisse illum ingenii aciem ad bona deligenda, & rejicienda ea, ex quibus inepta, & garrula, & odiosa Arabum medicina constabat. Omnibus artibus volumus attributam esse eam, quae appellatur prudentia, quam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere; verum illius praesertim eget medicina, sine qua ab ipsa non salus hominum, sed pernicies & nex peteretur. Laudi etiam datur Baldinio, quod inventor fuerit salutaris cujusdam remedii, quod ab ejus nomine in *Antidotario Florentino* appellatur (2). Quae *de Cucumeribus* scripsit, nuncupavit Joanni Medicco, & id unum tota in vita curasse videtur, ut Mediceorum Principum gratiam sibi conciliaret, & quantum poterat remunerando illustrem redderet. Vivebat quidem an. 1585. sed quo tempore vitam amiserit incompertum habeo (3).

---

(1) *Haec* commentaria *edita fuerunt Florentiae* 1586.

(2) *Vide Mannium de Florentinis inventis Cap. XVI. Remedium autem illud nominatum est.* Unzione cordiale del Baldini.

(3) *Sepulcri monumentum habuit apud Moniales, quae* delle Murate *dicuntur, in eoque haec inscripta fuerunt*

Baccii Baldinii ossa et ejus uxoris.

Ejus uxor fuit Diamans Cattanea e Diacceto, ex qua binas suscepit filias, quarum altera nupta fuit Laurentio Ridolfo, altera Pandolpho Strozio.

Non animus mihi est pluribus, ut alii fecerunt, disputare de Soccino Bencio, scilicet quibus parentibus, quoque loco natus fuerit. Ferrariensis is quidem nominatur in albo Magistrorum nostrorum, & avum fortasse habuit Ugonem illum Bencium Senensem, quo nullus aetate sua clarior fuisse medicus traditur. Hujus filius nomine quoque Soccinus, medicus & ipse atque philosophus magni nominis, Ferrariae publici doctoris munus exercuit, & in hac urbe una cum fratre Francisco, qui Soccino juniori, teste Giraldio, pater fuit, domicilium suum collocasse videtur. Auctorem habemus, saue locupletissimum, ipsum Lilium Gregorium Giraldium fuisse Soccinum nostrum sapientissimum, & medicinae, ac multarum rerum peritum. Sic enim alloquitur, cum ipsi nuncuparet *Syntagma XV. de Historia Deorum*:

Disertissime mi Socine Benti,
Antistes Sapientiae, & peritus
Artis Pergameae simulque Coae
Conscripsi tibi &c.

Multa quidem de eo fama nuntiaverat, cum ad nos an. 1547. venit, & ex Laelii Taurellii litteris compertum habemus, non modo eum satisfecisse expectationi discipulorum, sed etiam, quod difficilius erat, sibi a rixis, provocante Argenterio, temperasse, quamquam omnibus & naturae & doctrinae praesidiis ad dimicandum esset paratissimus. Septennium & amplius apud nos mansit, post quod tempus, quo concesserit, quidque egerit plane ignoramus (1). Profecto si, ut amplissimum nomen consequeretur, plurimum elaboravit, minime credi-

(1) *De eo vide Mazucchellium, nec non Borsettum* **Histor. Ferrar. Gymnasii & Vindic. adversus Jacob. Guarinum p. LV.**

Digitized by Google

bile videtur neglexisse, ut partum tueretur, praesertim cum ad summam prudentiam tantus usus in medicina facienda accessisset.

His nominibus plurimum quoque laudabimus Guidonem Guidium, qui & Vido Vidius appellabatur. Is nobili genere, patre vero Juliano natus Florentiae erat, & cum magno ingenio praeditus esset, adeo processerat tum in philosophia, tum in medicina, ut pauci ei pares ponerentur. Hac tanta celebritate famae etiam absentibus coepit notus esse, qua de caussa Franciscus I. Gallorum Rex illo medico uti voluit. Quemadmodum Phidiae signum simul adspectum & probatum est, sic de Guidii doctrina statim ac ille Lutetiam Parisiorum accessit, tanta surrexit fama, ut vere de eo dixisse videatur Duvalius:

Vidus venit, Vidus vidit, Vidus vicit.

Praesidium summum petebat ex optimi & potentissimi Regis benevolentia ad omnem statum suae dignitatis, cumque illius jussu publice medicinam doceret in Regio Collegio Parisiensi, & faceret etiam nobilioribus aulicis, patriam minime requirere videbatur. Et Claudius quidem Tolomacjus gratulans illi de sua fortuna, de suo statu, de Regis studio ac liberalitate in litteras, ac litteratos homines, plurimum se gaudere dixit, quod theatrum bellissimum suae doctrinae invenisset, neque dubitare, quin illo ita usurus esset, ut spectata magis & cognita ejusdem virtus & nobilitas esset (1). Nihilo tamen minus, cum

(1) *Vide* Lettere pag. 252. *edit. Ven.* 1565. *Nec praetermittenda videntur, quae de eo memoriae mandavit Benvenutus Cellinius in Vita, quam de se ipso scripsit*: Molto prima io dovevo ricordare della guadagnata amicizia del più virtuoso, del più amorevole, e del più domestico uomo da bene, che io

cum e vita cessisset Franciscus Rex, de deserenda Gallia cogitavit, & facile a Cosmo I. qui semper illius laudi favere visus est, impetravit, ut se medico uteretur, sibique locum daret inter Academiae Pisanae Doctores (1). Venit quidem ad nos ineunte an. 1548. & per annum philosophiam docuit. Eo vero, qui consecutus est, coepit medicinae cathedrae praeesse, & tum theoricam, tum practicam docuit per totos viginti annos honorificentissimo Supraordinarii Professoris titulo decoratus. Qui

conoscessi mai al mondo. Questo si fu MS. Guido Guidi eccellente Medico e Dottore e nobil cittadino Fiorentino . . . . . Capitò il detto M. Guido Guidi in Parigi, e avendolo cominciato a conoscere, lo menai al mio Castello, e quivi li detti una stanza libera da per se; così ci godemmo insieme parecchi anni . . . . Col sopraddetto M. Guido godemmo l'amicizia tanti anni, quanto io li soprastetti, gloriandoci spesso insieme, che noi imparavamo qualche virtù alle spese di quello così grande e maraviglioso Principe, ognuno di noi nella sua professione.

(1) *Has ad ipsum Cosmum litteras Parisiis misit*. Il Vescovo de' Ricasoli Imbasciatore di V. E. mi ha riferito per parte sua com' ella era contenta di condurmi a Pisa con le conditioni scrittemi dal Vescovo di Pavia, le quali sono ch' io serva per Lettore di Medicina con 400. scudi di provvisione, e di più con 100. avendo il titolo di suo medico, e che in segno dell'animo, che ella ha di favorirmi e beneficarmi, ella mi concede in Firenze il benefizio della Città, il che intendendo io subito senza punto pensarla mi sono rissoluto di venire a servirla, e ricompensare la liberalità, che mi ha mostro con una pronta, fedele e perpetua servitù. Dicole dunque che accetto tutto, e solo mi duole, che io non posso partir di quà prima che a Natale, parte per non aver ottenuta licentia da costoro, parte per avere i frutti delle passate fatiche.

Di Parigi 10. Settembre 1547.
Guido Guidi.

multis praemiis & honoribus, ac ditibus etiam sacerdotiis a Francisco Rege auctus fuerat, non minora a Cosmo obtinuit. Praepositus enim fuit Ecclesiae Pisciensi, cujus jura adversus Lucensium machinas tutatus est (1), & auctor est Benedictus Varchius, qui carmina de illius laudibus fecit, optime illum tenuisse medicinam non modo quae corpora, sed & quae animos sanaret. Multi alii fuerunt laudatores integritatis, doctrinae & elegantiae ejusdem, quos commemorare minime necesse arbitror. Cum medicina plures in partes discerpatur, universas sic ordinare sibi proposuit Guidius, stimulos addente Cosmo, ut unum veluti corpus efficerent, easque non accurate modo atque erudite, sed etiam eleganter exponeret. Nam cum in maximis occupationibus nunquam intermisisset studia humaniorum litterarum, & Graece etiam luculenter sciret, elegantiam ab doctrina minime sejungendam putavit. Cum Lutetiam Parisiorum venisset, palam omnibus fecit quam doctus esset Graecis litteris. Nam vulgavit libros v. *de Chirurgia*, in Latinum conversis Graecis de ea scriptoribus cum suis & Galeni commentariis. Opus splendidissimum & ornatissimum est, dignumque habitum nomine & regno Francisci I. cui nuncupatur, atque expectatione, quam Guidius sui concitaverat. Etsi autem Cosmus solitus esset eludere medicorum artes, nec non eos, qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia, vel noxia alieni consilii indigerent, auctor tamen fuit Guidio, ut in suscepto labore perseveraret; & homo navus & industrius, experientissimus & diligentissimus nullum ferme diem abire sinebat, quin multa litteris man-

---

(1) *De hac re cum scripsisset an. 1568. ad Cosmum, haec ipse Cosmus in extrema epistolae pagina, alloquens Concinium, sua manu exaravit.* Concino, dì al Principe, che conservi il suo, e se i Lucchesi l' hanno perso, lor danno, però non comporti alterare i privilegj di Papa Leone X. ma li difenda, che ormai son passati sette Papi.

daret. Obstitit tamen mors ne omnia perficeret, & quae inchoaverat, fidei doctrinaeque commisit Guidii Fratris filio, qui patrui votis cumulate satisfecit. Serius tamen prodierunt Venetiis (1) Guidii opera tria in volumina distributa, universaque tum ad medicinam, tum ad anatomen, tum ad chirurgiam pertinent. De his plura refert Portallius in anatomes historia, nonnulla etiam Hallerius, ceterique rerum anatomicarum, & medicarum scriptores. Quod semel, iterum ac saepe edita fuerunt Guidii opera, & separatim quoque illa, quae ad anatomen spectant, conjici ex eo potest, quanto in pretio fuerunt. Minime tamen silentio praetereundum est multa in iis esse, quae propria

(1) *His titulus*. Ars medicinalis, in qua cuncta, quae ad humani corporis valetudinem praesentem tuendam, et absentem revocandam pertinent methodo exactissima explicantur, quae per Vidum Vidium Juniorem diligentissime recognita, ac multa, quae ad eam perficiendam desiderabantur, partim aucta, diuque expetita nunc primum tota simul in lucem prodit: Venetiis 1611. in fol. apud Junctas, Francof. apud Ambrios 1626, 1645. in f. Ibidem apud Jacobum Gottofredum Seyerum 1667. *Vel antequam haec ederentur, an. 1585. prodierunt Florentiae apud Bartholomaeum Sermartellium in 4.* Vidi Vidii Philosophi ac Medici Florentini de Febribus libri VII. & Institutionum medicinalium libri III. *Relata haec postea fuerunt in illa tria volumina, quorum haec est distributio. Volumen I. continet.* Institutionum medicinae lib. III. De tuenda valetudine generatim lib. VI. de tuenda valetudine membratim lib. XIV. *Secundum volumen habet.* De curatione generatim partis primae lib. XVII. de curatione generatim partis secundae lib. XVII., quibus accedunt de curatione membratim Vidi Vidii Junioris lib. XI. ad Vidum Vidium Seniorem Patruum de se optime meritum. *Demum Volumen III. constat ex iis, quae scripsit*, de ratione victus, de medicamentis, de chirurgia, de Anatome. *Separatim quoque edita fuerunt, quae ad Anatomen spectant cum tabulis numero usque LXXVIII.*

Digitized by Google

putantur Vesalii, Faloppii, aliorumque, quamvis de his mentionem haud fecerit Guidius. Pro suo tamen jure contendere poterat, se multa aliorum inventis addidisse, & nova etiam quaedam invenisse, dissetensque de tabulis anatomicis Guidii Hallerius ipse, haec ait: *Multae figurae intercedunt Auctori propriae. Ossa cranii dissoluta omnia, cum sinubus frontalibus. Stapes curvis crusculis, os ethmoides integrum, os unguis non malum: processus orbitalis ossis palati. Sinus maxillares, menisci in articulatione maxillae inferioris cum osse temporum, figurae nervorum peculiares, rami a medulla spinali ad accessorium. Peritonaeum negavit perforari. Tubercula quaedam depinxit, quae dicit substantiae cordis imprimi, & lineas callosas, ex quibus valvulae sigmoideae oriuntur. Sinus medullae spinalis cum vena mastoidea; arteriae vertebrales per foramen magnum occipitis subeuntes & conjunctae; sic carotides, musculi occipitales, auricularum, levator palpebrae, pterygoideus externus, trochlea; horum musculorum peculiares figurae, & fere omnium musculorum, etsi neque nitidae sunt, neque plenae. Tunica villosa ventriculi cum magnis poris; angulus acutus a duobus ductubus biliariis interceptus, recte: Larinx cum ligamentis non male. Est ubi manifesto a natura recedit, ut in renalibus papillis. Valvulam coli habet, prior forte Posthio* (1) Hactenus Hallerius. Addendum & illud videtur fuisse ex recentioribus anatomicis quosdam, qui sibi tribuerunt quae de ossibus palatinis & de appendice quadam ossis sphenoidei primus omnium docuit Guidius, & injuria Arantio laudi dari, quod valvularum tubercula detexerit, cum eorum inventor fuisset Guidius. Qui quidem etsi sumpserit multa a multis, & si vis etiam, surripuerit, dives tamen adeo suis copiis erat, ut his ad immortalitatem nominis obtinendam contentus facile esse potuisset.

---

(1) Tom. I. Bibliothec. Anatomicae p. 236.

Digitized by Google

Quare jure meritoque hortatur Portallius anatomes studiosos, ut consulant illius scripta, haud fore asseverans, ut eos hujusce laboris poeniteat. Tractans chirurgica fortasse non parem meritus est laudem, quanquam haud pauca eximia in lucem protulit, & gratiam ei sane debemus, quod suis commentariis lumen addiderit Hippocratis libris de ulceribus & de vulneribus capitis, & quod nota fecerit praeter Galeni librum de fasciis, Oribasii Graeca scripta a se in Latinum conversa de laqueis, & machinamentis. Prorsus consulens saluti hominum, haud mediocriter quoque famae suae consuluit. Quanquam mos sit hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere, multorum tamen judicio praeter illam sapientiae libenter deferimus Guidio laudem elegantiae atque eloquentiae. Ea propter dignus habitus, qui principatum Academiae Florentinae teneret, in quam minime admittebantur, nisi ii, quos disserendi elegantia commendabat. De pictura etiam, aliisque liberalibus hujusmodi artibus rectissime judicabat, quarum studium cum matris lacte suxisse videbatur. Genita enim ipsa erat ex Dominico Ghirlandajo, de quo satis praedicavero, si hoc unum dixero, artem pingendi ab eo didicisse Michaelem Angelum Bonarrotium. Ob tanta & tam praeclara ingenii bona, & singularem humanitatem celebrabatur & colebatur ab omnibus, gratique erga eum Pisani non modo civitate, sed etiam urbis stemmate ipsum & fratrem Julianum donarunt. Obiit in hac ipsa urbe an. 1569. atque revocavit nemo in dubium, quin ex illius interitu magnum Academia nostra cepisset detrimentum. Complures ejus laudes, carminibus praesertim, celebrarunt (1) & Petrus Gherardus Burgensis flens & lugens hoc fudit epigramma:

1) *Vid.* Salvini Salvinii Fast. Consulares p. *117*.

Digitized by Google

Divina celeber cum Vidius arte medendi
Venit ad inferni tristia regna Dei,
Indoluit Pluto, timidusque: haec corpora dixit
Doctus homo ad vitam mortua rursus aget.

A Guidio seniore haud sejungendum putamus juniorem, de quo supra mentionem fecimus, & de quibus illud Petrarchae carmen usurpari posse videtur:

Ecco i due Guidi, che già furo in prezzo.

Cum scriberet aliquando Philippus Migliorius ad seniorem, haec inquit: *Noli ex sinu tuo Fratris filium dimittere, tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus*. Sub patrui igitur disciplina educatus, haud mediocriter in Graecis Latinisque litteris profecit, optimusque medicus evasit. Medicinam autem theoricam apud nos docere coepit an. 1575. docuitque ad annum usque 1583. Non studiorum modo, sed etiam fortunarum patrui aemulator hanc ipsam artem in Gallia exercuit Reginae Archiater, nec scio qua de caussa subito consilium ceperit in Etruriam redeundi. Erat quidem Lutetiae Parisiorum an. 1602. Nam hoc tempore Caspar Bindonius, cum emisisset *Tractatum de Limonibus Embiter Arabi*, nuncupavit Guidio, quem medicum Regium appellavit. Dum Florentiae commorabatur artis consiliique sui copiam omnibus fecit, adhibitusque etiam saepe fuit in curanda aegra Cosmi II. valetudine, a quo dona regalia accepit. Aula illius erat turba medicorum referta, & miror sane Guidium in illorum consiliis colligendis operam consumpsisse (1). Re-

(1) Consenso di diversi Consultori sopra la indisposizione del Serenissimo G. Duca.

fert Targionius quae remedia ab iis proposita fuerunt (1) nec sane dubitabis, quin ea valuerint ad accelerandam optimi Principis mortem. Quod priusquam accideret Guidius ipse naturae cessit Februarii mense an. 1621. Multa is scripta reliquit, quae declarant quantum mansuetioribus musis oblectaretur. Reddidit enim Italicis versibus Fragmenta quaedam veterum Graecorum poetarum, nec non Antigonem, Oedipum Tyrannum, Oedipum Coloneum, Electram Sophoclis, & Phoenissas Euripidis. Induit & ipse Sophocleum cothurnum, cum composuisset tragoedias, quas inscripsit *Parthenia*, *Jephte*, *ovvero la pietà temeraria*, *S. Giovanni*, *David perseguitato*, *Servio Tullio*, & praeter has Tragicomoediam unam, quam dixit *la Susanna*. Non severe de his omnibus judicabimus, cum istud unum concedi Guidio velimus, fuisse illum, prout ferebant tempora, & medicina doctum, & Graecis Italicisque litteris eruditissimum.

Pauca omnino habemus quae dicamus de Henrico Mattisio, Hercule Hebraeo, & Francisco Garbo. Hic quidem vel ab renovata Academia destinatus illi fuerat, sed docendi munere se abdicavit, quod postea an. 1549. suscepit, & per annum tantummodo retinuit. Floruerat illius familia in urbe Florentia aliis medicis illustribus, quorum laudes ille exaequabat, nec sibi quidquam deesse arbitrabatur ad obtinendas fortunas, cum ejus nomen in universa Etruria celebraretur. Non diutius apud nos fuit Neophytus ille, & expectationem, quam sui concitaverat, minime explevit. Mattisius vero toto illo biennio, quo Pisis commoratus est, corpus & animum contulit ad communem hominum utilitatem, & bona licet cum venia Principis deposuerit onus hoc docendi, non effugit tamen inconstantiae reprehensionem.

Hujus suspicionem ut vitaret Bartholomaeus Gatteschius Angeli &

(1) Tom. III. *in princip.* delle notizie degli Aggrandimenti delle Scienze fisiche &c.

Digitized by Google

Margaritae Natae Filius ortu Stratensis, origine vero Pistoriensis, cum an. 1544. inter Extraordinarios philosophiae Professores lectus fuisset, palam omnibus fecit se nunquam, quoties libuisset Principi, Academiam deserturum. Et huic quidem mirabilis utilitatis fructum praebuit, cum non solum philosophiae, sed etiam mathesis & medicinae studiosis satisfecisset, quas disciplinas Romae praesertim arripuerat. Ex eo quidem de praestanti illius doctrina conjici potest, quod anno 1573. Supraordinarius medicinae Doctor declaratus est cum liberali D. usque centussium stipendio. Vel ante hoc tempus in aulam Mediceorum Principum Archiater adscitus fuerat, & cum divitiis non minus, quam honoribus afflueret, quatuorque liberis, quos ex Maria Violetta Migliorellia nobili femina susceperat, auctus fuisset, fortunatissimus ac beatissimus esse videbatur. Quamvis ingenio valeret, & peracris esset in disputando, nullam tamen, quod sciam, litteram reliquit. Diem extremum obiit Florentiae prid. Non. Quint. an. 1585. cum ageret aetatis annum LXXV. sepulcrumque habuit in Templo Virginis ab Angelo Salutatae, in quo haec posita inscriptio fuit: *Bartholomaeus Gattescus Stratensis*. Ex ea profecto modestum hominem cognosces. Nec dubitare sane possumus quin titulis honorificentissimis honorare sepulcrum suum potuisset, cum tantam famam, tantasque divitias ex medicina collegisset, ut ejus hereditas aestimata fuerit septuaginta millibus & amplius centussibus.

Thomas Cornacchinius Aretinus, de quo alibi mentionem fecimus, prout ferebant tempora, clarus sane medicus fuit. Quanta vero cum dignitate & omnium existimatione in Academiae subselliis per triginta & amplius annos vel medicinam, vel philosophiam docens consederit, ex eo judicari potest, quod non nostrates modo, sed & alienigenae saepe ab eo consilia de valetudine curanda requirebant. Totos XXVII. annos cathedrae practicae medicinae praefuit, neque mediocria sibi ab anatome comparaverat adjumenta ad hoc sustinendum munus, ut ex illius libro, qui inscribitur *medicina practica rationalis & empirica*, edito tum Venetiis, tum Patavii, cognosci potest.

Digitized by Google

test. *Tabulas* etiam *medicas* (1) sibi confecerat, quae omnia cura Marci filii, ut alibi diximus, vulgata fuere. Quod si magni Imperatores, quibus summae curae est, ne quid in castris incommodi ex militum discordia oriatur, non modo concedunt duobus legionariis, ut armis contendant, sed etiam pugnae locum constituunt, ut & ipsi & milites spectare possint, uter utri virtute anteferendus videatur, sic Academiae Praefecti non putarunt alienum a dignitate, cum aliquando fuissent spectatores & judices contentionum, quas habuit Cornacchinius cum Joanne Guial Majoricensi, qui vocatus ad Academiam an. 1553. sic erat addictus & consecratus Arabum medicinae, ut eos omnes despiceret, qui vel latum unguem ab ea discedebant. Vixit Cornacchinius ad summam senectutem, & testis est Michael Montaignius ejus victum plurimum distasse a medicae artis praeceptis (2).

(1) *Haec est libri inscriptio*: Tabulae medicae, in quibus ea fere omnia quae a principalibus medicis, Graecis, Arabibus, & Latinis de curationis apparatu, capitis & thoracis morbis, febribus, pulsibus, urinis scripta separatim reperiuntur, methodo absoluta adeo collecta sunt, ut & illa, & loci unde sunt hausta, cadant sub unum oculorum obtutum. Patavii 1605.

(2) *Haec de Cornacchinio memoriae prodidit*. Voyage en Italie Vol. III. p. 219. Le 25. j'allai voir chez lui le fameux Cornacchino, Medcin & Lecteur de Pise. Cet homme vit a sa maniere qui est bien opposèe aux regles de son art. Il dort aussitôt qu'il a dinè, boit cent fois le jour &c. Il me montra des vers de sa façon en patois paysan, assez agrèables. Il ne fait pas grand cas des bains qui sont dans le voisinage de Pise, mais bien de ceux de Bagnacqua, qui en sont à la distance de seize milles. Ces bains sont, a son avis, merveilleux pour les maladies de foie (& il m'en raconta bien des prodiges) ainsi que pour la pierre & pour la colique; mais avant d'en user, il conseille de boire des eaux della Villa. Il est decidè (me disoit-il) qu'a le exception de la saignèe, la medicine n'est rien en comparaison des bains pour quiconque sait les employer à propos. *Quod Montaignius innuit non expertem fuisse Cornacchinium poeticae suavitatis, confirmatur ex ode ejus Latina, quae extat in Vol. III. collectionis Poetarum Italorum editae a Sancte Franchio Florent. 1719.*

Digitized by Google

Solitus enim erat dicere valetudinem conservari notitia sui corporis, & experientia earum rerum, quae obesse & prodesse possunt. Multa erat in homine jucunditas, & magnus in jocando lepos, nec sane dubitare possumus, quin hilaritas illa sua & suavitas plurimum conduxerit ad propagandam vitam, quam Pisis amisit an. 1584.

Prorsus ignoramus qualis quantusque vir fuerit Petrus Capellus Florentinus, qui cum per annum tantummodo operam Academiae tribuisset, ei profecto non multum debemus. Posita in illustri & excelso loco videtur doctrina Maximi Aquilanii Pisani, quod idoneus judicatus est, qui praeesset primum matheseos, postea medicinae scholis. Sex usque linguarum peritus ille fuisse dicitur, tantaque memoria, ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis iisdem redderet. Latine scripsit de origine, natura & generibus pepionum, quae Italica fecit Philippus Valorius, atque Florentiae edidit an. 1602. Qua mente commotus Academiam reliquerit, conjectura sciri non potuit. Aulam fortasse cogitavit, & quidem erat in Lusitania cum Petro Mediceo an. 1580. de quo aegrotante litteras misit ad Magnum Ducem, quae extant in tabulario Mediceo (1). Ejus civis & collega Vincentius Ferrinius, cum per octo annos in ipsa Academia permansisset, constantius se gessit, & quamvis illi doctrina inferior esset, diligentia tamen ipsum superasse videtur. Anno 1557. competitorem habuit Dominicum e Camajore, cum quo certare minime erat gloriosum. Ferrinio autem parem ponimus Raphaelem Orsilagum, ipsum quoque Pisis nobilique genere natum, qui multa in patriam merita habuit, mediocria vero in Academiam, in qua per triennium tantummodo docuit. Famam ab hac consecuti esse videntur Bernardinus Paternus Salodiensis, & Dominicus Bertacchius e Campo Reggiano. Huic valetudinem suam tuen-

---

(1) *De eo haec Dempsterus in* Etrur. Reg. Vol. II. p. 273. Medicinae diu in Belgio Professor, mox in Indicam expeditionem Regis Catholici profectus an. 1579.

dam commisit Alphonsus II. Dux Ferrariae, qua in urbe obiit an. 1596. (1), ille autem cum a nobis an. 1558. discessisset, primum Montis Regalis Academiae, Ticinensi deinde, ac postremo Patavinae operam suam locavit.

In hac ipsa Academia, in qua adolescens institutus fuerat, cum vix attigisset vigesimum aetatis annum, metaphysicam docuerat vices gerens Jacobini Bargii Minoritae, qui ab ea ad breve tempus negotiorum suae familiae caussa abesse coactus fuerat. Septennio autem post praefuit cathedrae medicinae theoricae, ex qua ad nos venit non sine spe redeundi Patavium, postquam aliarum Academiarum stipendia meruisset. Inter haec Francisci Venerii Veronensium Praetoris, cui longe ante alios erat carissimus, commendatione in illorum civitatem adscriptus fuit, quod beneficium aliis etiam honoribus cumularunt. Tum quidem deliberavit aras & focos in Venetorum ditione collocare, a quo proposito minime abducere illum potuerunt liberalissimae conditiones, quibus a Poloniae rege invitabatur, ut apud se Archiater diversaretur. Erat quidem libentissime Patavii propter amplitudinem tum stipendii (istud enim pervenerat ad MCC. florenos) tum loci, cum primam sedem inter theoreticae medicinae magistros occuparet, ac demum propter studium singulare, quod erga se significabant Triumviri litterarii. Ea in urbe vitae cursum explevit an. 1592. V. Kalend. Februarii, fecitque, ut vere dictum videatur, diligentia & studio in erudiendis medicinae cultoribus qua voce, qua scriptis (2) cum sum-

M m 2

---

(1) Borsett. Hist. Gymn. Ferrar. *Vulgavit Venetiis apud Bernardum Junctam an.* 1584. in 4. de Spiritibus lib. IV. nec non de facultate vitali lib. III.

(2) *Haec Paternus edidit*. Explicationes in primam partem Canonis Avicennae. Tractatus de humorum purgatione in morborum initiis tentanda.

Tractatus, quo probatur coenam ubcriorem esse debere prandio, etiam in catarrho.

Digitized by Google

mis hujus artis praeceptoribus eumdem contendere potuisse. Prima fronte derisisses hominem distortis incurvisque humeris, & illiberali facie, cum vero ejus animum apertum & simplicem, ingenium acutum, & mores suavissimos novisses, non solum amore, sed etiam admiratione dignum existimasses.

Talem quoque fuisse virum omnes judicarunt Joannem Baptistam Mutium e Podio Bonitii, quasi in eo summa essent omnia tum ad faciendam, tum ad docendam medicinam. Is natus est eo in oppido, honestissima quidem familia, patre autem Petro, matre Birgitta Santuccia an. 1508. Cum coleret ipse & observaret tanquam patronum suum Laelium Taurellium, hujus commendatione facile obtinuit locum in Academia nostra, in qua medicinam primum, deinde philosophiam, atque iterum medicinam docuit. Quaedam de urinis exaravit, & opus quoque emisit, quod inscribitur *Questioni medicinali*, cum hoc sibi praesertim proposuisset conciliare inter se Aristotelis & Galeni sententias de animi humani facultatibus in eo, quod ad morbos & medicinam pertinet. Quoniam id oneris ab hominibus illius aetatis, & ab adolescentium studiis sibi imponi intelligebat, ut ne latum quidem unguem ab Aristotele discederet, *de generatione & ortu hominis, & de incremento & decremento viventium corporum* ea litteris mandavit, quae declarant consuevisse medicos & philosophos Peripateticorum auctoritate deceptos ea sumere pro certis atque concessis, quae dubia, & interdum etiam a vero aliena erant, quaeque nil minus efficiebant, quam quod volebant. Quae caussa illum impedierit, ne haec vulgaret, quae jam nuncupare decreverat Magno Duci Fran–

Consilia medica varia inter consilia Laurentii Scholtzii.

Consilium de Balneis Aquensibus ad Ferdinandum Gonzagam.

Quantum his scriptis tribuendum sit, statues ipse, & , ut reor, statues ex illorum temporum more.

Digitized by Google

cisco I. prorsus ignoro (1). Ceterum laudi dandum est Mutio, quod si eadem fere, quae ceteri illius aetatis medici peccavit, non sic juravit tamen in omnia Aristotelis atque Galeni dicta, quin libertate interdum usus sit in philosophando, cujus rei ab ipso testimonium sumimus. In iis enim, quos Italicos fecit, dialogis de sui ipsius cognitione (& fecisse videtur postquam an. 1580. de turba & a subselliis in otium & patriae solitudinem se contulerat) sic de studiis suis loquitur, ut irrideat eos, qui sibi praeciderant omnem judicandi libertatem (2). Quoniam horum dialogorum mentio a nobis facta est, non tacendum videtur, ex iis conjici posse non omnis expertem elegantiae fuisse Mutium, neque mediocriter in humanioribus litteris fuisse versatum, & si interdnm nimium loquax tibi videbitur, multa & minuta colligens de corporis sensibus, & animi facultatibus, quae antea in libro *medicinalium quaestionum* tetigerat, memineris illius Ciceronis dicti, senectutem esse natura loquociorem. Dum totus

(1) *Extant illa in Magliabechiana bibliotheca*.

(2) *Personam induens Jo. Baptistae Strozzii haec ait in principio libri*. Io udii già dal Muzio in Pisa l'arte medicinale di Galeno, la quale egli nello Studio interpretava pubblicamente, e avegnachè egli come medico paresse che tenuto fosse a aderir a Galeno, nondimeno nelle dispute, che occorron dell'anima e delle sue potenze egli or faceva determinazioni in favor di Galeno, ora d'Aristotele secondo che le ragioni e l'esperienze più questa che quella parte ad approvare lo persuadevano, parendogli (com'esso affermava) stoltizia che gli uomini a guisa di Giudici da premj o da speranze corrotti determinassero contro al vero quello che da essi per vero fosse tenuto. *Paullo post loquentem inducens Sebastianum Medicum ait*. Io ho veduto alcune cose del Muzio, e specialmente le Questioni medicinali, e un Trattato ch'egli fa dell'orine, e piacemi se non per altro, almen per questo (forse perchè è conforme al mio genio) che libero mi pare da ogni parzialità, che questo verso finalmente mi pare il vero modo di filosofare.

Digitized by Google

erat occupatus in paranda hujus operis editione, septimo & septuagesimo anno mortem obiit, sed ejus votis satisfecit Laurentius Jacobinius, qui illud ipsum opus an. 1595. Florentiae vulgavit, & Christinae Lotharingiae Ferdinandi I. uxori, cui acceptissimus fuerat Mutius, nuncupavit.

Si artis erat nosse veterum medicorum sententias, illa quidem minime caruit Franciscus Violus Florentinus, qui per sexennium practicam docuit medicinam una cum Thoma Cornacchinio, de quo supra mentionem fecimus. An. 1567. successit in Violi locum Andreas Caesalpinus, qui sane is medicus erat, cui vel maxime concederent omnes. Dolendum vero, quod id temporis liquerit Academiam (1), cum retinendus erat. Omnes enim clamabant magnam inopiam esse optimorum medicorum. Nihil amplius addam ad eas laudes, quas de eo alibi praedicavimus. Nescio quam bene pro tanti viri dignitate, sed ita accurate, ut potuimus. Nunc de Hieronymo Vectio Pistorii nobili genere nato dicendum est, sed paucis, quamvis per viginti trium

---

(1) *Non ab re erit binas ejus litteras hoc loco referre, ex quibus cognosci poterit bona cum Principis venia illum ab Academia discessisse.*

Serenissimo Gran Duca.

Confidatomi nella gran benignità di V. A. S. inverso e suoi fedeli servitori, ho preso ardire di supplicarla con questa a concedermi una gratia. Io ho un sol figliolo d'età di 21. anno detto Giovambatista: & io che mi ritrovo in Roma in questa vecchiezza per esortatione di V. A S. a servire N. S. Papa Clemente VIII alla lettura di Medicina, desidero lassar mio figliolo con qualche honorato legame astretto a servire V. A. S. applicandolo alla Religione dei Cavalieri Militi di S. Stefano: Et perchè non mi è lecito ottener questo per provanza di nobiltà de miei, ricorro a quella con ogni humiltà, acciò me lo conceda per gratia; ricordandoli che tutto quello che io so, se niente di buono è in me, ri-

annorum spatium operam suam Academiae tribuerit. Etenim se haud sejunxit a turba illa medicorum, qui in Galenicis, & Arabum, Peripateticorumque quaestionibus agitandis toti occupabantur, quae dum fuerunt excussae, non solum inanissimae prudentiae repertae fuerunt, sed etiam fallaciae & stultitiae plenissimae. Sed si perverso judicio vidit quae sunt in medicina, saeculi vitia declinasse videtur in Italicis car-

---

conosco dalla liberalità di V. A. S. & de suoi antecessori, & così desidero seguiti ne miei descendenti, quali insieme con me sempre pregheranno Iddio per la conservatione di cotesto felicissimo Stato. Di Roma el dì 3. di Novemb. 1595.

Di V. A. S.

Subdito & Fedelissimo Servitore
Andrea Cesalpino.

Serenissimo Gran Duca.

Se la perpetua servitù fedele dà animo di ricercare qualche guiderdone, io che da piccolo ho sempre servito, cominciando dal Gran Duca Cosmo infino a hora, che a esortatione di V. A. S. venni a servire Papa Clemente VIII. come ella sa: Humilissimamente gli adimando ona Croce dei Cav. Militi di S. Stefano per Giovambatista mio unico figliolo acciò havendo a pigliar moglie, possa ottenere qualche entrata ecclesiastica da N. S. & servire in perpetuo V. A. S. Et se perciò bisogni far commenda; io gli offero la mia casa in Pisa di valsuta più di 2000. scudi. E di tal gratia tutti resteremo obligati a pregar Iddio per la conservatione del suo felicissimo Stato. Di Roma el dì 17. di Maggio 1596.

Di V. A. S.

Subdito & humilissimo Servitore
Andrea Cesalpino.

Digitized by Google

minibus scribendis, quorum nonnulla extant apud Bernardinum Vitonium Pistoriensem, ex quibus de ceteris conjici licet. Ex ejus testamento, quo heredem fecit Petrum Antonium fratrem, poetam & ipsum, & litteris eruditum, liquet ad annum usque 1633. vitam eumdem produxisse, neque mediocria emolumenta ex professione medicinae fecisse.

Ex una Angeliorum familia multi, ut diximus alias, prodierunt, qui quamvis diversa professi, in ea, quam exercuerunt arte, ceteris praestitisse videntur. Fuit quidem talis medicus Julius, ut cum exacuisset ingenii aciem ad deligenda certiora praecepta, & prudentissimus homo, & experiens haberetur. Innumeras pene ejus litteras legi ad Ferdinandum I., quibus eum certiorem facit de statu liberorum & uxoris (Aulae enim Archiater erat) & cum exponit quae adhibuerit remedia ad sananda aegra corpora, quae sunt simplicia illum praesertim adamasse patet. Magnam illi quidem fidem habebat Ferdinandus non tam propter hominis eximiam doctrinam, quam propter mores honestissimos. Quod ad Academiam vero nostram pertinet, in ea Julius logicam docere coepit an. 1563. & quatuordecim post annos theoricae medicinae cathedrae praeesse. Anno autem 1591. quando Ferdinandus ejus opera jam utebatur, decrevit, ut ipse ad Lyceum per illud tantummodo tempus accederet, quo Pisis Aula erat, sine ullo detrimento stipendii, quod tum erat D. & amplius centussium. Post hunc annum, & eum, qui consecutus est, non amplius apparet ejusdem nomen in albo Doctorum, quod ea de caussa accidisse puto, ut levior fieret labor, quem quotidie sustinebat, dum non solum saluti, quemadmodum medici, sed etiam viribus Principum, ut aliptae, consulebat. Miror autem hominem, qui in maxima gratia erat apud omnes, & praesertim apud Ferdinandum, Etruriam deseruisse, ut florentiorem fortunam Romae quaereret. Ibi quidem publice medicinam docuit, praefuit valetudini S. P. Clementis VIII. & praefecturam gessit Nosocomii S. Spiritus, quo in loco sepultus fuit, cum mortem obiisset v. Id. Septembris 1602. De eo nonnulla tetigit Cajeta-

Digitized by Google

tanus Marinius (1), quem saepius ac libenter nomino, ut omnes intelligant virum egregium mihi conjunctissimum esse benevolentia, officiis, usu, consuetudine. Ceterum non defuerunt, qui Angelio tribuerunt laudem singularis bonitatis & eximiae prudentiae atque doctrinae (2) propter quas virtutes cum magnam adeptus esset gloriam, fortasse eam etiam majorem visum iri putavit, si in existimantium arbitrium sua scripta (nulla enim, quod sciam, extant) minime venissent.

Iisdem temporibus valde probatus fuit medicus Andreas Camutius Mediolanensis, Francisci illustris (3) medici Filius, qui & ingenio valuit & studio, & ad medicinam adjunxit philosophiae scientiam. Cum de se scriberet disputans cum Hieronymo Borrio de honoratiori loco obtinendo, confidentissime ait nomen suum minime obscurum esse, Principibus se placuisse viris (4), in celebrioribus Europae Academiis competitores habuisse illustriores suae aetatis medicos, neminique inferiorem judicatum fuisse, & summos honores sine ulla commendatione obtinuisse. Porro, quam de se habuit, opinio firma & stabilis inventa est, cum a Magno Etruriae Duce assignatum illi stipendium fuerit M. usque centussium, & titulus Supraordinarii magistri (5), quo

(1) Degli Archiatri Pontificii p. 481.

(2) *Antonius Persius*. Trattato del bever caldo: Venezia 1593.

(3) *Huic profecto patria fuit Luganum Comensis Dioecesis oppidum.*

(4) *Argelatus affirmavit eum Maximiliani II. Caesaris fuisse protophysicum & a consiliis medicis ab an. 1564. ad an. 1578., & ad promerendam sibi magis magisque illius gratiam eidem nuncupasse libros IX.* de Amore atque Felicitate, *editos* Viennae Austriae an. 1574. in fol. *Extat liber illius Florentiae an. 1578. editus, qui inscribitur:* Excursio brevis praecipui morbi, nempe Cordis palpitationis, Maximiliani II. *quem laudat Astrucius.*

(5) *Haec non sine invidia collegarum fuerunt. Sic enim ad Magnum Ducem*

beneficio usus est per decennium. Nam an. 1557. Mediolanum, ubi in prima aetate educatus fuerat, rediisse videtur, qua in urbe non multos post annos vitae extremum diem morte confecit. Plurimorum scriptorum auctor fuisse traditur ab Argelato, e quibus si excipias ea, quae adversus Hieronymum Cardanum exaravit pro defensione Galeni, quaeque edidit Ticini an. 1563. mitteus illa ad Danielem Barbarum Patriarcham Aquilejensem, nulla ad medicinam pertinent. Filium habuit Eugenium Bobiensium Antistitem, doctum sane virum, quem in iniquissimo casu, quo afflictus jacuit, sublevavit Ferdinandi I. benignitas (1). Cave vero existimes homines illos, qui honori invidarunt

---

scripsit Camutius ipse. Non posso mancare di avvisare V. A. qualmente una parte de' Dottori collegati per sviarmi la scuola a fine di persuadere, che la lettura mia nello Studio sia inutile, non solo danno denari e libri a scolari, e gli leggono letioni private io casa nell' hora propria, nella quale soglio leggere, & ciò per disturbarli, che non ci vengano· dico non solo fanno coteste cose, ma etiandio dua di loro nelle loro pubbliche letioni sparlano di me vituperosamente con dirgli, ch' io sono ignorante, & che per modo alcuno non mi vengano ad udire. Di più la settimana passata mentre leggevo furono tirate due pietre nella scola per la finestra, quale guarda dirimpetto la cattedra, & ciò è accaduto per due giorni alla fila. Chi l' abbia fatto, o fatto fare non lo so. Ma so bene questo, che da pochi giorni prima fu detto da uno Dottore dello Studio in presentia del Rettore che dovevo aver di gratia a vivere. Laonde supplico V. A. si degni difendermi da chi mi vuole fare ingiuria, e castigare me in caso ch'io facci cosa indegda di un uomo dabbene. E gli mando le mie allegationi (contro il Borro) quali reputo che siano state causa dell' odio maggiore.

Di Pisa 8. Decemb. 1578.

(1) *De eo cum scriberet Eugenius ipse ad Summum Pontificem haec ait*.

Beatissimo Padre.

Essendo io stato assaltato nella città di Bobio del stato di Milano, della

Digitized by Google

Camutii, efficere potuiſſe, ut is minori in pretio a Ferdinando haberetur, ad quem cum ſcriberet, inquit: *eniti debemus, quo minus inimicorum tela perveniunt, eodem gloriam famamque noſtri penetrare.*

Laudemus etiam Joſephum Capannolum Piſanum civem, quoniam nec philoſophia, nec medicina, ipſo doctore, laude caruerunt. Is fuit mediocris in dicendo, acutus, autem in diſputando, & ſatis prudens in curandis aegrotis. Monumentum habuit a Fratre in S. Nicolai Aede, in quo haec poſita fuit inſcriptio.

quale io ſono Veſcovo indegnamente, già un meſe fa di notte da banditi, quali potevano eſſere circa 150. ſecondo il giuditio comune da chi vide & udì il fracaſſo; dove ricuſando io di aprir l'uſcio della mia camera, mi ſpararno dua archibugiate, delle quali l'una mi paſsò vicino all'orecchia dritta: dico havendomi detti banditi ſpogliato di quanto havea, & con difficultà con preghi & voti fatti alla Vergine glorioſa di Loreto laſſatomi la vita, lo giorno ſeguente con danari tolti d'amici in preſtito mi ſono inviato ſenza far motto ad alcuno a Piſa, dove mio Padre legge al ſervitio del Sereniſſimo Gran Duca di Toscana; & ciò ho fatto per poter d'indi con l'ajuto di detto mio Padre (perciò ch'ero come nudo per modo di dire) inviarmi alli piedi di Voſtra Santità. Ma conſiderando ch'il ſoccorſo della mia calamità non potea farſi sì preſto & così prontamente farſi, come la neceſſità lo ricerca; & non poſſendo ſuddetto mio Padre per lo carico de molti figlioli trattenermi in Roma, come ſi conviene, benchè ſtrettamente, ho giudicato ſupplicare, come di preſente faccio, humilmente Voſtra Beatitudine che ſi degni per pietà ſoccorrere alla preſente mia neceſſità: & non poſſendo eſſa di preſente provvedermi d'altro Veſcovado o di qualche penſione, almeno ſi vaglia di me in qualche governo, ne' quali io ſono eſercitato ſino dalla gioventù mia fino dal tempo di Pio IV. felice memoria, come il Cardinale S. Giorgio ne può far teſtimonianza: ne' quali governi ſervirò con ogni diligenza la Santità Voſtra & manterrò me ſteſſo con honeſto trattenimento, aſpettando dalla divina bontà che dia a Voſtra Beati-

JOSEPHO CAPANNOLO FRANCISCI F.

MEDICO PERITISSIMO

SEPTIMO SUPRA VIGESIMUM ANNUM IN PATRIA

LOGICAM PHILOSOPHIAM EXTRAORD. PRAXIN ORD.

VIRO SUAE CIVITATIS PRIMO

SUMMA CUM LAUDE AC PIETATE PROFESSO

LABORUM FRUCTU APUD SUPEROS

JAM FRUENTI

JO. BAPTISTA FR. MOESTISSIMUS P.

AN. D. MDLXXXXVIII.

VIXIT AN. LV.

---

tudine megliore occasione, alla quale humilmente con ogni riverenza bacio li piedi con affetto, desiderandogli da Dio lunga vita per beneficio della Repubblica Christiana.

Di Vostra Santità 14. Giugno 1581.

Humilissimo Servitore
Eugenio Camutio Vescovo di Bobio.

Digitized by Google

Nihil habeo quod dicam de Paullo Tonso Mediolanensi, qui per quadriennium tenuissima mercede medicinam docuit, quare properabo ad Rodricum Fonsecam Lusitanum, de cujus ingenio ac doctrina minime obscurum est testimonium eorum, qui res Academiae curabant. Hoc unum ei vitio vertebant, quod nimium temporis concederet mercaturae faciendae, & quod nimis magnam cupiditatem haberet pecuniae cogendae. Ea propter nunquam cessavit efflagitare, ut adderetur aliquid ad stipendium, quod sibi pendebatur (pervenerat istud ad D. & amplius centusses) praesertim cum in spem adductus fuisset se posse utilius operam suam Academiae Patavinae locare. Venerat ipse ad nos an. 1575. Logices Praeceptor, & novem post annos, cum patefecisset omnibus se nunquam intermisisse studia medicinae, nullumque genus disputationis in hac facultate a se alienum esse, ejus docendae onus suscepit. Persevaravit in eo ad annum usque 1615. quo ad Patavinos transiit, nec sedis mutationem fecisset, si faciliores ac patientiores invenisset Academiae nostrae Praefectos in ejus precibus ac querelis omnibus audiendis (1). Is plurimorum librorum au-

---

Sereoissimo Granduca

(1) Il Dottor Roderico Fonseca humile Servo di V. A. S. li spone, come egli è hoggi il più antico Dottore dello Studio di Pisa, & così precede a tutti sia per antiquità di Dottorato, o sia per più aoni di lettura, havendo letto trentasei anni in detto Studio, & venti circa di quelli la theorica di medicina in primo luogo, o sia per haver stampato libri, avendo mandato alla stampa sette opere, & havendone da mandare dell' altre. Però parendoli meritar di esser honorato da V. A. S. di nuova dignità, la supplica se voglia degnare farli gratia che egli legga la medicina in detto Studio la seconda hora della mattina solo senza che altri medici, nè filosofi leggano detta hora, & senza concorrenza, nè obbligo di circulare, ma con titolo di Sopraordinario da cominciare a leggere di presente. Et circa l' augumento di salario, detto supplicante cominciò a leg-

ctor fuit, qui nunc ferme evanuerunt; ex iis tamen intelligi potest minime caruisse ipsum doctrina, eruditione, addam etiam elegantia, quae plurimum ad scholae dignitatem tuendam plurimum conducebat.

---

gere con dugento Scudi, & in trentasei anni di lettura, non ha havuto più di augumento di dugento & diece Scudi, di modo che tutto il salario, che hoggi ha, non passa ducati quattro cento & diece. Però spera dalla molta benignità di V. A. S. sarà con detta dignità accresciutoli il salario, come le lunghe & continue fatighe del supplicante meritano, le grosse spese, che tiene acciò non sia necessitato lasciar il servitio di V A. S. ricusando egli d'andare a Padova donde tuttavia vien sollecitato con doppio salario di quel che ha in Pisa, & havendo lui ricusato andar con il Sig. Duca di Ussuna Vice-Rè di Sicilia per suo medico con molte istantie & promesse solo per servir V. A. S. dalla cui benignità confida & spera maggiori emolumenti & favori, che il Signor l'esalti & feliciti.

Serenissimo Gran Duca.

Il Dottore Roderico Fonseca supplica V. A. di essere honorato del titolo di Sopraordinario di medicina con leggere alla seconda hora della mattina senza concorrenti, essere esente dal circolare, e havere qualche accrescimento di stipendio. Egli cominciò a leggere l'anno 1575. Logica, e seguì l'anno seguente 1576. con provvisione di Scudi 40. L'anno 1581. fu ei condotto a leggere Estraordinaria di Filosofia, fino al 1584. che fu promosso all'ordinaria di medicina, nella qual lettura và continuando; & con l'aumento, che hebbe l'anno passato, di 40. Sc. ha di provvisione in tutto di Sc. 410. E' Dottore per età, per pratica, e per lettura anteriore ad ogni altro di questo Studio, ha stampate più opere, & è huomo di grande ingegno, e gran disputante: è celebre nella sua professione, nella quale si sarebbe molto più avanzato appresso la stima degli huomini, se l'attendere alla mercatura non l'avesse tenuto meno volto alla Cattedra, alla quale, quando fosse compiaciuto, mostra di volersi dar tutto. L'anno passato con buona grazia di V. A. trattò di esser condotto a Padova; poi fece risolutione di

De febribus praesertim egit, caussas & remedia inquirens, & quod multo est turpius medico nocuisse videri aegrotis, quam non profuisse, quid in earum curationibus cavendum esset satis prudenter indicavit (1). Vereor autem ne quis eum leviorem, & nimis credulum

---

continuar qui nella Lettura. In questo Studio dal 1566. per tutto l'anno 1586. vi fu nella seconda hora per Sopraordinario successivamente il Dot. Guido Guidi da Pescia, Michele Angelo Angeli da Barga, Bartolomeo Gatteschi Fiorentino, e Andrea Camutio Milanese. Vacò poi questo luogo sino al 1592. che fu condotto il Dot. Mercuriale. Quando il Dot. Fonseca si promovesse a detta lettura e si assentasse dal circolo, restarebbe il Dottore Cartegni da Bagnone suo concorrente di 12. anni, e 13. che legge, senza compagno, e perciò bisognerebbe provvedere d'altro lettore di qualche Studio, come si troverebbe, ma con provvisione non ordinaria. Per altri tempi sono stati ancora tre ordinarj teorici: e il moltiplicare in questa professione sarebbe di giovamento allo Studio. Quello, che si risolvesse del D. Fonseca, sarebbe forse a proposito fermarlo per più anni, perchè non venga ogni anno a far nuove domande. Tutto è riposto nella prudentissima deliberazione di V. A. alla quale facendo devotissima rivereoza.

Di Pisa 3. Gennajo 1610.

Umilissimo e Devotissimo Servitore
Arturo d'Elci Provveditore.

(1) *Methodus curandarum febrium* cum iis, quae hac de re tradidit Leonardus Jacchinius Emporiensis: Pisis an. 1615.
Tractatus de febrium acutarum & pestilentium remediis &c. Patavii 1678.
Opusculum quo adolescentes ad medicinam capessendam instruuntur, casus omnium febrium methodice discutiuntur & curantur &c. adduntur consultationes aliquot, & modus demonstratur curandi capitis vulnera sine apertione. Florentiae 1596. in 4.

putet in quibusdam proponendis remediis, quae experientia minime confirmavit. Ceterum Hippocraticae medicinae, hoc est verioris, ille studiosus fuit, & Hippocratem maxime secutus est, cum de calculorum remediis libros duos Sixto V. S. P. dicatos vulgasset, copiosis commentariis (1) ejusdem aphorismos & prognostica illustrasset, & perfecti medici naturam explicasset, edito in hanc rem libro Romae an. 1586. quem Ferdinando Mediceo tum Cardinali nuncupavit: Testis est Papadopolus eumdem tum Patavii docendo, tum Venetiis exercendo medicinam feliciter provexisse ad annum usque 1622. quo e vita migravit, neque profecto facile illa aetate invenisses medicum, quem Fonsecae anteponendum putasses.

In eodem numero Lusitanorum magistrorum, sed non ejusdem aetatis, fuere Damianus Diaz, & Gabriel Fonseca. Multi, ut alibi quoque commemoravimus, ex Lusitania ad nos venerunt juris prudentiae, philosophiae & medicinae praeceptores, qui doctrina & acumine ingenii valebant. Sed in alia lingua & moribus nati non admodum frequentabantur a discipulis, ac saepe occasionem dabant eorum reprehendendi inconstantiam. Graecis eos facile assimilasses, quorum fides semper suspecta fuit, & qui cum omnes pecuniae vias nossent, omnia pecuniae caussa faciebant. Ille prior an. 1564. docere coepit, & an. 1583. ab extraordinaria medicinae cathedra ad ordinariam ascendit cum mercede CC. centussium. Anno demum 1609. cum illi pende-

(1) *Edita haec fuerunt*. Florentiae 1591. & alibi in 4. *His Fonsecae operibus adde* consultationum medicinalium Vol. II. in fol. Venet. 1628. libellum de hominis excrementis, de tuenda valetudine & producenda vita librum singularem, de morbis Virginum, qui intra clausuram nequeunt curari, nec non confutationes medicas, quibus accedunt de confutandi ratione, & breve compendium & consultatio de Plica Polonica.

derentur CCCLXX. centusses, vacationem a suo munere obtinuit & mercedis dimidiam partem, neque multo post e vita excessit, cum esset jam aetate decrepitus. Claruit magis Fonseca, in disputationibus vehemens, acer, acerbus, verbis nec inops, nec abjectus, & quem plane philosophum & medicum, si tempora spectes, dicere auderes. Extat opus illius, quod *medici oeconomia* inscribitur, Romae an. 1623. vulgatum, ex eoque scimus medicinam Romae eundem exercuisse, & Borgiae Cardinalis opera, cui illud nuncupatur, Hispaniarum Regis medicum declaratum fuisse.

Nemo profecto dubitabit singularis omnino fuisse ingenii Joannem Talentonium Fivizani, quod est Etruriae oppidum, an. 1542. natum, cujus extat epistola ad Ferdinandum I. (1), in qua ea de se confi-

Serenissimo & unico mio Signore

(1) Quantonque, havuto risguardo all' A. V., e bassezza mia, io non dovrei havere ardimento di comparirle avanti, per intercomperla dall'altezza de' suoi pensieri; l' havermi però visto, subito gionto in Pisa, degradato dalla mia lezzion di Medicina Prattica ordinaria sol novo Ruolo, e ritornato addietro a legger logica: & il sapere e per pobblico grido, e per information d' huomini di pregio, ch'ella ha con tanta sua grandezza congionto singolar bontade, somma amorevolezza, e vera carità Cristiana verso tutti, e principalmente verso i sudditi e servitori suoi fedelissimi, come son'io, sono stati cagione, che, deposto ogni rispetto, mi son risoluto di scriverne a V. A. S., e supplicarla per le viscere di Gesù Cristo, che, se mi ha tolto detta lezzione per util mio, si degni di rendermela, e non comporti, che resti così gravemente offeso nell' honore un suo vassallo, huomo d'anni 46., che tanto ha honorato questo Studio per spatio d'anni XIII. che (absit invidia verbo) i più famosi Predicatori l' hanno su' Pulpiti chiamato splendor di questo Studio, e molti dei maggiori letterati l' hanno pubblicato, come pubblicamente si sà, per

dentissime praedicat, vel potius narrat, ut multum omnibus gloria praestitisse videatur. De eo solitus erat dicere Jacobus Mazonius, ta-

---

lancia forbita, per lancia senza intoppo, per lancia senza pari, per primo catedrante, primo disputante, e finalmente per principalissimo campione del detto Studio. Se V. A. S. l'ha fatto per util dello Studio, si degni almeno d'haver qualche risguardo all' honor mio, col darmi almeno titolo di Sopraordinario: che se 'l Serenissimo Gran Duca Francesco suo fratello, e mio singolarissimo Signore di gloriosa memoria, ai quattro anni della mia servitù nella lettura della logica mi fece esente da circoli, quantunque ci fussero altri soggetti eccellenti, e che haveano servito altrove, con dir, *sia esente da Circoli, per non ci essere huomo di paragone;* & alli XI. anni mi diede la detta lezzion di Medicina, ed accrescimento di Scudi 65., messi da parte molti altri da infiniti Signori favoriti e raccomandati (il che fù cagione, ch' io refiutai tre anni sono la lettura della Filosofia Morale Greca di Milano con provision di Scudi 500.; e due altre poi di non minore utile, & honore in altri luoghi, che pubblicar non posso, nè debbo) non vuol già hora il dover, ch' ella mi degradi hora di quella ordinaria di medicina, e mi ritorni (facendomi, come si dice per proverbio, descendere ab Equis ad Asinos) alla logica a circolar con fanciulli. Di questo gratiandomi V. A. S., come io spero, e la supplico con ogni riverenza & affetto, mi farà conoscere, che habbi cara la servitù mia, e conseguentemente mi farà andare innanzi con la servitù, come desidero, con quella caldezza, che ho mostrato fin' hora, con che fò fine, pregandole dal Signore Iddio continua esaltatione, & humilmente inchinandomele sino in terra.

Di Pisa alli XXVI. d' Ottobre MDLXXXVIII.

Di V. A. S.

Humiliss. e Fideliss. Vassallo e Servitore
Giovanni Talentoni.

lem esse virum, *qui omnifariam eruditionem cum solida doctrina ita conjunxit, ut saepius summa me admiratio capiat, quomodo utrique rei tam absolute operam suam impendere potuerit* (1). Non facile quidem hominem invenisses, quem cum Mazonio ipso comparasses ob praestantiam ingenii, varietatemque doctrinae, quare minime est mirandum si summa inter eos conjunctio fuerit. Vel dialecticam docens, in quo munere perseveravit per tredecim usque annos, & ad quod redire coactus fuit an. 1568., postquam per biennium practicae medicinae studiosis consuluerat (2), tantam sibi famam com-

(1) De Comparat. Platonis & Aristotelis p. 104.

Serenissimo Gran Duca unico mio Signore

(2) Fra il desiderio mio di servire V. A. S. nella lettura della Medicina ordinaria o Pratica, o Theorica, nella qual ho fatto quelle fatiche, che 'l Mondo vedrà infra pochi mesi: ma visto da una parte, che l' intento suo era, ch' io la servissi nella lettura della logica, e dall' altra qualche detrimento dell' utile, & honor mio, giudicai col parer del Sig. Concino e d' altri di poter sodisfare a lei con minor danno mio, chiedendo il sopraordinario di detta lettura, dandomi ad intendere, ch' io fussi per ottenerlo facilmente e per l' utile dello Studio (poichè si sarebbero dichiarate molte belle cose, oltra le ordinarie, e si dava occasione a novelli, e poco pratici ordinarij di detta lettura d' udirci, e fondarsi) e per esser già stato in uso di questo Studio al tempo del Remigio, e di quel di Padoa, al tempo del Tomitano, e d' altri. Ma veggendo hora, ch' ella mossa dall' infinita sua benignitade, da luogo nel sapientissimo suo petto insieme col pelago d' altri altissimi suoi pensieri al pensier della bassezza mia, e non si sdegna di favorirmi in farmi saper con una sua tanto amorevol lettera, ch' io le farò cosa grata à seguir per hora di leggere l' ordinario di detta lettura, come fidelissimo e devotissimo suo vassallo, e

paraverat, ut vel absentibus notus esset. Pertaesus demum acuminum, captionumque Dialecticorum an. 1594. Academiam deseruit, quaerens de sorte sua, quod altius emergere nunquam potuerit, quamvis doctrina, & ingenii vi nemini concederet. Sed is, cum nesciret patientia mollire invidorum animos, & frenum linguae injicere, fecit ut vere dictum videatur, sui cuique mores fingunt fortunam. Post id Parmae & Ticini magnis praemiis philosophiam & medicinam docuit,

---

servitore, posto da parte ogni mio interesse, volentierissimamente e gongolando m'offero prontissimo non solo à leggere detta lettione, e qualsivoglia altra più inferiore, che le sia a grado, con la caldezza mia ordinaria e maggiore, ma ancora a spendere non dirò la robba (poichè quella hò già speso nella servitù di tant'anni in questo suo Studio) ma si bene l'istessa vita in suo servigio. La supplico ben però che si degni per sua pietà d'aggiungere al sovradetto pensiero ancor questo, che se questi anni a dietro gli emuli miei per fuggire la concorrenza mia si sforzavano di dare ad intendere, ch'io non fussi per sodisfare a gli ordinarij di Medicina, per haver servito solamente più anni in logica, egli fu tanto creduto dal Sig. Horatio del Monte nell'entrare al governo della fortezza di questa Cittade, che mi levò dalla Cura di medicare in essa senza occasione, e da Monsig. Cappone l'anno passato, che non voleva, ch'io fussi Medico, e godessi privilegio di Medico, servendo in detta lettura ancora pochi più anni, essendo d'età d'anni 48. verrà a scemar in me quel poco vigor d'ingegno, e di memoria, che mi resta, & che doverei hora spendere in far il corso degli detti ordinarij di Medicina, e conseguentemente verrò a rischio d'esser tenuto inhabile a leggere e logica, e detti ordinarij, e finalmente d'havermi a ridurre licentiato à morirmi di fame con un piccolo figliuolo, che già sento Horatio, che m'intona nelle orecchie

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat,

Digitized by Google

quas facultates scriptis quoque suis illustrandas suscepit. Opus, quod anno 1605. Francofurti emisit cum hoc titulo: *Variarum & reconditarum rerum Thesaurus* (1), tam lautam quidem copiam rerum, quae iis temporibus magnae, reconditae & mirabiles prorsus aestimabantur, continet, ut ei ignoscendum videatur, si non modo securo, sed etiam elato animo ad scholam, & ad scholasticos circulos accedebat. Alia minora in vulgus edidit, neque, ut plerique illius aetatis philosophi, tantummodo sua legebat, sua amabat, sed etiam in interpretandis alienis scriptis haud mediocrem operam posuit. Mediolani anno 1597. quando primam inter Ticinenses philosophos sedem occupabat, disputationem *de admiratione*, locum quemdam Dantis interpretans, vulgavit, & multa quoque scripto mandavit ad illustranda Petrarchae carmina, quae propter acumen & eruditionem commendantur. Dum enim quaerebat vim earum rerum, quae insunt in omni mundo cum magno usu & commoditate generis humani, respiciebat saepe ad poesin, quam ad afferendam negotiis & curis hominum oblectationem & levamen inventam esse ajebat. Vir de litteris sane o-

---

con che faccio fine con ogni riverenza, & humiltà a V. A. S. inchinandomi, e pregandole dal Signore Iddio continua esaltatione.

Di Pisa alli VIII. di Novembre M. D. LXXXIX.

Di V. A. S.

Fideliss. e Devotiss. Servitore
Giovanni Talentoni.

(1) *Quatuor in libros divisum est opus, & constat epistolis, quas Auctor dedit ad amicos & ab iis accepit. Multa in iis sunt de rebus diaeteticis, physiologicis, historicis, physicis, practicis, sed de his parcius, & nonnulla quoque ad medicinam forensem pertinentia.*

Digitized by Google

ptime meritus, cujus laudes nulla unquam obscuratura erat oblivio, cujusque mores asperos aetas, scientia & multorum urbanitas leniverat ac poliverat, cum petiisset, ut iterum sibi locus daretur in Academia nostra, minime voti compos factus est, quod sane miror, praesertim cum studium Hieronymi a Sommaja minime defuisset (1). Sed solent Principes eos despicere, a quo se neglectos fuisse putant. Ceterum nequicquam sine honore fuit Joannes, nec injuria fortasse questus est, quod is sibi locus negaretur, qui interdum concedebatur hominibus sine arte, sine litteris, insultantibus in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore.

Paucis me expediam dicturus de Hippolyto Sextino Bibbienensi, & Petro Lupio Pisano, qui aetate, mercede (tenuissima illa quidem) magisterio, addam etiam diligentia in instituendis discipulis pares fuisse videntur. Diu hic operam praebuit Academiae, ille autem ad quadriennium, occupatumque a se locum an. 1589. reliquit Jo. Baptistae Cartenio Bagnonensi, cujus in Academiam ipsam merita singularia fuerunt. Nam per quadraginta ferme annos ejus utilitati & gloriae diligentissime servivit, & famam quoque sibi peperit, cum in optimis & expertientissimis medicis numeraretur. Multi quidem ejus opera &

---

(1) *Haec de eo retulit ad Principem an. 1616.* Gio. Talentoni ha circa 70. anni, ma robustissimo, e da servire probabilmente qualch'anno. Ha letto gran tempo in Pisa, Parma e Pavia logica, filosofia, e medicina, e con grossi stipendj e fama di gran lettere, e d'ingegno vivacissimo. Ha anco stampato più opere di filosofia, e medicina e belle lettere. E' stato solo desiderato in lui maniere trattabili, nelle dispute particolarmente, nelle quali è stato fierissimo, & è parso alcune volte ecceda non poco; sento però è mitigato per l'età, e per vivere spiritualmente, di sorte si può sperare proceda con placidità, e sia per dare riputatione allo Studio e giovare agli Scolari, e la provvisione saria molto minore di quella ebbe in Parma e Pavia, e leggeria filosofia, o medicina, che tanto supplica, e forse anco logica secondo V. A. restasse più servita comandarli.

consiliis ereptos se fuisse ex mortis faucibus fatebantur, & cum saepe vocaretur ad aegram Cosmi II. valetudinem curandam, nunquam non est habitus in dicenda sententia gravissimus & prudentissimus medicus. Multum quoque illi tribuebat, quod sane magni faciendum putamus, Hieronymus Mercurialis, cujus extat longiuscula epistola, qua eidem respondit *de Unicornis cornu*, *& reo quodam*, *qui a sumpto veneno superstes evasit Pisis*. Ut satis medicinae facere posset, haud mediocria sibi ex philosophia assumpserat Cartenius, quod praesertim apparet ex opusculo, quod Pisis edidit an. 1628. de ventorum natura & vi (1), quo in loco nonnulla sunt minime contemnenda de situ Pisarum, & loci caelique natura. Ne putes tamen illum utiliora & veriora in philosophando quaesiisse, quam quae tradita fuerunt a veteribus, & praesertim Aristotele, ceterisque Peripateticis. Valetudinis, quam pene amiserat, caussa, coactus in patriam secedere, aliquot annos ab Academia abfuit, ad quam rediisse videtur an. 1615., & in qua permansit ad aetatem usque 1632. (2). Neque multo

---

(1) *Hujus est inscriptio*: Trattato de' venti, in quanto si appartiene al medico, e del sito della città di Pisa al Serenissimo Ferdinando II. G. Duca di Toscana: Pisa appresso Lionardo Cessi in 4. *Huic opusculo caussam dedit mandatum, quod habuit Cartenius ipse, Titius, & Celata, videndi, num civitati detrimentum allatura esset caesio vicinae sylvae.*

(2) *Haec de eo retulit an.* 1624. *Academiae Curator*. Gio. Batista Cartegni di Bagnone legge ordinaria di Medicina con 380. Scudi: cominciò nel 1589. & intermise per indisposizione pochi anni, onde ha letto più di 30. e faticato assai per esser desiderosissimo, che gli Scolari imparino, onde non solo gl'istruisce nella cattedra, e in casa, ma ancora gli conduce alle cure, e fa che si esercitino nella pratica con molto loro utile, il che pochi fanno. *Anno* 1627. *pendebantur illi* D. *sentusses, neque his contentus esse videbatur.* Anno *demum* 1632. *haec narravit idem Academiae Curator*. Il medico Bagnonese ha 45. anni di dottorato 40. di lettura 74. di età. E' stato buon lettore, e molto desideroso del profitto degli

post, cum esset aetate decrepitus, e vita migravit. Qui vivens civibus suis multis in rebus consuluerat, eorum utilitatibus etiam post mortem providere se posse putavit, cum ex bonis suis jussisset pendi quod satis esset ad alendum juvenem, qui aut medicinae, aut juris prudentiae operam daret in Academia Pisana, & ad conducendum magistrum, qui in ipso Bagnoni oppido litterarum rudimenta traderet. Malum esto iis, qui haec irrita fecerunt. Sepulcri monumentum habuit in Augustinianorum Aede, in quo haec posita inscriptio fuit.

Hospes. siste. lege. Jacet. hoc. tumulo. decus. ingens. & Columen. Patriae. Maximus. honor. Pindi. Amplissimum. Ornamentum. Cyrrae. Joannes. Baptista. Carrenius. Plenissimum. eloquij. Flumen. Per. quod. quosque. ad aeternitatem. mittere. poterat. Dextera. frigescit. Quae. plurimos. a forcipe. mortis. arripuit. suae. aetatis. Aesculapius. docuit. 36. annos. in. Pisana. Academia. Patrimonium. Bagnono. Patriae. legavit. ut. Gymnasium. erigeret. Vivus. docuit. De. docenda. juventute. excogitavit. in. morte. Mortuus. etiam. docet. Functus. peregrinatione. annorum 75. anno. 1634. 8. Idus. Maji. Spiritus. in. Coelum. abivit. Ossa. hic. sita. sunt.

Ja-

Scolari, esercitandoli con molta carità e diligenza nella pratica, e supplica V. A. di concederli la metà della provisione che sono 250. Scudi, dispensandolo dal venire a Pisa a leggere. La sua molta età, la poca sanità, essendo ridotto quasi un cadavere andante, e perciò inutile allo Studio, la sua lunga e buona servitù, l'avere il Dias medico, il Bocca, il Pitta ordinarij canonici & altri ottenute simil grazie, lo raccomandano assai. *Ad quae rescripsit Princeps.* Concedesi come domanda.

Jacobus Lavellius e Castro Novo, quod est oppidum Carferonianae provinciae, per triennium, ab an. 1590. incipiens, extraordinariae medicinae cathedrae praefuerat, mediocri quidem mercede, sed non mediocri nominis sui gloria. Etenim cum vulgasset quae e superiori loco tradiderat discipulis suis, omnes judicarunt nihil ei deesse, quod ad explendum illud munus necesse videbatur, & quater usque typis opus illud impressum fuit propter utilitatem, quam ex eo percipere poterant medicinae studiosi. Movit etiam eum Petri Angelii auctoritas, quocum non solum maximis amicitiae, sed etiam propinquitatis vinculis erat conjunctus (nam illius fratris filiam in matrimonium duxerat) ne disserendi elegantiam contemneret. Postquam a nobis discessit, constitisse videtur Venetiis, qua in urbe ita medicinam faciebat, ut magno id sibi esset emolumento. Quare cum autumno an. 1620. actum esset de illo revocando Pisas, magni aestimata fuit illius opera, oblatis pro stipendio DCC. centussibus & CCC. pro viatico. Accepit conditiones, officio satisfecit (1), & in ipso docendi munere occupatus vitae extremum diem morte confecit prid. id. Aprilis an. 1626.

Prosperrimus sane Academiae nostrae fuisset annus 1592. ob adventum Hieronymi Mercurialis Foroliviensis, nisi eodem illo anno ab ea discessisset Andreas Caesalpinus, qui quidem aegre tulit, quod large nimis & honorifice (prout illi videbatur) actum esset cum homine, cui se parem esse posse putabat fama atque doctrina. Porro omnia quae dari potuerunt, concessa Mercuriali fuisse videntur. Assignatum enim illi stipendium fuit M. centussium, totidemque fere ex privato Principis aerario, Supraordinarii Doctoris titulus atque alia hujusmodi concessa, sic ut Pisis & degens, & docens quotidie frui monimentis

(1) E' tenuto dottissimo, *sic de eo Academiae Curator*, ingegnoso, di buon giudizio, diligente e di buone maniere.

gloriae suae, ceterique Doctores laudum illius vestigiis insistere viderentur. Vel antequam ad Academiam accederet, in maxima gratia erat apud Ferdinandum I., qui solitus erat dicere, nil se tam invidere Bononiensibus, quam quod ortum dedissent Ulyxi Aldrovandio, sibique operam Mercurialis obstrinxissent. Illi quidem, quod a patriae sinu avelli haud potuit, maxima subsidia ad omnem historiae naturalis partem illustrandam suppeditavit (1), hunc autem sic illexit, ut insuavem

---

Serenissimo Signote & Padrone mio Colendissimo

(1) Havendo questi Signoti del Regimento di Bologna accresciuto di provisione a la lettuta mia Scudi 50. che sono in tutto sino a la somma di Scudi 400. & satiano stati di più, se la distributione generale non fosse stata così debole: di quanto m' hanno dato, ne ringratio l' A. V. S. sapendo quanto il tutto habbino fatto in gratia sua. Voglio anco con la presente occasione supplicarla ad essermi in ajuto, che havendo per molti miei lunghi studj dato in scritto diverse opete latine quasi in ogni genere di professione & scienze, & fra l' altre dato opera a la filosofia naturale di piante, animali, & fossili, mi trovo aver composto historie esquisitamente sopra gli animali volatili, quadrupedi, acquatili, serpenti, & cose sotterranee inanimate, e commentarj amplissimi sopra l' historie de le piante in Discoride, & cinque volumi de *admirandis naturae rebus*, con tanta diligenza & sudore, quanto ha potuto partorir l' ingegno mio: ma non perchè stiino cosi sepolte queste mie fatiche, l' ho fatte, ma per darne al mondo utile, diletto, & contento, & a me honore, desidero, & continuamente procuro voler mandare in stampa, la prima delle quali ho destinato che sia l' historia de Avibus, eletta per materia filosofica, curiosa, dilettevole, utilissima in ogni sorte di professione, desiderata da molti, non più stampata da alcuno. Et perchè il metter fuori questa opera senza le figure, che saranno da 500. fra quali molte sono peregrine, & straniere, raccolte da me per trent' anni, & queste dipinte al vivo con gran spesa, tutto seria stato fatto indarno, & l' opera si può dire saria senz' anima, son costretto per questo rispetto humilmente con

Digitized by Google

vitam putasset, nisi se liberasset vinculis, quibus adstrictus erat Bononiensibus, & tabernaculum vitae suae in Etruria collocasset. Nec

---

questa mia procacciarmi della gratia & ajuto suo in ciò. Ho desiderato, Serenissimo Signore, d' haver uno di quei due intagliatori fratelli, ben conosciuti da Messer Jacomo Ligozza pittore di V. A. che ambi si trovano hora in Fiorenza, uno de quali è stato alcuni giorni in casa mia & m' ha lavorato, l'altro molto tempo è che stà in Fiorenza, che pur ho provato che vale assai, havendomi intagliato alcune figure d'animali, & trovo che non possono costar meno d'un scudo per ciascuno taglio di figura. Ma perchè questa spesa di intagliare in legno di pero è grave a me oltra modo, nè da povero gentil' huomo, mi è stato perciò forza di ricorrere à l'A. V. S. & supplicarla con ogni affetto d'animo contentarsi d' esser lei quella, che con l'autorità propria, & spesa sua facci che uno di questi mastri s'impieghi in detta mia opera, ovvero far con l'autorità sua venire uno d'Augusta, o di Norimberga, o d' Anversa dove sono eccellentissimi intagliatori, che forsi s' havranno per la metà meno, che se non fosse che ho bisogno di celerità, farei con lunghezza di tempo, come ho fatto in 30. anni & raccolto, & fatto dipingere al vivo da sette mila figure, che ho al presente in essere per inserire nelle mie varie opere, & ho speso non solo il stipendio pubblico datomi da questi Signori, ma la maggior parte de le mie debole entrate, e quando mi potessi promettere de la vita, & età mia, non piglierei questa baldanza hora con V. A. S. & seguiterei come ho fatto per il passato in quarant' anni insino quando era scolare, ne i quali ho affaticato & speso l'anno sottosopra da 500. Scudi d'oro, tra questo, e pittori, scrittori, porti continui, viaggi per Spagna, Francia, & per tutta Italia per conseguire la cognizione de le cose naturali: hora che le manca la perfettione a queste mie fatiche, che sono le figure, saria necessario a quello che per me si potria fare in dodici anni, farlo con l'ajuto d' un tal Principe in due o tre anni. Nè da V. A. per non l'aggravar tanto desidererei altro che un' intagliatore continuo, che non si habbia da implicare in altro la.

ſane mediocriter de Academia noſtra, cui per XIV. annos, ſcilicet dum vixit, ſervivit, ut & de litteris, quas ſingulari ſtudio excoluit, me-

voro che io queſto, & che dipenda da l' A. V. S. perchè a pari noſtri non obediſcono, & ſempre vanno proregando & pigliando da lavorare per altri; che con tutto che V. A. s' inclinaſſi a l'ajuto di queſta opera con un intagliatore, non mancano dipoi a me il mantenere tre ſcrittori con ſalarij, le carte, il pittore delle figure, & le tavole preparate. Conoſcendo in oltre che in tutta l' Europa non è Principe che più ſi diletta di queſte coſe naturali, o ſiino minerali o piante, o animali di qualunque genere di S. A. S. havendo di continuo tanto giovato al mondo, & haute tante coſe peregrine, e ſcelte di varie parti, ſiccome ſi potrà vedere nelle mie hiſtorie, dove ſaranno tante parti di natura a me per ſua innata bontà communicati in varj tempi, mi ſono moſſo beo con ragione dal deſiderio di giovare al mondo per mezzo della liberalità ſua, conoſcendo ancora queſta eſſer opera degna di V. Altezza. Chi non ſa come il principe de Peripatetici Ariſtotele con l' ajuto d' Aleſſandro ſcriſſe quell' opere divine, che hanno partorito maggior gloria a quel Monarcha, che quali ſi vogliano altri ſuoi geſti?

Oppiano parimente non celebrò la gloria d' Antonino Imperatore Figlio di Severo? havendolo ſoccorſo, come eſſo nel poema ſuo degli animali acquatili a lui dedicato lo moſtra? Si ſà che Eliano Greco eleſſe Nerva & Hadriano Imperatori, a quali conſecrò l'opera degli animali. Et Plinio, qual volſe per ſuo Principe eleggere con la dedicatione delle ſue belle opere naturali Veſpaſiano Imperatore. E Plutarco amato fuor di modo da Traiano volſe a perpetua ſua memoria dedicarli le ſue eruditiſſime fatiche. E nell'età noſtra Pietro Giglio volſe porre in luce l' hiſtorie ſue degli animali ſotto la protezion di Franceſco Rè di Francia, ſiccome anco Pietro Andrea Matthioli i ſuoi preclari commentari in Dioſcoride ſotto l'ombra della Maeſtà di Maſſimiliano II. Imperatore dei Romani.

Finalmente Ippolito Silviano la ſua opera de piſcibus con le figure intagliate in rame dedicò à Paolo IV. Pont. Max. pia memoria. Nè per al-

Digitized by Google

ritus est. Hae, quamvis iis temporibus, quibus natus est, maximo essent in honore, magna tamen ex parte carebant homines iis subsidiis, quibus nunc abundamus ad quodcumque velimus antiquitatis, & sive humaniorum, sive graviorum studiorum genus facile exornandum. Itaque Hieronymo fuere singula propemodum per se vestiganda, quae in Graecorum Latinorumque monumentis erant dispersa, ut immortalibus, artis Gymnasticae praesertim & variarum Lectionum editis scriptis, medicos eruditosque omnes juvaret. Quare minime est

---

tro questi peregrini ingegni si mossero ad ornar l'opere loro sotto tali Principi, che perchè conoscevano quanto questi studj li apportavano gusto e diletto, & perchè da le loro regie mani furono ajutati.

Da quel che ho detto si può molto ben conoscere che io non posso ricorrere ad altro Principe che a V. A. S. prima conoscendo apertamente che non ha eguale, non che superiore in ammirare questo theatro di natura, cercando di continuo illustrare il mondo di cose produtte dal suo divino, & facondo ingegno a beneficio & ornamento dell'huomo, siccome dà testimonio il suo Giardino delle piante peregrine, & le sue così admirande pitture degli animali, & piante fatti dal Ligozza, che pajono porre contesa con la natura istessa, & la montagna de minerali tanto artificiosa & preciosa, che gran peccato saria non communicarli al mondo, siccome io desidero sopra tutti gli altri manifestarlo a presenti & posteri, confessando apertamente & veramente haver imparato da S. A. infinite cose di natura, quali mi ha communicato in varj tempi. Conseguentemente quando ella vorrà contentarsi d'impiegar parte della sua regal splendidezza in ajuto & soccorso di questa opera, dal canto mio non mancarà di amplificarla, & così conseguirà il desiderato fine; & siccome queste opere hanno bisogno del favor d'un tal Principe, così esse saranno sue, illustrate & celebrate dal nome suo, & questo non per disobbligarmele con questo solo, ma per un ricordo & avviso al mondo dell' obbligo, che io ho & deve haver ogni litterato con quell' Altezza. Che sarà quanto le voleva fare per questa mia palese, supplicandola quan-

mirandum, si non modo inter Italos, sed etiam inter alienigenas plures non minus grati, quam docti extitere, qui de illius vita & scriptis multa litteris mandarunt, e quibus praesertim memorabimus Niceronium hominem Gallum, qui, ut de viris aliis illustribus, sic de Mercuriali commentariolum Parisiis emisit an. 1734. & Fridericum Boernerum Germanum, qui an. 1751. Brunsvigae edidit *singularem commentationem de vita, moribus, meritis & scriptis Hieronymi Mercurialis Foroliviensis*. Si quid hi peccarunt, diligenter pro suo more emendavit Jo. Baptista Morgagnius (1), qui plures etiam notavit errores, in quos lapsus erat Papadopolus de Mercuriali scribens in historia Gymnasii Patavini. Illo, & Marchesio, qui de viris illustribus Foroliviensibus librum confecit, teste scimus, Hieronymum mense Aprili an. 1555., cum ageret aetatis annum XXV. Venetiis cooptatum fuisse in Medicorum Physicorum Collegium, postquam studiis in Patavino Lyceo operam diligentissimam dederat sub optimis praeceptoribus Oddone de Oddis, Bassiano Landio, Victore Trincavellio, Gabriele Faloppio (2) Marco Antonio Genua, Bernardino Tomitano,

---

to posso a perdonarmi la lunghezza, & sicurtà, che ho preso hora, poichè mi ha fatto ardito l' infinita sua bontà, & favori fattomi da V. A. S. Alla quale con ogni debita riverenza & humiltà bacio le mani. Et le prego dal S. N. Dio che siino adempiti li suoi altissimi desiderj.

Di Bologna a dì 26. Gennajo 1587.

Di V. A. S.

Devotissimo & Obbligatissimo Servitore
Ulisse Aldovrandi.

(1) Epist. Aemil. XI.
(2) *Hujus extat* epistola de asparagis ad Mercurialem data Patavii an. 1557.

& Francisco Robertellio. Nec sane Hieronymum rudem discipulum ii accepere; nam cum explesset nondum XXII. aetatis annum, emiserat in vulgus opusculum, quod *Nomethalasmus* inscribitur, seu ratio lactandi infantes, quod cum Patavio mitteret ad Franciscum Paoluccium civem suum nobilissimum, ait se diu noctuque laborare in contexendo majorum vigiliarum opere, quod propediem se editurum sperabat. Hanc tamen rem perficere minime tum potuit maximis distentus occupationibus. Nec sibi solum suisque studiis, sed & patriae servivit, a qua cum legatus fuisset ad Summum Pontificem Pium IV. diligentissime illius negotia procuravit. Nemo autem Romae fuit, qui non illum honoraverit, cumque se se totum tradidisset Alexandro Farnesio Cardinali, magno ingeniorum aestimatori, habitavit apud ipsum, omnibusque curis ejus valetudini consulendum putavit. Ea propter ipsum secutus est in itinere, quod an. 1568. in Siciliam habuit, tumque medicus adfuit Onuphrio Pauvinio, qui assecla quoque erat Cardinalis; sed nulla inventa est medicina difficillimo morbo, quo ipse in flore aetatis Panormi obiit. Vulgavit Hieronymus Lagomarsinius (1) Mercurialis litteras ad Sirletum Cardinalem, quibus illum certiorem facit de tanti viri casu, ex iisdemque illud quoque compertum habemus, se, ut erat litterarum Graecarum summe studiosus, magna diligentia conquisivisse Graecos codices, seque omnibus laetum esse laetitiis, quod in hac re sibi fortuna favisset. Non multo post quam in Urbem, seu potius in patriam (inter Patricios enim Romanos cooptatus fuerat) rediit, autumno scilicet an. 1569. invitatus fuit ad regendam primariam medicinae cathedram in Patavino Atheneo, & in ipsa muneris ingressione mirum in modum confirmavit opinionem, quam de illo omnes conceperant, quod, habita oratione de medicinae laudibus, adjunxerat ad elegantiam doctrinae illa oratoria ornamenta di-

(1) Ad Julii Pogiani epist. commentar. Vol. IV. p. 96.

Digitized by Google

cendi (1). Tum fuiſſe eum etiam abſentibus notum ex eo conjici poteſt, quod anno 1573. Vindobonam vocatus eſt ad medicinam adhibendam Maximiliano II. Caeſari, reque bene & feliciter geſta, honoribus ac donis cumulatus fuit (2). Tum majori alacritate, ſpe uberiori, amplioribusque praemiis ad ſuum priſtinum munus rediit, tantaque in illum uſus eſt liberalitate Venetus Senatus, ut, ſi ſtipendium ſpectes MCCL. florenorum, nullius medici pluris feciſſe operam videatur. Saepe etiam ad nobiliſſimorum hominum curationes vocabatur; neque negare potuit Romanis Pontificibus Gregorio XIII. & XIV. quin Romam accederet, ut iis aegris medicinam faceret. Prorſus id in tota vita curaſſe viſus eſt, ut ſibi ceterisque conſuleret. Sed quamvis tam laeta ac proſpera eſſet fortuna illius, conſilium tamen ſuſcepit deſerendi Venetos patronos ſuos beneficentiſſimos, cujus rei hanc cauſſam affert Facciolatus: *cum anno*, inquit ille (3), 1576. *peſtilentiae genus quoddam Venetiis graſſari coepiſſet, nec de illo Mercurialis recte judicaſſet, poſtea non ſine verecundia aliqua apud nos fuit, oblataque occaſione, demigravit.* Demigravit autem Bononiam an. 1587., &, quam primum dixit in illius urbis Gymnaſio, oratio, ut teſtatur Camillus Palcottus in litteris ad Latinum Latinium, tanta frequentia omnium ordinum hominum exaudita eſt, ut ſubſellia ipſa, quamvis latiſſima, tantam multitudinem conti-

---

(1) *Vid. Opera Speronii Vol. V. p. 352.*

(2) *De hac re dubitare videtur Jo. Aſtruc* de morbis venereis Lib. VI. Saec. XVI.

(3) Faſt. Gymn. p. 332. *Adde huic, ſi libet, Ramazzinium p. 808. Operum illius: Genevae 1717. Accuratiſſime quidem peſtem illam deſcripſit Mercurialis, & in remediis, quibus illa, curari poſſe putavit, praeſertim veſicantia numeravit.* Is itaque, *ait Freindius (Commentar. IX. de febribus)* ea inter Italos, uti reor, princeps invexit, neque ſane hoc illi, quidquid eſt laudis, invidendum eſt, quanquam antea idem medendi modus tum a Marſilio Ficino, tum ab Alexandro Benedicto ad carbunculos peſtilentiales curandos praedicetur.

tinere minime potuerint. Addit & illud: *orationis vero candore eos etiam, qui hanc dicendi artem profitentur, si non superasse, at aequasse saltem fuit judicatns; quare saeculo nostro laetandum est, quod hoc tempore medicinae Professores Latine loqui incipiant.* Eamdem diligentiam, eamdemque humanitatem attulit Mercurialis ad Bononienses, qua usus fuerat Patavii docens, quare minime est mirandum, si cum omnium animos mirifice sibi conciliaret, aegre veniam abeundi (1) obtinuerit. Ut primum exedram apud nos con-

---

(1) *Huic rei ipsae Mercurialis litterae ad Carolum Antonium Puteum Pisarum Archiepiscopum testimonio esse poterunt.*

Illustrissimo & Reverendissimo Padrone.

Perchè V. S. Illustrissima mi commanda nella sua ultima lettera, ch'io debba mandar le mie robbe quanto prima, et perchè io ciò desidero estremamente, è necessario, ch'io le dia un breve conto del negozio, & del termine in che si trova, a fin che possa S. A. usar quegli antidoti che le parranno opportuni. Quand'io cominciai a dar'orecchio all'invito favoritissimo di S. A. ragionando della licenza che mi bisognava, mi fu detto, ch'io accettassi il partito, & che poi lasciassi far del resto alle loro Altezze, ma io se ben confidavo ogni cosa nella suprema authorità loro, volsi però prima vedere, s'io ero libero per le cose accaduta, et se potevo sperar di ottener la licenza, ò per cortesia, ò per giustizia. Onde havendo detto à Theologi & à Jurisconsulti gravissimi le mie ragioni, & come per non haver'il Regimento nella controversia dei miei saggi voluto accettare il voto dato dalla Rota loro, non mi pretendevo obbligato, havendo prima mancato loro alle conditioni dell'instrumento; mi fù sempre detto, ch'io ero libero, & ch'io potevo trattar di me senza scrupulo di conscienza, & con questa fiducia son venuto alla conclusione che V. S. Illustrissima sà. Dopo la quale havendo domandata la licenza con la lettera, di che le mandai copia, & anco con la mia me-

scendit, facile expertus est quanto cum honore, ac dignitate suum munus tueri potuisset, & quantum doctrinae virtutique tribueretur,

desima lingua, m'è stata negata, per il che voltatomi alla strada della giustizia, & fatto costare à Monsignore Vicelegato le mie ragioni, finalmenre egli forse persuaso ch'io sia libro, m'hà sfoderata una lettera che ha dal Cardinal Mont'Alto à nome di S. Santità, nella qual vien comandato, che non lasci partir nè me, nè le mie robbe, pretendendo questi Sigg. ch'io non possa partir per l'obligo che hò, anzi, ch'io sia incorso nella pena di duoi milia Sc. contenuta nell'instrumento della mia condotta. Et benchè i miei consultori valentissimi huomini m'assicurino che di ragione io non possi esser'arrestato, dando sicurtà di star à ragione, & facendo restitutione di quanto gli son debitor per l'imprestito, non dimeno alla volontà di N. S. Santissimo per adesso non posso resistere. Confido bene che S. Beatitudine, udite le mie ragioni, si compiacerà per sua Clemenza che meco non s'usi altro che giustizia. Et in questo ancora confido che S. A. S. non patità, ch'io debba essere trattato altrimenti, sendo gia servitor suo. Havrei mandato à V. S. Illustrissima con questo le mie ragioni in scritto, se non che scrivendomi ella sperare, che Sua Beatitudine à contemplation di S. A. s'aquieti, mi giova di credere, che non bisogni. Pur quando lei giudichi altrimeute, subito che m'avvisi le manderò il tutto. Et anco se S. A. commanderà, audrò à Roma a dir' il fatto mio, pur che l'A. S. S. iscusi la mia tardanza nel venire, & non patischi, che questa mora sia imputata a me, con pregiudicio delle mie cose, le quali & la mia reputatione son sicuro saranno protette dalla testa particolarmente di V. S. Illustrissima, alla quale pregando da N. S. Dio felicità riverentemente m'inchino, & bacio le mani.

Di Bologna li 30. di Settembre 1592.

Di V. S. Illustriss. & Rev.

Humiliss. & Obbligatiss. Servitore
Hieronimo Mercuriale.

Ferdinando I. regnante. Hunc autem quoties adibat, (adibat autem saepissime) quantas declarationes habebat benignitatis atque amoris! Cum suo jure quodam modo sibi vindicaret, quod in omnis sermonis disputatione copiosissime posset versari, nulla unquam illi, quando in congressum colloquiumque Principis veniebat, proposita fuit quaestio, cui satis superque stans pede in uno non satisfecerit. Nec placebat minus ob moderationem, gravitatem & modestiam animi. Nullum enim in eo unquam dictum, aut factum animadvertisses, quod non dicam audacius, sed paullo minus consideratum videri potuisset. Si vero aliquem nactus esset, cujus sententiae minime congruerent cum sanioris philosophiae praeceptis, quantum poterat, huic mederi satagebat, perinde quasi non minus ad corruptos animos, quam ad aegra corpora sananda vocatus esset. Porro non erat obscurum Catholicae religionis conditorum & principum philosophorum illum ita percepta habuisse praecepta, ut iis ad virtutem exercendam, non ad ostentationem uteretur. Sicuti antiquitatis amator, sic moris majorum summus imitator fuit, quare vixit simpliciter, fideliter, vitaeque hominum amice. Neque pecuniae illum nimis cupidum idcirco putabis, quod ad haeredes testamento centum ac viginti aureorum millia transmisisse dicatur (1). Etenim nefas ille existimabat per luxuriem effundere atque consumere, quod per doctrinam adeptus erat; & Principes adeo in se liberales expertus est, ut habuerit unde sumptus faceret in res divinas, in rem domesticam, in propinquos, in amicos, & in mendicos homines. In veterum libris memorantur amplissimae mercedes atque honores singulares, qui ab Graeciae populis, ab Asiae Regibus, & a Romanis Principibus illustrioribus medicis tribuebantur, sed haec exempla superior aetas renovata vidit in Mercuriali, quo nullus hono-

(1) Erythraeus in Pinacotheca.

Digitized by Google

ratior atque fortunatior fuisse videtur. Atque ille, ut ait Erythraeus, in cognoscendis morborum caussis tam peritus atque acer, non fuit in eo, quo sublatus est in patria V. id. Novembris an. 1606. ignorando hebes & tardus. Nam calculos in renibus latentes duos vitam sibi eripere affirmavit, jussitque post mortem corpus aperiri, quo facto, calculi duo magni cum aliis minutis apparuerunt, quorum omnium pondus erat drachmarum octingentarum. Ille autem tanta animi tranquillitate atque constantia extremum diem obivit, ut non e vita discedere, sed ex domo in domum migrare videretur (1). Sepultus est in Sacello, quod vivens in Aede S. Mercurialis faciendum locaverat. De statua illi celeberrimo in loco ponenda cogitatum est, & id fieri placuit summo magistratui, sed haeredum negligentia infectum fuit. Restat ut de illius operibus pauca dicamus. Gymnasticum omnis antiquitatis notitia refertum est, nec sane illud confici potuisse videtur, nisi ab homine ingenio praestanti, et eruditione perfectat magna ex parte confecit Romae, emisitque in Alexandri Farnesii Cardinalis nomine. Neque eruditi modo, sed & medici gratulati illi sunt, quod omnia ea conquisierit, quibus utebantur veteres ad exercendum corpus atque roborandum, ad praecavendos morbos, atque eorum initia avertenda, quod totum *paucis*, *nervose & absque ambagibus explicasse* affirmat vir summus Hermannus Boerhaavius (2). Variarum lectionum volumen, quod sex libris constat, maxime conducit ad emendanda & explicanda loca difficiliora, quae occurrunt in veterum

---

(1) *Florentiae an. 1607. editus est libellus, qui continet omnia ea, quae pertinent ad morbum, mortem & funus Mercurialis cum latina laudatione ejusdem.*

(2) Method. Stud. med. de Diaetetica. *Istud ipsum opus* de Arte Gymnastica *sex libris comprehensum, cum postea Mercurialis auxisset & figuris pluribus ornasset, secundo edidit an. 1573. & Maximiliano II. Caesari nuncupavit.*

Digitized by Google

scriptis, in eo praesertim quod pertinet ad morbos atque medicamenta, & ad valetudinem conservandam. Et veteribus quidem nimium tribuisse videtur in facienda medicina; verum laudi illi dandum est, quod Hippocratis mirifice studiosus fuit, quem in Latinum vertit, & commentariis pluribus illustravit (1). Male autem cum eo egisse videntur illius discipuli, quod nimium multa scripta ejusdem in vulgus ediderunt. Nam pauca omnino sunt, quae practicam medicinam nunc juvare possint, quanquam magnifico titulo decorentur *de cognoscendis, discernendis & curandis omnibus corporis humani affectibus, eorumque causis indagandis*, & quatuor usque extent magnae molis volumina, quae *consultationes & responsa medica* inscribuntur (2). His adde libros *de morbis puerorum*, *de morbis mulierum*, *de oculorum & aurium affectibus*, *de morbis cutaneis*, *de decoratione*, *de pestilentia*, *de maculis pestiferis*, *de hydrophobia*, *de venenis & morbis venenosis*, de quibus hoc judicium protulit Hallerius (2). *Ut dicam, quod verum est, pleraque horum scripta praelectiones sunt a discipulis Hieronymi in chartam conjectae, & earum paucissimae famam Auctoris tuentur, cum multo plus collectitiae eruditionis, quam veri experimenti contineant, dictio etiam maculosa plerumque, & vitia non pauca, quod in primis de libris* de mulierum morbis (3), de morbis puerorum, & de morbis cutaneis & de venenis *dictum volo. In curando nimis veteres sequi solet, qui serio guttur galinae ad frangendum calculum laudet, & gravidi-*

---

(1) *Vid.* Haller. ad Boer. Stud. med. T. II. p. *469. in eo quod pertinet* ad censuram & dispositionem operum Hippocratis, qui *libellus, sane elegans Mercurialis editus fuit primum Venetiis* 1583., *mox Francofurti* 1585.

(2) Method. Studii medici de Pathologia.

(3) *Secus judicavit Joannes Astruc.* in Tractatu de morbis mulierum: *ait enim* Praelectiones *Mercurialis* praestantissimas esse.

tatem ex urina divinari posse credat. Pestem a muscis, quae humores aegrorum suxerint, propagari subtiliter conjicit. Haec Hallerius, cujus expositis sententiis, non libet quaerere quid alii senserint de scriptis Mercurialis, qui quidem sic in nostra Academia versatus est, ut dum suas virtutes, si ita cum Cicerone loqui fas est, consecratas, & in deorum numero collocatas videbat, nunquam non cogitaverit quid tantis hominum opinionibus, tantis de se judiciis, tantis honoribus debebat. Liceat mihi extremo loco gratulari Fabroniis gentilibus meis, quod summae conjunctionis vincula sibi cum Mercuriali esse voluerunt, & quod hic non solum amicitia, sed etiam beneficiis se iisdem obstrictum esse fassus est, non dubitabo hoc in honore atque laude illorum ponere (1).

Non minus honoratus apud nos fuisse videtur Philippus Antonii Cavrianii Mantuani filius. Hic vel ab anno 1565. medicus in aulam venerat Ludovici Gonzagae Nivernensis Ducis, & cum eo in Gallia fuerat iis temporibus, quibus bello domestico, tristi, ac turbulento

---

Altezza Serenissima

(1) I Fabroni da Marradi Vassalli fedelissimi di V. A. S. sono tutti tanti miei amici, e posso dire benefattori, che sono obbligato a far ogni cosa, che cognosca dover esser in servigio & honor loro, ond'è che havendo una certa lite di un benefizio con alcuni gentiluomini Fiorentini de' Minerbetti, & desiderando io, come anco è loro desiderio, che s'accordino con la parte adversa, o che presto sia data justa spedizione alla causa loro, vengo a supplicare ardentemente a V. A. S. acciò resti servita di scrivere a Mons. Nunzio in Fiorenza, che veda d'accordare tutte le due parti &c.

Di Pisa 27. Novembre 1593.

Hieronimo Mercuriale (Filza 181.).

Digitized by Google

omnia ardebant. Hujus historiam Latine scribendam suscepit, sic vero confecit, ut in ea probi ac prudentis ingenii, atque in humanioribus litteris haud mediocriter exercitati forma appareret. Tantum quidem ejus prudentiae & magnorum negotiorum usui tribuebatur, ut de eodem mittendo in Galliam deliberatum fuerit a Ferdinando I. (1),

---

Al Cav. Belisario Vinta.

(1) Io non hebbi mai altro desiderio, che di poter servire S. A. mio molto riverito Signore, & hora l' ho vie più che mai maggiore, sapendo che ha bisogno dell' opera mia, siccome V. S con la sua lettera del primo di questo mese, me ne assicura. Et sì bene io havessi à dirle molte ragiooi, le quali mi persuadono à non ritornare in Francia in questa stagione & in tempi così turbolenti, come i presenti sono, ne' quali mi veggo apparecchiato un manifesto Martirio; nondimeno per assicurar S. A. che io son il medesimo che ero già, & che sono sempre essere in servitio suo, mi contenterò d' andar in Francia, quando la me lo comanderà, & ricever la corona del Martirio: che serà la gloria d' haversi voluto avventurare per servir il mio Signore, non possendo io fuggire d' esser preso, o morto. Del modo di condurmi là toccherà à V. S. a pensarci, perchè in questo negotio non ho se non due difficoltà, l' una, come io possa pervenire al mio antico Padrone, che è nel cuore del regno, l' altra, in qual maniera io possa fare capirare le mie lettere così. Le quali essendo rare, & tarde venendo alle mani del mio Signore, le metteranno sospetto della mia fede, o della mia diligenza. Se questi doi capi V. S può accozzare insieme, non ho alcuna fatica a partirmi, se bene io lascio il certo de miei studij, per l' incerto & volubile della corte. Se si potesse vedere da S. A. il mio desiderio, la mi stimerebbe molto più suo servitore che la non stima. Ma Dio che è superiore, conosce le menti nostre. Io non ho modo del mio a condurmi là, se l' havessi, non havrei risposto con lettere a V. S. ma la fama le havrebbe fatto sapere la mia partenza. Sicchè vegga lei, che la non mi metta in cammino di perdere la vita & l' honore, con derisione della mia troppa divota

eum jam sua liberalitate hominem sibi obligasset. Sibi etiam magis magisque obstrinxit cum in Stephanianorum Equitum Ordinem legisset, atque e Duodecemviris, qui ejusdem Ordinis rebus consulebant, esse voluisset, et theoricae ordinariae medicinae magistrum creasset. Accidit id an. 1593., nec utilitate solum, sed etiam novitate rerum, at-

---

volontà, & non mi confini in luogo, di dove i più savj se ne fuggono, perchè non vuò morir in Francia, se piace à Dio, ne meno invecchiarci più che io mi sia. V. S. ha inteso il desiderio, e l'impotenza mia, la guidi hora la barca, e conservimi la gratia del mio Padrone, la quale non sta in honorarmi d'una Commenda, ne in promesse di donativi, come la mi scrive; ma in tenermi sempre vivo nella memoria sua, per suo divotissimo servidore, che ne per bonaccia, ne per verno cangierà mai stile. A V. S. bacio le mani, e la prego a credere di me, che per mutar di luogo, o di fortuna, non muto desiderio di mostrarle la volontà mia in servirla. Nostro Signore Dio dia à V. S più di felicità, che non ho ricevuto io da un mese in quà.

Di Pisa alli VIII. di Novembre del 1787.

Affet. Servidore
Filippo Cavriani.

P. S. V. S. discuta solamente del modo, che ho da tenere in scrivere, che se le lettere sono intercette, *non me ne vada la testa*, et come posso condurmi là a salvamento, & del modo del vivere, convenendosi spendere più che voi altri Signori di costì non pensate, che non vorrei morire di fame, & vivere con dolore. V. S. mi offerse 500. Scudi & un cavallo: operi che mi si diano 800. col cavallo & corrino sempre le paghe, & non mi si levino più. Poi secondo i limiti, mi tratterà al ritorno, non volendo io vivere colà sempre, et si usasse darmi meno. Credami ch'io non ci posso vivere, et non m'infingo. Non vuò metterlo in necessità, ma sì bene farle intendere il bisogno mio, poichè lascio i miei studii in disparte.

V. S. bruci la presente.

quas docebat, serviendum discipulis & Academiae putavit (1). Multos quidem elegantia doctrinae vincebat, & cum ad Belisarium Vin-

Illustriss. Sig. & Sig Osseq.

(1) Passai per costì otto dì sono, ritornando di Lombardia, & parlai con S. A. la quale era nel letto, ove riceyetti la Crocetta. Ma io non potei vedere V. S. come desiderava per renderle à bocca quelle gratie, che dovevo. Hora ch'io sono in Pisa, & accomodato nel palazzo di Cavallierj (mercè di V. S.) per servire nel Consiglio, & per dare principio alle lettioni da farsi al principio di Novembre, ho voluto avvisarne V. S. acciò che secondo le occasioni ella mi comandi come a cosa che è in sua possessione & uso. Hò eletto il più necessario & difficile libro che sia in Hippocrate, & non mai più letto in publico in Italia, che è, *Coacae Praenotiones*, il quale per giuditio del Mercuriale, & per consiglio di Messer Massimo, anzi di tutti i Lettori di questa Università, gioverà molto alli Scolari, perchè è il sommario di tutta la medicina prattica, & spero che Monsig. Arcivescovo promotore, & V. S. consigliere, di questo mio avanzamento non arrossiranno. Però io supplico V. S. a dirgliene una parola, non volendo io uscire di commandamenti. So bene, che il Mercuriale approva & consiglia questa lettura, & mi fa instanza à non lasciarla per quale si voglia altra. Ma se Monsignore havessi altra openione, io la seguirei. Le ricordo solamente che per honore dello Studio, & mio conviene che io legga cose giovevoli & non usitate nelli altri Studij. Perchè come insegna il mio Tacito. *Omne ignotum pro magnifico habetur*; & la novità dà credito. Bacio à V. S. le mani. Di Pisa alli 14. di Giugno del 93.

Di V. S. Illustriss.

Obbligatiss. Servitore
Il Cav. Cavriani.

tam scriberet, litteris datis Pisis mense Quintili an. 1594. ait, se veteranum jam militem in medicina facienda ad spem novarum palmarum incitari, gratularique Pisano Lyceo, quod suum honorem & gradum reddidisset Graecis medicis, eorumque praeceptis ac sententiis totum jam personaret (1). Fuit pergrata assiduitas illius & diligentia in instituenda juventute Mediceis Principibus, & ipsum quoque excitarunt ad scribendam vitam Cosmi I. quia non erat obscurum illum percallere elegantiam Latinorum verborum, & stilum exercuisse. Ex litteris ejusdem scimus totum opus bina in volumina divisisse, quorum in primo de vita & moribus egit Cosmi, in secundo de rebus gestis, atque in illo imitatum fuisse Svetonium, in hoc autem T. Livium. Verum quae sors huic historiae obtigerit, prorsus ignoro. Pervenit quidem in manus Aldi Manutii, qui idem argumentum tractandum susceperat. Exemplum habes apud Salvinum Salvinium [2] elegantiae Cavrianii in Latine scribendo, qui tantum quidem antiquitati concedebat, ut majori etiam honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi illam versatam fuisse affirmaret. Cum Cornelium Tacitum illustrandum suscepisset, quem laborem saepe intermissum, auctore Jacobo Danio supplicum libellorum apud Florentiae Ducem Magistro, quem Pragae noverat (fuit enim, antequam in Galliam concederet, in aula illius urbis Archiepiscopi) renovavit, tantam in eo historico rerum publicarum scientiam inesse probavit, ut ab eo maxime

(1) Trovansi huomini in questo Studio, i quali ravvivano gli antiqui Greci, e leggono i più oscuri e i più giovevoli libri, che si trovino, alla barba degli altri Studj, ne' quali si leggono cose così triviali & volgari, ch' ogni Piovano di mediocre dottrina le può insegnare, onde non mi maraviglio se l' Italia ha così pochi medici eccellenti . . . . Sebbene son nuovo nel leggere, son però Veterano nell' arte, e da Veterano leggo.

(2) Fasti Consolari p. 338. *Extant etiam in tabulario Mediceo plures Cavrianii litterae Latinae scriptae elegantissime.*

petenda essent populos gubernandi, & vivendi etiam praecepta (1). Litteris, talibusque doctrinis excultus homo honorabatur appetebaturque ab omnibus, & licet existimaverit in honoribus tuendis multam esse operam ponendam, praeter ceteros etiam elaborasse videtur, ut nomen etiam aliquod in docenda medicina consequeretur. Obiit Pisis eodem ferme tempore, quo mors e situ Academiae abripuit Mercurialem, quorum funera perluctuosa sane ipsi fuerunt.

Nihil nunc dicemus de Carolo Thomasio & Francisco Anselmio, quod eos in alium locum reservamus. Habebat multum prudentiae in medicina facienda atque docenda Ferdinandus Angelius Bargaeus, quem cum puerum in ludo novisset Caesalpinus, praedixit illi avo, patre majoribusque suis fore dignissimum. Extat etiam Mercurialis epistola ad Cartenium, qua Franciscum nominat *virum hac tempestate ob singularem doctrinam eminentissimum* (2). Litteris domesticis, ac nostrorum hominum urbanitate limatus, nihil habuit in se, quod reprehendi potuisset, ejusque solertiam, consilium, modestiam ac prudentiam omnes semper adamarunt. Qua de caussa ultra annum 1607. apud nos non manserit, prorsus ignoro. Cum Marco Cornacchinio, de quo alibi mentionem fecimus, coepit anno 1606. medicinam docere Jacobus Blancardus de Laurentiis Genuensis, cujus nomen inglo-

(1) Discorsi di Filippo Cavriana sopra i primi V. libri di Cornelio Tacito: in Firenze per Filippo Giunti 1600. in 4. *De hoc opere vide Apostolum Zenum* note alla Bibliotec. dell'eloquenza Italiana Vol. II. p. 297. *Idem auctor est, Cavrianium jussu Henrici III. e Gallia in Etruriam venisse cum Christina Lotharingia, Ferdinando I. desponsata, neque solum historiam scripsisse Gallicorum bellorum, sed separatim etiam obsidionis Rupellae. De his rebus plura quoque tetigit ipse in disputationibus ad Tacitum.*

(2) Targioni. Ingrandimenti delle Scienze Fisiche in Toscana Vol. III. p. 160.

rium fuit, quamvis non inertissimus homo esset (1). Genuensis alter & doctrina, & arte etiam quadam effecit, ut nullius medici opera esset illustrior, & pro hac fama pendebantur illi DCCC. & amplius centusses. Is est Julius Gustavinius nobili genere natus Kal. Novembris an. 1560. cujus prima aetas plurimum in humanioribus litteris versata est. Graece luculenter sciebat, & sive Latine, sive Etrusce, sive numeris adstricta, sive soluta oratione scriberet, minime elegantiae expers erat. Coluerat quoque poesin (2), & poetarum nobiliorum mire studiosus erat. Ea propter non dubitavit in arenam descendere, ut pro Torquato Tasso pugnaret adversus Furfureos Academicos. Nihil iis temporibus celebratius fuit hujusmodi controversiis, & ex eadem urbe Florentia, unde Tasso tot veneraut solatia laborum, & industriae subsidia, cum is aliquando patronum unum sibi adscivisset Ferdinandum I. (3) ja-

---

(1) *An. 1612. petiit ordinariam medicinae cathedram, neque voti compos factus est. Retulit enim Academiae Curator:* è giovine di circa 34. anni, nè parc che possa soddisfare a quello che desidera.

(2) Julii Gustavini Patritii Genuensis in obitum Francisci Terillii oratio, nonnullaque carmina partim Latina, partim Etrusca lingua conscripta; Papiae apud Hieronymum Bartolum 1580. in 4.

Carmen in laudem Uberti Foliettae pro historia Genuensi: Genuae 1585.

Sonetti tre in lode dell' Abate Grillo. *Extant inter hujus carmina, quae commentariis illustravit Gustavinius.*

Sonetto in lode dello stato Rustico. *Extat in Poemate Jo. Vincentii Imperialis edito Venetiis 1613. in 12.*

(3) *Hujus rei multa extant monumenta. Libet vero nunc unam Tassi epistolam exhibere, quae declarat, Ferdinandum consuevisse illi pecuniae subsidia submittere.*

Serenissimo Granduca.

Io ho data quasi l' ultima perfezione e l' ultimo accrescimento al mio poe-

cta fuerunt tela, quae ipsum vehementissime pupugerunt. Sed haec hebetiora & leviora facta sunt, defensore Gustavinio. Non pluribus hac de re dicam, quod satis superque dictum est a Petro Antonio Serassio, qui minutissima quaeque ad Tassum pertinentia, ejus vitam explicans, persecutus est. Neque Gustavinius, qui non solum honore, sed etiam cultu quodam prosequebatur Tassum, hac re una contentus esse potuit. Multa enim scripto mandavit, per quae illa praeclara & eximia species perfectae poesis & pulchritudo magis magisque in illius Goffredo apparet. Puduisset illum haec exarare, si omnes

---

ma, e in quest' opera dopo XXVI. anni di fatiche e di sciagure harrei soddisfatto a me stesso, se io avessi potuto compiacere a V. A. S., ma non è stato possibile. Ma se V. A. può senza sua mala soddisfazione concedermi i suoi privilegj, io ne la supplico. Verrei a farle riverenza per appresentarle una lettera della Duchessa di Mantova scritta in mia raccomandazione, ma non spero di poter far questo viaggio se da V. A. medesima non mi è data comodità. Già mi dolsi per mie lettere *di nove piastre recatemi per franche*, e tolte da'suoi doganieri, o almeno da'suoi cittadini da un mio forziero, che fu sigillato nella dogana di Fiorenza. Nè domando che sieno castigati con altra legge, se non con quella di Mosè, per la quale sarebbero obbligati a pagar quattro volte tanto: non considero se una parte si possa applicare al fisco, ma io non ho bisogno di meno per questo mese. Negli altri potrebbe crescere il mio bisogno. Nella cortesia di V. A. non desidero accrescimento, ma che si dimostri a me come agli altri, che meno l'hanno meritato. *Non est eadem natura emendationis, & clementiae*. Non può desiderare da me penitenza o emenda maggiore. Io da V. A. desidero quella clemenza, che si conviene ad un grandissimo Principe verso un mio pari: nè ricuso il suo giudizio medesimo, sol che si degni darmi audienza. Mi faccia grazia di risposta: di Roma il 22. di Luglio 1592.

Servitor Devotissimo
Torquato Tasso.

Digitized by Google

intellexissent, quantae artis, quantaeque industriae fuisset illud poema condere. Neque minus in caelum laudibus efferre consueverat ejusdem Poetae Italicam tragoediam, quae *Torrismundus* inscribitur, quam cum magnifice edendam curasset, non dubitavit asserere in iis, quae praefatus est, Oedipo Tyranno Sophoclis (quam vere tu judicaveris) si non superiorem, parem quidem esse posse. Nullum sane praetermisit officium erga amicum suum, & nemo extitit, qui magis ex animo illius casus lamentatus fuerit (1). Ab homine patricio genere, & in litteris educato non facile expectasses rei medicae scientiam. Hauserat eam, ut & philosophiam ex Graecis scriptoribus, & quae ad utramque disciplinam illustrandam in vulgus emisit, magno in pretio tum habita fuerunt (2). Quare minime est mirandum, si apud nos summa cum dignitate theorici medici (ad laudem

---

(1) *Cum Ferrariam ejus visendi gratia accessisset, declaravit quam miserrimus esset status illius.* Traeva le lagrime su gli occhi a ciascheduno quel misero e compassionevole stato, in cui in quella prigione si ritrovava quel divino ed immortale ingegno, e chi il vide, così com'io, ne può far chiara testimonianza. Annotazioni al Sonetto del P. D. Angelo Grilli, che incomincia *Cremaschi il Cigno altier*, tra le rime del Bergamo per Comino Ventura 1592. in 24.

(2) Commentarii in Averroes decem Aristotelis problematum sectiones: Lugd. 1608. apud Horat. Cardon. in fol.

Locorum de medicina selectorum liber: Lugd. 1616. in 4. *De eo sic judicavit Hallerius* ad Stud. Practic. Boer. Vol. II. p. 370. Certe erudite scriptus est. Ad singulas quaestiones solet omnes sententias doctorum virorum proponere, non absque emendatione Graecorum textuum. Pleraque practica sunt. Ita monet ad contumaces morbos oportere mutare remedia. Agit de catarrho, pro magna venae sectione, & de tota illa lite an in eodem, an in alterno latere venam secare oporteret, quam pro Brissato definit; de angina & pro bronchotome, de sputo cruento, de febre pe-

enim practici minime adspirabat) personam sustinuit (1). Disputabat acute, atque interdum etiam acriter & iracunde. Irae vero praesertim indulsit adversus Rodericum Castrensem, & teste Academiae Curatore, inter hos medicos tantae intercesserunt inimicitiae, ut, nisi ii aetate decrepita fuissent, metuendum esset, ne tristissimos exitus essent habiturae. Cum uterque contenderet acroases habere in magna, ut loquimur, schola, res ad Judices Florentinos delata fuit, & miror equidem eos minime despexisse hujusmodi querelas a magistratus dignitate alienas. *Ejusmodi injuriae sunt*, scripsit ad eos Academiae Curator, *ut de his indignum sit non primo quoque tempore judicari*.

---

stilentiali, & symptomatica, ubi contra Jubertum defendit febres a putredine fieri.

Liber II. Florentiae apud Sermartellium 1625. *Affirmat Michael Iustinianus ipsum reliquisse tertium quoque librum hujusce operis, & medicorum celebriorum vitas explicasse.*

(1) *De eo haec retulit 1633. Academiae Curator.* Giulio Gustavini nobile Genovese ha 50. anni di dottorato, 25. di Lettura, 73. d'eta & 750. di stipendio. E' uomo di molta dottrina, buon filosofo, e medico theorico, gran notitia di lingua greca e belle lettere, e poesia, disputa con molta efficacia, e dottrina, ma con un poco d'iracundia. Cominciò a legger tardi, e però dura fatica, e legge colla carta. Stampò sopra i problemi, & alcune varie, & in gioventù contra la Crusca, & sempre con molta sua lode . . . Viene con una lunga scrittura esaggerando le grandi spese ne' viaggi, in tenere due case aperte una in Genova per i figli, & altra in Pisa; pondera le molte comodità, che ricerca la sua grave età, e per conseguenza le gravi spese gli convien fare, e conclude che con suo gran dolore non può con questo stipendio seguitare a servire V. A. Non è dubbio che le cose allega son vere, ma è anco vero che ha stipendio notabile, e che lo Studio non deve provvedere a bisogni tutti, & interessi de' lettori. Il soggetto però è di grande stima e reputazione allo Studio, massimamente in questa scarsità di medici, & ha anco molta servitù e benemerenza.

Digitized by Google

Ferre vero haud potuit Gustavinius, adversarium suum autumno an. 1636. decoratum fuisse Supraordinarii Doctoris titulo, eaque propter excusatione aetatis perditaeque valetudinis Academiam deseruit illo ipso anno (1), & in patriam secessit. Eo in loco non multos post an-

(1) *Extat Paganini Gaudentii epigramma in discessum Gustavini, Claramontii, Calvani, & Mancinii, illudque sic se habet.*

Uno eodemque anno nostrum liquere Lyceum
Bis duo, doctrinae pectora plena, Viri.
Julius hinc fractus senio, fractusque labore
Ad Ligures abiit, laetaque regna Jovis.
Scipio siderei clarus cognomine montis
In propria mavult deliruisse domo.
Galvanus Firmum nostris discessit ab oris,
Ingens legiferae gloria lausque Deae.
Mancinus potuit penetrare Antenoris urbem,
Romulidum ut leges sacraque jura colat.
Horum hominum viduata die Sapientia languet,
Maestitiaeque gravi pondere pressa jacet.

Hoc vero libello Gustavinius veniam abeundi a Principe petiit. Il Dot. Giulio Gustavino havendo per 29. anni servito le Altezze Serenissime del G. D. Ferdinando, e del Serenissimo G. D. Cosmo, e V. A. S. nello Studio di Pisa per lettore di medicina, si trova al presente per varie infermità del corpo e per il peso di anni 76. reso inabile a tirar più innanti in detta carica, e costretto già per quasi due mesi e mezzo a giacersi in letto. Perciò supplica V. A. S. a volerli far grazia che possa partirsi a suo piacere & andarsene alla patria per vedere se si potesse ristorare & usarli benignità, ch'abbia l' intera provvisione di tutto l' anno, havendo letto il resto delle letioni con grandissima fatica fino al quasi venir meno in cattedra, & addesso essendo impossibile che legga. La

annos vitam amisit, pluresque reliquit liberos, quorum unus nominé Jo. Baptista an. 1625. Institutionum juris civilis apud nos interpres fuerat. Sed paullo post pestis timore perterritus Etruriam deseruit, & in patria jus civile docuit, & exercuit etiam caussarum patronus.

Haud dubium erat, quin multis claris medicis par esse potuisset Julius Titius Pisis ortus an. 1576. quique carissimus fuerat Hieronymo Mercuriali, a quo non medicinam modo, sed & dicendi elegantiam didicerat. Vix prodierat ex hujus schola, cum salutarem artem exercuit in Portu Ferràto, ubi quinquennium ferme fuit, post quod tempus rediit in patriam, nec doctrinam modo, sed & diligentiam adhibuit, ut prodesset civibus suis, sibique laudem pareret. Cooptatus demum an. 1607. in medicorum nostrorum collegium, tum practicae, tum theoricae medicinae studiosis satisfecit, (1) & in suo munere con-

---

supplica ancora della gratia concessa già dalla felicissima memoria del G. D. Ferdinando avolo, e felicissima memoria dell' Altezza paterna, come anche da V. A. S. ad altri Lettori più giovani e più sani, e non di più anni di lettura della sua, che in sua vita abbia annualmente la metà della sua provvisione, che sarà più un honore, che farà V. A. alla sua persona, che altro, perchè sicuramente potrà goderla poco tempo, e forse non arriverà a cominciare, & a V. A. S. prego il colmo d' ogni felicità. *Ad haec rescripsit Princeps.* Stante il lungo e buon servitio congiunto colla mala sanità del supplicante si contenta S. A. S. di licenziarlo dalla cattedra, e carica di leggere, e che per quest' anno conseguisca nondimeno la provvisione, come se havesse letto tutte tre le terzerie, e che per maggior ricognizione del suo merito negli anni futuri da cominciare il dì di Novembre 1636., mentre viverà, se gli paghino Scudi 200. l' anno non ostante ec.

Persio Falconcini 12. Settembre 1636.

(1) *De eo haec an. 1621. retulit Academiae Curator.* Ha 45. anni di età, 22.

stans vixit ad Octobrem usque an. 1629. Non hujus modo, sed & Matthaei Carrarae Bargaei mentionem fecit Dempsterus, cum de Pisanis Doctoribus sermonem fecisset in sua Regali Etruria. Fuit autem Carrara non mediocris ingenii, & publici doctoris nomen consilio & prudentia sustinuit. Cum illi intollerabiles, & prorsus a litteris atque ab humanitate abhorrentes viderentur inimicitiae, quae inter nonnullos Doctores intercedebant, nihil non curabat, ut eos patientiores lenioresque faceret; & quamvis nihil ab iis obtineret, efficiebat tamen, ut omnes aequitatem suam, temperantiam atque mansuetudinem laudarent. Omnino nihil erat, quod ad laudem attinet, quod is non optime perspiceret, & quantum in se erat, non consequeretur. Vitam eumdem amisisse suspicor aestate an. 1622.

Minime necessarium arbitramur de Joanne Ruschio nunc dicere, quod de eo mentionem fecimus eo in capite, in quo de anatomicis egimus (1). Et ob hanc ipsam caussam minime in scenam iterum adducemus Jacobum & Joannem Macolos Fratres, qui cum essent Pisis eodem illo tempore, quo erat etiam eorum civis Dempsterus, teste Sommaja, stulti & creduli cum ipso tum in aliis rebus, tum stu-

---

di dottorato, e 24. di lettura. Fu scolare carissimo al Mercuriale, ma dicono non studiasse molto in gioventù. E' però bel lettore, ha ingegno, giuditio, e buona lingua latina, con gratia, maniera, e vivacità nel dire, di sorta che le cose sue appariscono assai più che non sono, & nella pratica in Pisa è il primo dopo il Cornacchino.

(1) *Vide supra p. 63. Ejus editis operibus, quae eo in loco commemoravimus, addi possunt*: Definitiones Quitativae omnium humani corporis affectionum. *De eo autem sic decrevit Princeps an. 1612.* Il Notomista oltre la letione di notomia legga medicina o teorica o pratica con provvisione di Sc. 80. oltre li 270. che in tutto saranno 350.

dioſiſsime in arte Raimundi Lulli exercebantur (1). Docuit etiam nos idem Sommaja quid judicare debeamus de duobus medicis Piſanis Oliverio Celata, & Joanne Bellavita, eodemque teste, minime illos in clarorum medicorum numero ponemus, quanquam faverit sic fortuna Celatae, humili loco nato, & lingua imprompto, ut nemo fere Pisis aegrotaret, qui ejus consilia non exquireret. Assignatum etiam anno 1628. Bellavitae onus fuit docendae anatomes; sed trium annorum spatio unum alterumve tantummodo secuit tremula manu cadaver, omninoque defuit ipsi in illius partibus exponendis prompta dicendi celeritas, eaque propter cum dono LXXXX. centussium loco motus fuit. Si novisset ea, quae verecundorum, dimissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum sunt, conciliare benevolentiam, gratior ejus opera extitisset, nec opus eidem fuisset arte mercandi a poetis plausus assentationis plenissimis: sed his mentiri concessum esse videtur (2). Ille prior naturae cessit an. 1633. hunc autem vitam ad an. 1640. produxisse reor.

(1) *Haec de iis Sommaja*. I due Macoli ed il Dempster Scozzese possedevano, ed esercitavano l'arte di Raimondo Lulli. Nel 1617. poi S. A. fece a Jacopo e Giovanni questo rescritto. Che volendo leggessero fino a Quaresima ed avessero la metà della provvisione, cioè Scudi 200, e che non leggendo fino a quel tempo ne avessero soli 100. Lesse Giovanni, e il fratello partì contento di Scudi 100. *Is antequam Pisas veniret, tum philosophiam, tum medicinam in urbe Monte Pessulano docuerat*.

(2) *Liber extat sic inscriptus*. Carmina varia (*Latina*, *Italica*, *Gallica*, *Hispanica*) de laudibus perillustris & excellentis. D. D. Jo. Baptistae Bellaviti Anatomici Pisani, & in Patrio celeberrimo Gymnasio medicinam Extraordinariam publice legentis: Pisis apud Leonardum Zeffium 1628. *Jam vero si Sommajam audire cupis, haec anno 1631. Principi narravit*. Abbiamo due medici Estraordinarj in Pisa, che in vero non sono tenuti capaci di ordinarj, e letture principali; suttavia la scarsità grande de' soggetti,

Restat ut de Stephano Roderico Castrensi dicam, quo huic capiti finem imponam. Et historiae quidem munere illum dignum putabis, quod in tantum honorem ascenderit, ut omnibus suae aetatis medicinae magistris superior fuisse videatur. Patria illi fuit Ulyssipo, ubi parentibus Francisco Rodriguez Castrensi, & Isabella Alvarezia in lucem hominum venit XIII. Kal. Decembres an. 1562. Vividum a natura habuit ingenium, quod cum principio dedidisset poesi, elegos, epigrammata, & heroica scripsisse satis eleganter traditur. Grandior factus philosophiam ac medicinam in Conymbricensi Academia toto pectore hausit, & theologiam quoque a limine salutavit. Scientiarum amore adeo incensus erat, ut illum se amisisse diem arbitraretur, quo saltem octo solidas horas in studiis non insumpsisset. Magna de illo fama surrexit, statim ac medicinam facere coepit, quod non tam illius doctrinae, quam fortunae tribuendum est. Felicissimus enim fuisse dicitur ad divinandas morborum caussas, & ad remedia praescribenda. Interea Genoevam Figueiram, feminam nobili genere ortam & bene nummatam in matrimonium duxit, ex qua tres suscepit liberos, quorum bini in tenera aetate vitam amiserunt. Horum caritas minime illum retinuit, quominus satisfaceret desiderio longe lateque peregrinandi ad

---

e la servitù di più e più anni fatta allo Studio, merita credo molta considerazione. Gio. Batista Bellavita Pisano Figlio di Benedetto, che fu Cancelliere dello Studio, è uno de'due, Dottore nel 1610. Lettore nel 1616. ha fatto anche l'Anatomia tre anni, ma non ha dato piena soddisfatione, non avendo tra le altre imperfezioni la mano ferma e sicura, come ricerca quel mestiere, e mancando in parte della dottrina necessaria ad un medico principale e anatomico. Olivieri Celata è l'altro, Dottore nel 1610. e Lettore nel 1612. che ha Sc. 85. di stipendio, e il Bellavita ne ha 100. Il Celata è salito con estraordinaria fortuna in ogni reputazione nella pratica, e fa tutte le faccende in Pisa, e se vengono forestieri di qualità, havendo bisogno, sogliono valersi di lui

augendam sapientiam, ac postremo cum Florentiam advenisset, captus urbis pulchritudine, & civium humanitate atque doctrina, ibi sedem ponere deliberavit. Tum adeo aegrotabat Gerius Spina Jurisconsultus ac Senator clarissimus, ut de ejus vita omnes desperarent. Adest Castrensis, eumdemque ad sanitatem brevi revocat. Cum aestu febrique jactaretur Scalandronius Presbyter, poscit medicus vas aquae gelidae, eaque faciem aegroti nihil tale suspicantis perfudit. Hoc facto, ita levatur, ut Deus aliquis medicinam fecisse videretur. Simplicissimis hujusmodi remediis saepe levationem quoque attulit aegritudinibus, quibus Magnus Dux affligebatur, atque ex hoc fama, munera, ceteraeque animi grati significationes (1). Eidem quoque Magno Duci comes adfuit, vigil sane ne morbo tentaretur, in itinere, quod habuit ad Lauretanam Domum, ex quo rediens Archiater nominatus fuit, & Academiae Pisanae addictus. Assignatum illi stipendium DCC. centussium, liberatus onere disputandi in circulis cum competitore, quanquam plures erant, qui cum eo luctari potuissent, data potestas quae libuisset explicandi, Primarii primum, ac postremo, an. scilicet 1636. Supraordinarii Professoris titulo decoratus. Tum quo quis erat illustrior, eo vehementius contendebat de honoris gradu; & testis est Jacobus de Comitibus (2) commissum fuisse tribus Florentinis Judicibus, ut cognoscerent, num Castrensis anteire debebat ceteris omnibus magistris, idcirco quia Supraordinarius declaratus fuerat. Ii qui-

---

(1) *In ephemeride quadam haec narrantur*. Avendo S. A. per mezzo del Sig. Stefano di Castro Portughese, eccellente medico ricevuto la sanità nelle sue presenti malattie, e volendo in parte riconoscerlo delle sue fatiche e diligenze, lo fece regalare per le mani del Sig. Marchese Colloredo di una catena d'oro a quattro fila con una medaglia d'oro con l'impronta di S. A. S. e della Serenissima Arciduchessa, attaccata a detta catena di valuta di Sc. 400. accompagnata colle presenti parole; *che S. A. S. li donava quella catena per un piccol segno di quanto le era grata.*

(2) Tom. II. P. I. p. CXXXVIII.

dem judicarunt omnibus, unis exceptis theologis, illum honore anteferendum esse. Celebritas hominis tollebat suspicionem gratiae, isque cum intelligeret se non modo iniquorum invidiae, sed etiam aequorum expectationi posse satisfacere, plura vulganda suscepit, quae fidem facerent se dignum esse honoribus, quibus a Mediceis Principibus (non minus enim Ferdinando II. quam ejus patri Cosmo charus fuit) afficiebatur. Emiserat jam eodem illo anno, quo primum ad Academiam accessit, *Auspicalem orationem habitam ante ingressum Praelectionum ad libellum Hippocratis de aere, aquis & locis*, in qua si dicam majora eum promisisse, quam praestitit, haud mentiri videbor. Nam cum sint in manibus hominum, si non omnes, multae tamen ex ejus acroasibus, quas ipsius filius Franciscus typis commisit, ex iis quidem judicare quilibet potest, tales non fuisse Castrensis labores, assiduitatem, diligentiam, addam etiam dimicationes, ut squalorem sordesque, quibus jamdiu foedata erat medicina, deterserint. Multa enim iis temporibus probabantur, quae nunc tanquam leviora irridemus, & jam inter omnes sapientes liquet, eos, qui fictis commentitiisque rebus fidem praebebant, atque a nimia credulitate hominum plausus captabant (caussarum enim ignoratio facile mirationem faciebat) & experientiam cum ratione minime conjungebant, ex fallacissimo, vel saltem levissimo hominum genere constitisse. Neque haec a me ea mente dici putabis, ut omni orbem gloria Castrensem; scias volo eum, qui princeps in medicina facienda sua aetate judicatus est, si hac nostra viveret, prudentiorum judicio vix fore secundum. Cum Pisae, ut & aliae Etruriae urbes pestilentia affligerentur, principio Castrensis minime morbi naturam novit, cognita autem, quae proposuit remedia ad illum curandum, minime digna medico, cui haec res commissa fuerat, judicabis (1). Subveniri posse putabat co-

(1) *Id totum cognosces ex libro, quem Pisis vulgavit anno 1631. quique ja-*

licis doloribus lapide quodam ex America ad nos advecto, quique Hispanico nomine appellabatur *Piedra de Hyada*. Cum opus magnum, & argumenti utilitate commendatissimum in manus sumpsisset, quod *de complexu morborum* inscripsit, quodque vulgatum fuit Florentiae an. 1624. tantam in illud iutulit levissimarum rerum copiam, ut hujus medicinae infantiae garrulam disciplinam contemnamus. Non felicius de sero lactis egit, quam ob rem a Petro Servio Spoletino acriter reprehensus fuit. Hoc vero nomine ipsum laudamus, quod fidem minime praestiterit Laurentio Giuberto, Jo. Costaeo, & Simeoni Portio, qui incredibilia narraverant de longissimis inediis, ad quos erroris convincendos *Tractatum de Asitia* an. 1630. Florentiae edidit. Cum vero ob id multorum sermone, & nounullorum etiam scriptis se sentiret vapulare, magnae molis volumen cum hoc titulo emisit: *Commentarius in Hippocratis Coi libellum de alimento, in quo multiplici didascalia variae controversiae in utramque partem disputantur, & argumentorum funibus, authorumque securibus satyro cornua ligantur: opus in quatuor sectiones divisum, quarum priores duae*

scribitur. Il Curioso, nel quale in dialogo si discorre del male di peste, composto dal Sig. Stefano Roderico de Castro, Lettore della Theorica nello Studio di Pisa, e Consultore dell'Illustriss. Magistrato della Sanità di Firenze. *Merito laudantur quae de contagiosis morbis quodam in loco dixit. Ait enim*: e se qualche volta è stato altrimenti, almeno si deve credere che nel progresso del male di non contagioso si è fatto contagioso. Perocchè la moltitudine degli ammalati, e di quelli, che gli assistono, può imbrattar l'aria, e la riprova è chiara, perocchè in ogni tempo l'aria degli spedali è da fuggirsi non per altro, se non perchè il fiato degli ammalati la riempie di cattivi vapori. Immagino similmente che in tempo, che in una città vi sono molti ammalati, quella città è uno spedale. *Vel ante hoc tempus ediderat Florentiae*: Compendio di avvertimenti per preservazione e curazione della peste. Firenze 1630. in 12.

Digitized by Google

in hoc volumine continentur, auctore &c. Florentiae in Typograph. Sermartelliana 1635. Cornuti Satyri nomen dedit Fortunio Liceto, quem etiam a patria vocavit Satyrum de Recho, ubi ortum a Tonsore habuisse affirmat. Hujus infamare praesertim injuriam voluit, nulli parcens maledicto, ad nauseam usque, quod adversus se librum in vulgus edidisset cum hoc titulo: *de Ferriis altricis animae, nemeseticae Disputationes, in quibus Encyclopediae, medicinae, philosophiae, celsiorisque sapientiae praesidio propulsantur ab olim culto mirabili mortalium jejunio, vulgatae recens oppugnationes Asitiastis de Castro: Patavii* 1631. Hujus operis postremam partem vulgavit Stephani filius Franciscus an. 1639. & Ferdinando II. nuncupavit. Alia plurima patris scripta idem in lucem emisit, quorum omnium mentionem facere minime necessarium arbitramur (1), quod tan-

(1) *Vid.* Haller. Commentar. ad Studium Practicum Boerhaavii Tom. II. p. 40. & 373. *edit. Venetae. Ceterum si scire cupis quid de ipso senserint Academiae Praefecti, audi Sommajam an. 1629. haec Principi narrantem.*

Stefano di Castro da Lisbona Portughese Dottore nel 1586. Lettore in Pisa nel 1617. con Sc. 700.

Questo è huomo dotto, & assai stimato fuori, essendo bonissimo Filosofo & Medico così in Theorica, come in Pratica. E' Poeta molto più che ordinario, Latino principalmente, ma anco Spagnolo & Italiano, ha lingua latina elegantissima, & concludendo è huomo per dottrina eminente, & riguardevole, come attestano anco più sue opere stampate, se bene i Medici, che per lo più li sono acerbissimi nemici, dicono che hà mostrato in esse, & principalmente in quella de Meterois Microcosmi, che alcuni ammirano, di essere buon Filosofo, ma che di Medicina ha trattato in essa pochissimo

Domanda hora tre cose, Aumento, non perdere nella moneta che riscuote del suo stipendio, e titolo di Sopr' Ordinario, prerogativa honorevolissima nelli Studj. Egli in 12. anni che hà letto non hà mai havuto aumento,

tanti non esse putamus, ut instruere possint eos, qui cum medicina anatomes & sanioris philosophiae studia conjunxerunt. O hominem, inquies, fortunatum Castrensem, qui nihilo tamen minus famam, divitias, honores sibi comparavit, & qui ab omnibus expetitus vitam felicissime ad LXXVIII. usque aetatis annum [mortuus est enim III. Kal. Quint. 1640.] produxit!

Sed ut extremum aliquid habeat oratio mea de medicinae magistris, concludam, gratulandum esse saeculo huic, quod pulsae tandem fuerunt e scholis aniles ineptiae, & quod non amplius audiamus Praeceptores de rebus inanissimis argutissime atque iracunde inter se disputantes. Quis nunc ferret Castrensem magno clamore quaestionem habentem, *utrum inter sanitatem & morbum detur medium*, & num a Spiritibus perturbari valetudo possit, & cetera hujusmodi afferentem in medium, quae mirabiliter conducebant ad confirmandos populares errores, minime vero ad veritatem detegendam? Sed quamvis medicina iis, de quibus scribimus, temporibus suam pristinam dignitatem minime recuperasset, in eo tamen statu erat, ut deteriora vitia superiorum aetatum minime tulisset, & si a se ipsa dissentiens aliquid

et quando se li desse per le cause dette & per altre, saria benissimo impiegato, ma l'essere cresciute le spese dello Studio a segno che sopravanzano l'assegnamento delle Decime, ha causato che lui, & molti altri non l'hanno havuto in questo tempo, & che forse hora ci si andrà con qualche riguardo, massime per questi che hanno stipendij grossi, & altri guadagni, come il Castro, essendoci diversi poveretti, che stanno su l'orlo, per dire così, di lasciare per necessità la lettura, non potendo più reggersi con gli stipendij hanno, & altri che la seguiteranno per non havere altro ricapito, ma con gravissima incomodita delle case loro: tutti questi & molto maggiori impedimenti può rompere la liberalità di V. A. alla quale fanno ricorso. *Nihilo tamen minus rescripsit Princeps*. Diaseli aumento di 70. scudi.

aut falsum, aut incognitum probabat, multa tamen anatomes praesertim subsidio, quae disciplina jam coeperat esse in honore, removerat, quae obstabant atque impediebant, quominus apertis oculis homines viderent, quod verum sincerumque esset, & naturae accommodatum. Hac via plurimum salutaris ars provecta est: sed non desunt etiam his temporibus medici vitae hominum inimici, qui in contraria vitia currentes, in quae inciderant superioris aetatis Professores soliti nimium tribuere alienis dictis, affirmant multiplicem doctrinam atque eruditionem esse detrimento medicinae, quod haec tota usu & experimentis inniti debeat. Non equidem inficior plurimum in omnibus artibus valere usum, eoque potissimum ad naturae cognitionem perveniri, immo & prima sciendi initia ab experientia proficisci. Sed cum tot sint mala, quibus humanum corpus afficitur, tam multa ea praecedant & consequantur, tanta insit varietas & similitudo, tamque celeriter praetereat occasio, cum tot remedia & medendi modos variis aetatibus multae gentes expertae sint, cum differant pro natura locorum genera medicinae, nihil ne interesse putabimus inter medicum, qui ad experiendum illiteratos oculos affert, & eum, qui multarum disciplinarum instrumento ornatus ita didicit aliorum dicta atque praecepta, ut judicare possit, quae fidem mereantur, & sint convenientia morbo, quem debellandum suscepit? Dum hortamur medicinae studiosos, ne nimium sibi praefidentes contemnant veterum & recentiorum scripta, alloqui eos lubet Plinii junioris verbis, quibus amicum in Achajam proficiscentem ad gubernandam provinciam admonuit: *suus apud te sit honos antiquitatis, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque* (1).

---

(1) Epist. XXIV. lib. VIII.

CAPUT XIII.

De Philosophiae Magistris.

PRofecto nullibi fortunatior fuisse videtur philosophia, quam in Etruria. Diximus alias de hujus vicibus (1) & saepe laudes celebravimus Cosmi & Laurentii Mediceorum, qui extollendo Platonis dogmata, Peripateticorum, qui diu nimis in Scholis dominati fuerant, petulantiam fregerunt. Haec reviviscere tibi videbitur, cum explicavero vitas illorum, qui res philosophicas, ac praesertim physicas in hac nostra Academia tractarunt. Nec mirum, cum multi alienigenae ad illam vocarentur, neque Cosmus Magnus Dux hujus nominis I. hac in re majorum suorum gloriam aemularetur. Fidem ipse praebebat superstitiosis & inanitatis plenissimis ariolationibus, quod tantummodo imbecillis animi in eo signum apparuisse facile judicabis. Laus tamen ipsi danda est, quod minime segnis fuerit in magni nominis philosophis ad Academiam vocandis, e quibus primus mihi se se offert Mainettus Piccioli Mainettii civis Bononiensis filius, qui in patria Academia antea philosophiam ipsam publice docens non mediocrem sibi famam comparaverat. Per Matthaeum Curtium fidem suam Principi an. 1543. obligavit, & auctor est Antonius Benivienius in epistola quadam ad Petrum Victorium, in ingressu muneris eumdem luculentam,

T t 2

(1) Vol. I. Cap. VII.

doctiſſimamque habuiſſe orationem. Eruditus enim erat Graecis Latiniſque litteris, quod rarum erat, ac pene mirabile, in illius aetatis philoſophis. Prorſus ignoro qua de cauſſa aliquot annos ab Academia abfuerit. Rediit quidem ad eam an. 1556. & conſtanter in ipſa permanſit ad vitae ferme exitum. Eodem illo ſui reditus anno Torrentinianis typis Florentiae vulgavit libros *de ſenſibus & ſenſibilibus*, parique modo alia Ariſtotelia ſe tractaturum ſpopondit. Quod & fecit. Verum haec poſt illius mortem vulgata fuerunt; & quo tanti viri teſtatior etiam eſſet memoria, ſepulcri monumentum illi poſitum fuit in Bononienſi Aede S. Dominici cum hac inſcriptione: *MAYNECTUS PHILOSOPHUS ANNO DOMINI MDLXXII.* Idcirco fortaſſe pauca inſcripta, quod tum nota erat omnibus illius doctrina.

Clarior etiam iis temporibus fuiſſe videtur philoſophus Branda Porrus, nobili genere, & Achillinio, & Margarita Cinuſcola Mediolani natus an. 1457. Studiorum curſum tum in patrio, tum in Ticinenſi Gymnaſio confecit, & veteranus jam habebatur philoſophus, quando primis inſtauratae Academiae temporibus ad illam venit cum ſtipendio CCCCL. centuſſium. Antea ipſe Florentiam acceſſerat, & captus urbis natura & ſitu, & deſcriptione aedificiorum pulchritudineque, & jucunditate fertilitateque agrorum, atque copia eruditiſſimorum hominum, atque animo vere regio Coſmi Ducis, in Etruria ſe libentiſſime commoraturum oſtendit. Quapropter ſibi gratulatus eſt, quod hujus ſui deſiderii explendi oblata fuerit occaſio, & antequam Florentiam rediret, litteras ad Coſmum dedit (quaeſo ignoſce mihi, ſi talem virum appello ſaepius) ei dignitatem fortunaſque ſuas commendans. Diſceſſiſſe ab Academia videtur, cum ad illam venit Simeon Portius Neapolitanus, rediiſſe vero, quando ipſe vacuam fecit primariam philoſophiae cathedram cum Supraordinarii titulo, quo & ipſe Porrus decoratus eſt, perinde quaſi haec, quamvis clara, non ita habenda eſſent, ut eorum, qui illa ſuſtinent, doctrina eſt. Verum Branda minime verens inconſtantiae & invidiae culpam, non multos poſt menſes ad ſuos remeavit, & otii fructus fuit

Digitized by Google

non relaxatio, sed contentio animi, cum ad scribendum praesertim se contulisset. Ex multis, quae litteris mandavit, unus extat *Tractatus philosophicus de anima*, qui nil nisi Peripateticum, hoc est barbarum, redolet. Ipse Aristoteles, quo profectu nihil est acutius, nihil politius, si reviviseeret, verberaret sectatores hujusmodi, qui contempsisse videntur omnem disserendi elegantiam, quae facit, ut unaquaeque res pure & apte dicatur, quique plurimum se fatigando nil aliud, nisi alterius dicta quaerebant. Cum esset Porrus summa senectute an. 1571. mortem in patria obivit, relicto filio Aloysio, qui paternorum studiorum aemulus atque imitator fuit.

Quoniam supra Portii mentionem fecimus, de eo nunc dicendum videtur, & tenuisse illum inter philosophos principatum facile judicabimus, si amplissimum DCCCL. & amplius centussium stipendium, & titulum Supraordinarii, quo statim ac in Academiam an. 1546. venit, decoratus est, spectemus. Vel praeteritis temporibus, quando vetus florebat Academia, hujus adolescens meruerat stipendia. Anno enim 1520. munus in ea suscepit logices Doctoris cum tenui XXV. Florenorum stipendio; neque multos post dies, cognita fortasse hominis doctrina, quam praesertim Patavii hauserat a Pomponatio, locum & fortunam mutavit, factus Extraordinarius physicae Magister *cum salario*, ut est in monumentis Academiae, *XXXXV. Florenorum & pro duobus annis*. Atque haec gloriae Portii ferme incunabula fuere. Nam quando ad nos rediit, mira prorsus de eo fama vulgaverat. Verum parum abfuit quin haec haeserit ad metas in ipso muneris ingressu, de quo cum scribert Franciscus Spina ad Petrum Victorium, haec ait: *Portius vero ille Philosophus initium suarum lectionum fecit VI. Id. Nov. maximo omnium concursu. Ejus vero oratio tendebat ad meteora Aristotelis. Quum autem finem fecisset, a plurimis reclamatum est, anima, anima. Coactus itaque, aegre tertium de anima aggressus est: ejusmodi vero illius fuit oratio, ut minime hominum expectationi responderit*. Sane magna erat invidia collegarum. Superioribus enim saepe vehementer invidetur, & eo magis si iato-

lerantius se jactant, a quo vitio minime aberat Portius. Ceterum nullus locus erat, ubi facilius, quam in Etruria, summa illius cupiditas proficiendi semper aliquid in litteris satiari potuisset, quod in illam omnes nobiliores artes veluti in domum suam commigrasse videbantur. Tum quidem *de mente humana* magnum opus composuit edidit-que, nec non opusculum *de dolore*, quae, teste Jovio, in Cucullatorum praesertim voculas incurrerunt. Illud prius merito quidem insigni quadam nota ab iis condemnatum fuit, quorum munus est videre, ne quid Christiana Respublica ex pravis opinionibus detrimenti capiat. Omnia, quae adversus Pomponatium minus recta de animae immortalitate sentientem agitata fuere, in Portium erupere, & cum ipse intellexisset haec offendere animum Cosmi, tum fortasse deserendae Etruriae consilium cepit. Ad id jactabatur creditorum querelis, & in aes alienum eumdem incidisse ex litteris, quas supra attulimus, Laelii Taurellii (1) conjici potest. Dum ipse Pisis fuit (fuit autem ad annum usque 1554.) (2) praesertim incubuit in contexendam historiam Piscium, quam e manibus deposuit, postquam Rondeletii opus apparuit, nec non in explicandas Aristotelis opiniones *de coloribus*, quibus & addidit suas *de coloribus oculorum*. Disputavit etiam aliquando, *an homo bonus, vel malus volens fiat*, qua de re libellum confecit, quem ad Laelium Taurellium mittens ait, se Peripateticorum, minime vero Theologorum placitis sententias suas confirmasse; & miror equidem tantum hujusmodi disputationi tribuisse Jo. Baptistam Gellium, ut Portii opusculum ex Latina in Italicam linguam converterit. Quaedam alia vulgavit Portius *de coelibatu*, *de conflagratione agri Puteolani*, *de rerum naturalium principiis*, *de bonitate aquarum*, *de puella Germanica*, *quae biennium vixerat sine cibo &*

---

(1) *Vide hujusce voluminis* pag. 186.

(2) *Qui secus tradunt, errant quidem. Vid. Tiraboschium* Istoria della Letteratura Italiana Tom. VII. Part. II. p. 437.

potu, nec non *de precatione Dominica*, quae omnia cum legeris nec doctior, nec melior evaseris. Haec tamen efferebant illius aetatis homines, & fuit omnium consensus, litteratissimum fuisse Portium, & multis studiis, doctrinisque excultum. Ea propter Patavini Gymnasiarchae nihil non egerunt, ut ad se se illum allicerent, & doluisse visi sunt, quod ire recusaverit. Teste Thuano, qui pluribus eum laudat, praesertim *quod ad Peripateticae scientiae a Doctoribus barbaris tractatae cognitionem linguae Graecae, & bonarum litterarum ornamenta attulit nonnihil* (1), eodem illo anno, quo a nobis discessit, aetatis suae LVII. in patria diem extremum morte confecisse affirmare minime dubitamus.

Cum Florentinos in medium adducam, fortasse majus aliquid in iis fuisse judicabis, quod non essent ita addicti & consecrati Peripateticorum sententiis, ut ceterorum philosophorum dogmata aut ignoraverint, aut contempserint. Ex horum numero fuit quidem Antonius Lapinius, cujus egestatem & doctrinam notam fecit Cosmo magnus ille ingeniorum fautor Laelius Taurellius (2). Deest ejus nomen in al-

---

(1) Histor. lib. XIII. p. 405. Aurelianae edic. 1626.

(2) *Haec ad Lottinium an. 1548. scripsit Taurellius* (Filza LX.) Vedete che non si trova (un bravo filosofo) in rerum natura, & è più carestia d' uomini da bene oggi che mai. S. E. si potrà risolvere, come vorrà fare in questa penuria. Benche la filosofia mi pare non patischi molto, se il Porzio vorrà faticare un poco, e leggere cose utili a scholari, come non fece l' anno passato, che lesse letioni, si può dir da vaglia, e di niuno profieto a chi ha bisogno d' imparare. Per mio parere saria che S. E. mettesse mano a quella sua elementia naturale, e si lasciasse sforzare da essa, e facesse leggere quel poveraccio del Lapinn, che è maturato, & per quanto odo da ciascuno, & pochi dì sono dal Cavalcanti, che è del mestiere nella filosofia d'Aristotele, è buonissimo letterato. Abbiace voi l'opinione che vi piace, ma con buona pace vostra crederei che la Filosofia stesse

bo Doctorum an. 1552. quod an morte (1) an pactione, postquam per novem & amplius annos operam Academiae tribuerat, an voluntate Principis evenerit, parum comperimus. Porro is doctus erat Graecis Latinisque litteris, tenebat facultatem copiose & subtiliter disputandi, a quo maxima ex parte Doctorum fama pendebat, seque ita in philosophiae portum contulerat, ut nihil earum rerum ignoraret, quae a nobilissimis sapientiae magistris tradita fuerant.

Non minus philosophus gravissimus, & subtilis disputator habebatur Remigius Miglioratus in S. Sepulcri urbe natus, quem e Patavino Gymnasio, ubi Logicam docebat, ad Pisanum Cosmus Dux autumno an. 1543. vocavit. Parem eum fecit Lapinio mercede, quae erat CC. & paullo amplius centussium, & loco. Fidus Aristotelis interpres in certamen venit cum Argenterio homine sane dicaci, ut Graeci philosophi sententias *de putredine* tueretur. Nemo autem ignorat quantum hac in re a veritate Peripatetici aberrarent. Verum iis temporibus magna laus erat eorum sensus explicare & defendere, quapropter de Migliorato, cum ejus edenda scripta quaedam curasset ejusdem discipulus Flaminius Nobilius, scripsit: *Remigius Miglioratus, cum diligentissimus esset in verbis Aristotelis perpendendis, idcircoque saepe veram sententiam assequeretur, immortalem sibi gloriam com-*

bene ogni volta ch'egli e il Remigio leggessero, perchè non solamente leggono in cattedra, ma in casa, e sempre conferiscono co' loro scolari in casa e fuori, e così s'impara. Il Porzio non può molto, e più serve la sua reputatione e il nome, che l'effetto.

(1) *Statuam illi positam fuisse in Pisano Carmelitarum Templo auctor est Paullus Minius* (Difesa della città di Firenze). *Sed ea quidem nunc minime extat, neque extitisse ex illius Templi monumentis sciri potuit. Haec autem Minius tradidit.* Chirico Strozzi.... meriterebbe statua di marmo, come la meritò Antonio Lapini, Filosofo singolarissimo, nel Tempio de' Frati Carmelitani di Pisa.

comparavit, *suique temporis Dialecticorum semper est habitus Princeps*. De illius autem in dialecticis rebus doctrina judicari quidem poterit ex ejus opusculis *de Praepositione inhaerente*, & *de medio Demonstrationis termino*, quoniam haec non ferebat modo illa aetas, sed etiam mirum in modum celebrabat (1). Decennium & amplius apud nos fuit, ordinariam philosophiae cathedram tenens, cum eodem tempore extraordinariae satisfecissent Damianus Montisianius, Bartholomaeus Gatteschius, & Joannes Strozius.

Satis de Gatteschio supra diximus, cum de medicis egimus, quo in loco mentionem quoque facere potuissemus Damiani Montisianii Geminianensis, qui medicinam docuit ab an. 1554. ad annum usque 1574., & de ea bene meritus esse judicatus est, editis libris *de medicinalibus quaestionibus*, & *de sanguinis missione in morbo laterali*. Vir erat acris ingenii, utque claresceret magnis inimicitiis, sententias quasdam Ticinensis Curtii, & Turinii Pisciensis oppugnandas suscepit. Haec res odium in ipsum commovit, accusatusque fuit apud Cosmum Ducem futilia & anilia e superiori loco tradere. Sed haec ipsa accusatio ejus famam auxit. Nam cum occulte se in illius scholam insinuasset Cosmus ipse, & per se novisset accusatorum perfidiam & iniquitatem, majoribus honoribus ac praemiis ornandum Montisianium putavit. Sunt in hanc rem testes Geminianensium historiarum scriptor Coppius, ac nonnulli, qui laudes Cosmi celebrarunt. Et quod iis temporibus summum gradum honoris ascendere ii magistri putabantur, qui supraordinarii titulo donabantur, hoc ipso decoratus est an. 1555. Montisianius, non tanquam physicae, sed tanquam dialecticae praeceptor, ut par esset Borrio, qui in illa priori

(1) *Edita haec fuerunt Lucae an. 1554. apud Vincent. Busdragum cum Dissertatione* de Putredine.

facultate docenda hac glorioſa oſtentatione utebatur. E vita ceſſit an. 1575. multorumque laudibus celebrata ejus virtus fuit.

Si cui propter ſingularia merita ſingulares honores deferendi erant, is erat profecto Joannes Strođius Caroli & Margaritae Naſiae filius. Idem venerat in lucem an. 1517., neque admodum proſpero initio vitae, quod ejus parentes nobiliſſimos ex adverſis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna minime revocaverat. Hujus iniquitatem ut ſarciret Joannes, incredibili prope labore in ſtudia incubuit, audivitque Franciſcum Verinium ſeniorem, hominem ſane multis praeſtantem litteris, quem publice in Sancti Spiritus Aede laudavit. Quamvis Joannes vix tum attigerat XXIV. aetatis annum, ejus oratio non elegans modo, ſed & ſummo artificio facta, & ſumma arte judicata eſt (1). Eodem tempore Academiae Florentinae Conſul creatus eſt, & a Coſmo I. Florentinorum Duce, qui illam inſtituerat ad Etruſcam linguam moderandam augendamque, plura eidem honorifica obtinuit. Quod ipſe in omni recto ſtudio atque humanitate verſabatur, ejus domus colebatur ab omnibus iis, qui ingenii & doctrinae laude florebant, quos ſic dimittebat, ut aliquid ſemper ex ſe diſcerent. Cujus rei teſtem habemus Angelum Firenzolam, qui de Joanne ea praedicavit, perinde ac ſi philoſophiae & litterarum ſpes in eo ſita eſſet. Anno 1547. factus eſt extraordinarius, & quinquennio poſt ordinarius philoſophiae magiſter, neque multo poſt Academiam Piſanam deſeruit, non tam ut rei domeſticae (Dominicam enim Carneſecchiam inſigni caſtitate, & innocentia feminam uxorem duxit, ex qua nullos ſuſcepit liberos) quam ut publicis rebus vacaret. Multis enim magniſque in rebus a Coſmo adhiberi eſt coeptus. Legavit ipſum poſt Caroli V. Caeſaris mortem ad Ferdinandum IV. ejus fratrem, ut

(1) *De hac oratione haec tradidit Franciſcus Verinius junior ſuis in Platonicis concluſionibus* (p. 119.). Meſſer Franceſco de' Vieri, detto il Veri-

in voluntate, quam Carolus erga se habuerat, confirmaret, eique de regno gratularetur. Fertur tum eloquentiae & prudentiae plenam habuisse Latinam orationem, sic ut historici plures de illa mentionem fecerint. Post id cum aliis tribus generis nobilitate claris viris Romam missus est, ut declararet Summo Pontifici Pio IV. quam obediens ejus imperio futurus esset Cosmus. Quod huic Pontifici magnopere curae erat, ut Tridentinum Concilium pergeret porro, & decerneret quae restabant, egit cum Cosmo, ut suum illuc legatum mitteret, quod munus delatum est Stroctio, quem sibi carissimum esse, & fide, probitate atque eruditione omnibus antecellere suis in litteris declaravit Cosmus ipse. Ut de illius adventu audierunt Patres, plures ex iis obviam eidem ivere (sexaginta usque fuisse testatur Pallavicinius) & cum omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum esset paratus, singulare praestitit studium atque utilitatem Catholicae Reipublicae. Erant saepe in eo Concilio controversiae de gradu honoris, quas minime evitare potuit Stroctius, ex quo factum est, ut Cosmus ejus in locum suffecerit hominem Episcopali dignitate praeditum, qui fuit Hieronymus Gaddius Cortonensium Antistes. Rediens in patriam Joannes nil nisi otiosam & tranquillam vitam spectavit. Sed ei meliorem attulit statum mors, quam obivit XI. Kal. Sept. an. 1570. Sepultus est in S. Trinitatis Aede in sepulcro majorum cum hac inscriptione.

no primo, mio avolo, il quale & in Pisa & in Firenze lesse pubblicamente tutte le parti della Peripatetica filosofia anni 40, e gli furono fatte dalla patria e dal Serenissimo Gran Duca Cosimo in S. Spirito honorabilissime esequie, & l'eccellentissimo filosofo, & nobilissimo, et suo Scolare Mes. Giovanni Strozzi recitò una bella orazione, lodandolo sommamente, & con verità, di eccellenza di dottrina, & di bontà di vita.

D. O. M.

Joanni Strozzae Philosophiam summa

Cum laude professo ad Ferdinandum

Imperatorem Pium iv. Pontificem

Et concilium Tridentinum Amplissimis

Legationibus functo

Petrus Strozza Pandulph. F.

Gentili de se optime merito P.

Vixit an. lii. Menses xi. Dies ix.

Obiit an. Sal. ciↄ iↄ lxx.

Cathedram extraordinariae philosophiae, quam reliquit Stroctius an. 1552. ad ordinariam ascendens, occupavit Silvaggius Ghettinius, Petri Pauli F. qui doctissimus a Varchio appellatur (1), quique antea logices cathedram rexerat. Ghettiniorum familia vel ab an. 1514. Florentia Pisas habitatum venit, dataque ei civitas fuit. Hac in urbe natus est Silvaggius, & cum duarum civitatum civis esset, utrique praeclare servivit. Nam Consulatum Academiae Florentinae gessit, & philosophiam in Lyceo Pisano ad an. usque 1560. explicavit. Quantum ejus ingenio & doctrinae tribuerent suae aetatis homines, ex

(1) Lezione sopra la natura.

Digitized by Google

Nicolai Martellii ad eum datis epistolis intelligi potest, quantum vero de Academia Florentina, in qua saepe illius vox erudita audiebatur, meritus esset, illius monumenta testantur. Solitus autem ipse aestivis temporibus, cum vacabat a publico docendi munere, Florentiae commorari, ibi vitae cursum explevit. Homo, qui ab initio aetatis egregiae eruditionis, & litterarum non vulgarium perstudiosus fuit, irrisit semper Gymnosophistas illos, qui barbare jubebant loqui Aristotelem, quem non intellexisset Oedipus, ita implicite obscureque omnia interpretum vitio, philosophi ordinem evertentium, & verba atque sententias huc & illuc torquentium tradebantur. Queri & ipse videbatur de suae aetatis Dialecticis, quasi nihil ejus scientiae haberent, quam profitebantur, nisi quod maxime essent contentiosi. Quae ipsi perplacuerint ignoramus. Ejus quidem opera gratissima fuit Cosmo, & ab eo maximi facta est.

Anno 1553. collega Ghettinio datus est Hieronymus Borrius Aretinus. Multum sibi tribuisse videtur cum Doctoratus, ut loquuntur, privilegium a Comite quodam Palatino an. 1535. petens non solum philosophiae & medicinae, sed etiam theologiae insignibus decorari voluit. Sexennio post ab Academia discessit, ad quam rediit an. 1575. eodem illo anno, quo accusatus a Caesalpini filio severitatem Quaesitorum Fidei expertus fuerat. In vincula enim conjectus ex iis caussam dixit, & absolutus est. Ante hoc tempus non Romae solum, aliisque in Italicis Academiis, sed & Parisiis coram ipso Rege doctrinae suae in philosophicis disciplinis periculum fecerat; qua de re saepe ita gloriabatur, ut prae se reliquos philosophos parvi facere videretur. Quare minime est mirandum si multis invidiosus, atque offensus esset. Quae ipse de Verinio, & Bonamicio ad Franciscum I. retulit (1)

Serenissimo G. Duca Signore e Padron mio unico.

(1) Le persecutioni mi sforzano a rompere il freno alla modestia, et a supplicare

declarant quidem inter eos exortam fuisse illam aemulationem, quae in vitio ponitur, quod non sit imitatio virtutis, sed aegritudo ex eo, quod alius potiatur honore, quo ipse careat. Nescio enim quomodo apud ipsos increbuerat Borrium titulo Supraordinarii Doctoris decoratum iri, ad quem honorem non ii modo, sed & Camutius adspirabant. Hic quidem locum honoratiorem Borrio se nullo modo concessurum affirmabat, allegationesque quasdam (sic ipse appellavit) ut alibi quoque innuimus, conscripsit, ut Principi probaret quanto ipse competitore suo dignior esset. Has ob caussas fuere discipulorum contentiones,

---

V. A. ad informarsi da Mes. Lelio, et troverà assai più, ch' io non scrivo. Il caso è questo. Tosto che io fui qui giunto, il Buonamico, e il Verino congiurati mi mossero lite, impedirono i circoli, et tutto il resto del servigio di V. A., et per farsi a me superiori s' ingegnarono di annullare il mio dottorato, giudicato buono da Mes. Lelio, e dalla felice memoria del G. Duca Cosimo con due sententie conformi, le quali ebbero la loro esecutione: questo è il primo capo. Appresso i congiurati si vantano havermi tolto la provvisione et la cathedra per gratia da V. A. concessami con scrittura fermata di suo pugno fino dalli 11. d' Agosto 1575., et da me honoratamente tenuta a Parigi et negli altri Studj dell' Italia, come pubblicamente si sà: questo è il secondo. Terzo si vantano e minacciano di farmi perdere ogni giorno alcuna di quelle gratie, che mi sono state concesse, infino a tanto che mi riduchino a nulla appresso di V. A. Con ambidue è congiurato il Perignano Cancelliere passato di questo Studio, da cui mi è stato ritenuto il mio privilegio dal dì in quà, che lo produssi negli atti, et sono già più di 20. anni: di che io, sì per non esser molesto a V. A., sì perchè negli altri Studj del mio dottorato niuno mi addimandò giammai, sì anche per la mia modestia, non mi son lamentato. Hora supplico mi si renda, e ciò sforzato contro ogni mio volere dalla congiura.

Serenissimo mio unico Signore, infino da Parigi sono venuti ad udirmi, et ne verranno ancora se le cose mie si quietano. Per me hanno supplicato i Consiglieri e gli Oltramontani di questo Studio, di che io non ho saputo nul-

qui in diversas abierant partes, moti vel opinione doctrinae, vel artibus eorum, qui inter se de principatu pugnabant. Borrius autem non minus id se laborasse visus est, uti ea quae vellet impetraret, quam ne ea, quae scripsisset, enuntiarentur, propterea quod si enuntiatum esset, summam in invidiam se venturum videbat. Homo quidem in honoribus & praemiis laborum petendis nimis erat ambitiosus, & cum ei penderentur CCCCL. centusses, hac mercede ad liberaliter vivendum facile contentus esse potuisset. Si ipsum audivisses, moderatiorem ac modestiorem minime quaesiisses. Tandem ejus loquacitate factum est, ut an. 1586. ab Academia dimitteretur, & quod superfuit vitae mo-

---

la, se non dopo il fatto, come si vede nelle scritture, che sono in mano del Sig. Concino. Il Verino non ha scolari, però col mezzo del Buonamico e del Guidi medico di questo Studio estraordinario, e del logico Gambarelli, ha messo sotto a certi scolari per la maggior parte Fiorentini una scrittura, quale hanno sottoscritta, senza sapere quello hanno sottoscritto, in cui si dice che desiderano il Verino, et non il Borro per Filosofo sopraordinario: nondimeno i sottoscritti per lo più non sono entrati, e dicono che non entreranno mai nella sua scuola, di che Mes. Lelio ha fedi certissime, a lui da me mandate: ci sono molte altre persecutioni, quali si tacciono per non essere molesto a V. A. Quanto questi travaglj siano gravi a questa mia ultima vecchiaja, quale ha bisogno di riposo, il lascio giudicare a V. A. et il più efficacemente, che io so e posso, le raccomando l'innocentissima innocenza mia, ingiustamente perseguitata, et la supplico a far sì, ch'io la possa servire in pace tutto questo poco di vita, che avvanza agli anni miei stracchi omai, che altro non desidero che finirgli nel servizio prima d'Iddio, poi di V. A. in tutti que' modi che le piace....

Di Pisa a dì 15. di Marzo 1576.

Humilissimo et obbligatissimo Servitore
Hieronimo Borro ingiustamente perseguitato.

Digitized by Google

roso, & anxio, & iracundo & difficili seni, Perusiae, ubi publice philosophiam docuit, consumpsit. Ea in urbe diem extremum obiit an. 1592., sepulcri autem monumentum habuit in patria apud Franciscanos, in quo haec inscripta fuerunt.

D. O. M,

HIERONYMO. BORRO. PROTH.

APOSTOLICO. COMITI. PALATINO.

EQITIQ. ONORAR IO.

THEOLOGIAE. LITERARUMQUE.

HEBRAICARUM. LONGE.

PERITISSIMO. PHILOSOPHIAM.

MEDICINAMQUE. ROMAE. PARISIIS.

UBI. ET. SAEPE. REGEM. IPSUM.

GALLIARUM. AUDITOREM.

HABUIT. PISIS. SENIS. PERUSIAE.

OMNINO. PER. DUOS.

ET. QUINQUAGINTA. ANNOS.

DOCENDO. PUBLICE. PROFESSOR.

LAELIUS. BORRIUS. M. P. S. QUI. EUM. HUC.

IN. PATRIAM. REFERENDUM. CURAVIT.

OBIIT. PERUSIAE. VII. KAL. SEPTEMB.

CIƆ. IƆ. XCII.

VIXIT. AN. LXXX.

Ag-

Digitized by Google

Aetate Borrium antecedebat ejus civis Petrus Mariotti Camposacchii filius, ipse quoque in nobilibus philosophis illorum temporum habitus. Carus fuisse traditur Francisco I. quocum saepe non de philosophia modo, sed & de divinis rebus sermones habebat. Deditus enim vel ab adolescentia theologicis studiis, ab his famam aliquam se consequi posse speravit. Anno enim 1572. vulgavit Florentiae *in S. Joannis Apostoli Apocalypsin Observationem ad Selinum II. Imperatorem*, quo in opere sibi proposuit non modo exponere Apostoli sensus, sed etiam quaedam aperire mysteria. Ex fronte libri facile de ingenio hominis judicabis, qui induere etiam se posse personam theologi putavit, cum de ode quadam Petrarchae, cujus est initium, *Vergine bella*, in coetu virorum eruditorum pluribus disseruisset. Vulgavit haec Florentiae an. 1567., iisdem temporibus, quibus apud nos philosophiam docebat. Venit enim ad Acadamiam an. 1560. Logices praeceptor, in eaque fuit ad annum usque 1575. Mortem vero obivit Florentiae an. 1591. neque mediocrem de se opinionem reliquit, quod cum rerum divinarum humanarumque scientia conjunxerat poesis, ceterarumque artium liberaliorum studium. Laudatorem praesertim habuit Bonifatium Vannoctium, qui de illius doctriua & scriptis (1) mira prorsus praedicavit (2). Verum si hic as-

(1) *Haec vulgavit Borrius*. Del flusso e riflusso del Mare, e della inondazione del Nilo. Firenze per il Marescotti 1567. 1577. & 1583. in 8.
De motu gravium & levium, Florentiae 1576. in fol.
Dialoghi della perfezione delle donne, Lucca 1576.
De Peripateticea docendi atque addiscendi methodo ad Franciscum Mariam Feltrium Ducem. Florent. apud Sermartellium 1584. in 8.
Ejus epistola ad Petrum Aretinum, quocum erat & patria & amicitia conjunctissimus, extat in collectione delle lettere di diversi scritte all' Aretino. Lib. II. p. 115.

(2) Lettere Tom. I. p. 227.

sentatorie, aut minus perite, ut temporum conditio ferebat, judicasse tibi videbitur, me quoque tuae adscribito sententiae.

Semel iterumque mentionem fecimus de Thoma Cornacchinio; ut de eo nunc dicendum minime videatur, quamquam Philosophiae cathedrae per triennium praefuerit. Properabimus itaque ad Franciscum Verinium Florentinum, Jo. Baptistae Filium, qui an. 1553. ad nos venit Logices magister, & anno post extraordinariam Philosophiae cathedram conscendit. Anno 1590. cum ipsi penderentur CCCCL. centusses, ejus decrepitae aetatis, & meritorum in Academiam habendam rationem esse putavit Princeps. Jussit itaque ei, dum viveret, pendi CCC. centusses cum libertate, quod vellet, faciendi. Iis temporibus, cum vacationes a schola dabantur veteranis Magistris, dimidia plerumque pars detrahebatur ex illorum stipendio, & quod tertiam tantummodo amiserit Verinius, ex eo conjici poterit quantum illi tribueretur. Fuit quidem vir cum paucis comparandus, & cum omnibus esset nota ejus doctrina & in Academiam merita, confidentissime restitit Borrio, ne sibi praeferretur (1). Nunc obscurum & pene igno-

(1) *Has ad Franciscum Mediceum dedit litteras*. Io Francesco di Vieri humil Servitore di V. A. S. che l' ho servita nello Studio di Pisa anni 23. le ricordo come non ci è alcuno Dottore, che abbia letta la Filosofia quanto me a gran pezzo, & cosl le raccomando l' honore mio, & tutto questo mi muovo a fare, perchè Mes. Girolamo Borro mio concorrente ha già fatte gran pratiche, & fatta fare una supplica in nome degli Scolari, che lo chiegghino a V. A. S. per Filosofo Sopraordinario. La onde molti altri Scolari hanno fatto questo medesimo in nome mio, quando V. A. S. lo voglia vedere. Ma io voglio servire quella sempre fedelmente in quel grado, ch' ella mi terrà. Solamente le ho voluto ricordare la mia lunga servitù, oltre a quella del mio Avolo il Verino Vecchio, del quale ora riveggo gli scritti, & di altri miei della casa. Similmente ricordo a V. A. S. ch' io mi trovo carico di otto figliuoli, 4. maschi & 4. femmine, & che io di dottorato precedo al Borro, & habbiamo di-

tum est Borrii nomen; nemo vero est in litteris adeo hospes, qui nesciat fuisse Verinium patre, avo, majoribusque suis dignissimum. Palam ipse jam omnibus fecerat suum singulare in Platonem, Platonicosque omnes studium, cumque libuisset Francisco Magno Duci, ut alibi commemoravimus, esse Pisis, qui illorum dogmata explicaret, hoc munus, tanquam extraordinarium pensum Verinio an. 1576. assignavit, qui in eo diebus Iovis & festis exequendo mirum in modum Principi se probavit. Sed id ad conflandam illi invidiam valuit, erantque multi, qui clamabant, fas non esse violare Cosmianas leges, quibus sancitum fuerat unum dominari debere in scholis Aristotelem. Id innuit ipse in libris *Conclusionum Platonicarum*, utque molliret feroces Peripateticorum animos, aliud opus edidit, quo probare conatus est Platonis sententias mire cum Aristotelicis & cum Catholicorum dogmatibus convenire. Coactus tandem parere saeculo, se plane Aristotelis sectatorem ostendit in iis, quae emisit, scriptis *de meteoris*, *de stellis*, *de anima* (1), & de ethicis quibusdam. Et partem illam quidem philosophiae, quam de moribus appellare solemus, maxime illustrare voluisse visus est, cum separatim tractasset de no-

sputata la precedenza, & il detto non ha mai voluto produrre il suo privilegio. V. A. S mi perdoni se per l'honore mio le fossi molesto, perchè dopo a Dio Ella è il mio refugio, alla quale m'inchino, e desidero ogni grandezza.

Di Pisa alli 16. di Feb. 1575.

Servitore il Verino.

(1) *Quae de anima Peripateticorum more disputaverit cum Antonio Paleario, ex hujus epistola ad Verinium ipsum cognosces.*

bilitate, de laude, de honore, de fama, de gloria, de virtutis praemio, deque civili & regali potestate, quod politicum opusculum Italice, ut pleraque ex iis, quae nominavi, exaratum Ferdinando Mediceo Cardinali nuncupavit. Nihil attinet dicere Verinium, ut & caeteros omnes illius aetatis philosophos, in obscuris naturalibusque quaestionibus tractandis andabatarum more pugnasse, & si quid veri dixere, casu magis, quam industria id factum fuisse. Cum vero aut de honestate disputabant, aut de utilitate, aut de aequitate, aut de virtute, aut de officiis cum virtute conjunctis, quaeque essent laudanda, quaeque vituperanda, & quemadmodum esset respublica administranda, multa sane tradiderunt, quae cognitu digna sunt, quod non solum philosophorum sententias, & exempla majorum, sed etiam naturam, rationem, atque usum exploravere. Vel antequam illa ederet, Verinius librum emiserat Latine primum, mox Italice scriptum, ut rem gratam Blancae Cappellae faceret, de Daemonibus, & argumentum hoc erat ad coarguendos nonnullos popelli errores, alios autem confirmandos accommodatum: nam in omni re philosophica id sibi praesertim suscipiendum putavit, de quo aliquid scire atque existimare potuissent vel ii, qui a litteris minus erant instructi (1). Ea propter saepe Italica lingua u-

(1) Fino a quì, *sic ipse ipse scribebat*, mi sono ingegnato di giovare e di dilettare ad ogni sorta di essi; quando a' più desiderosi delle cose divine, come è manifesto dal mio libro degli Spiriti, dalla Lezione dell' Idee, e dal mio compendio della dottrina di Platone in quello che è conforme colla fede nostra; & quando mi sono affaticato per tutti i più gentili spiriti col propor loro tutte le humane professioni, & toccandone la definizione, l' utilità & il pregio: così con determinare con i più eccellenti maestri dell' humana Sapientia della nobiltà, & de' gradi di essa, & conforme a quello, che la nobiltà delle cose & degli huomini nobili ne dimostra: & più oltre infiammando ogni spirito raro al bene, & virtuosamente intendere & operare colla notizia della lode, dell' honore, della fama, & della gloria.

sus est, quam ad omnes philosophicas quaestiones explicandas aptissimam esse affirmabat: & quanquam verborum elegantiam se minime adjuncturum diceret ad doctrinae praestantiam, illam usurpans Ciceronis sententiam, a Philosopho si afferat eloquentiam non asperner, si non habeat non admodum flagitem, nunquam tamen non composite, copiose, & satis ornate elocutus est cogitata mentis. Ut vero ad omnes homines, si fieri potuisset, propagaretur philosophiae amor, separatim, & Italice egit de praestantia, & miris artificiis hujus ipsius facultatis, cujus quanta vis fuerit vel in tanto imperio, vel in tanta potestate Cosmi I. cum ejus laudes oratione celebrasset, ita perbelle probavit, ut vel ii assensi fuerint, quorum ex memoria minime exciderant caedes, exilia & illae infestae ac funestae faces, quibus olim universa Etruria conflagraverat. *Suscepi caussam* (in haec ferme verba scribebat ad amicum) *aequitatis, & feci libenter, &, ut spero, quem boni constantem & magnum semper praedicarunt, eumdem ne improbi quidem crudelem amplius dicere audebunt.* Effusus etiam fuisse videtur in celebrandis laudibus aliorum Mediceorum Principum, & libello quodam descripsit suburbanum illorum rus, cui *Pratolino* nomen indiderunt. Nihil illo magnificentius, de quo cum scriberet Hieronymus Mercurialis ad Ferdinandum I. nihil simile se unquam vidisse ait, ut de eo usurpari posse putaverit, quod de amphitheatro Romano cecinit Martialis: *Omnis Caesareo cedat laus Amphitheatro*. Per haec (1),

(1) Discorso di MS Francesco de' Vieri cognominato il Verino, del soggetto, del numero, dell' uso, e della dignità et ordine' degli habiti dell' animo, cioè dell' arti, dottrine morali, scienze speculative, e facoltà stormentali. In Fiorenza appresso i Giunti 1568. in 8.

Discorso dell' Eccellentis. Filosofo M. Francesco de' Vieri cognominato il Secondo Verino, interno a Dimonij, volgarmente chiamati Spiriti. Alla molto Ill. e Clariss. Signora, La Sig. Bianca Cappello gentil Donna Viniziana. In Fiorenza appresso Bartolomeo Sermartelli 1576. in 8. *Verinias*,

& alia scripta minora, quae commemorare minime necesse arbitramur, nomen & honos Verinii inveteravit & huic Academiae, & hominum famae ac sermonibus, quare peregrini illi, qui cum eo de honore & dignitate contendebant, etsi attulerint nervos & industriam, ut parem

---

dum haec tractaret, Latii lingua usus fuerat, & opusculum Iacobo Borbonio Pisarum Archiepiscopo nuncupaverat. Extitit autem qui illud ipsum in Italicam linguam convertit.

Compendio della Dottrina di Platone in quello, ch' ella è conforme con la Fede nostra. Di M. Francesco de' Vieri cognominato il Secondo Verino. In Fiorenza appresso Giorgio Marescotti 1577. in 8.

Vere conclusioni di Platone conformi alla Dottrina Cristiana et a quella d' Aristotile. Raccolte da M. Francesco de Vieri detto il Verino Secondo. Divise in tre parti. In Firenze appresso Giorgio Marescotti 1580.

Trattato della lode, dell' honore, della fama e della gloria. Firenze 1580.

Discorso della Grandezza et felice Fortuna d' una gentilissima, et graziosissima Donna, qual fu M. Laura, di M. Francesco de' Vieri, detto il Verino Secondo, Dottore et Lettore publico della Filosofia Ordinaria, et Cittadino Fiorentino. Alla Sig. Pellegrina Cappello Bentivogli. In Fiorenza appresso Giorgio Marescotti 1581. in 8.

Lezzione di M. Francesco de' Vieri Fiorentino, detto il Verino Secondo, per recitarsi nell' Accademia Fiorentina, nel Consolato di M. Federigo Strozzi l' anno 1580. Dove si ragiona delle Idee et delle Bellezze. Dedicata all' Illustriss. et Eccellentiss. Sig. Conte Ulisse Bentivogli. In Fiorenza appresso Giorgio Marescotti 1581. in 8. col Sonetto del Petrarca, che comincia. *In qual parte del Ciel, in qual' idea.*

Trattato di M. Francesco de' Vieri, cognominato il Verino Secondo, Cittadino Fiorentino, nel quale si contengono i tre primi libri delle Meteore, nuovamente ristampati e da lui ricorretti coll' aggiunta del quarto libro. In Fiorenza, appresso Giorgio Marescotti 1582. in 8.

Francisci Verini Secundi Civis Florentini liber, in quo a calumniis detractorum Philosophia defenditur, et ejus praestantia demonstratur. A Nicolao Umbrosio Pisano Artium Doctore, ob Authoris peritissimi amantissimique sui praeceptoris absentiam in capita distributus et indice illorum lo-

laudem mererentur, nunquam tamen eum fama superarunt, quamvis honore aequaverint, & si vis etiam anteiverint. Tam doctus vir, & plane antiquis moribus, quique non minus bonus civis, cum ejus voluntas, industria, domus, animus, & aures patuissent semper omnibus, neque aetatis excusatio gestaeque res vindicassent ipsum a labore, quam optimus paterfamilias (1) habitus est, naturae cessit Florentiae in gremio ac sinu suorum, cum esset septuagenario major.

---

cupletatus. Ad Sixtum V. Pont. Opt. Max. Romae Apud Io. Angelum Roffinellum 1586. in 8.

Compendio della Civile e Regale Potestà, con alcune notizie dell'arte militare, e di quella degli Oratori, fatto da M Francesco de' Vieri Cittadino Fiorentino, et Lettore della Filosofia in Pisa. Al Seren. Ferdinando Medici Cardinale e Gran Duca III. di Toscana mio unico Signore. In Fiorenza, appresso Giorgio Marescotti 1587. in 8.

Discorsi di M. Francesco de' Vieri, detto il Verino Secondo, Cittadino Fiorentino delle maravigliose Opere di Pratolino et d'Amore. Al Sereniss. D. Francesco Medici Secondo Gran Duca di Toscana. In Firenze appresso Giorgio Marescotti 1587. in 8.

Ragionamento dell'eccellenze et de' più maravigliosi artifizj della magnanima professione della Filosofia. Fatto da M. Francesco de' Vieri cognominato il Verino Secondo. Al magnifico Sig. Cammillo Berzighelli. In Firenze. Appresso Giorgio Marescotti 1589. in 8.

Lezione di Messer Francesco Verini sopra quel luogo di Dante nel Canto 17. del Purgatorio, che comincia: *Nè creator nè creatura mai ec. Primum occupat locum* nella Raccolta delle Lezioni d'Accademici Fiorentini sopra Dante, *edita a Donio* pag. 5.

Lezione Seconda del Verino sopra il principio del Paradiso di Dante. *Extat in eadem collectione p. 7.*

Lezione terza del Verino a compimento delle due antecedenti: *ibidem*.

Orazione nella morte di Cosimo I. *Extat manu scripta in Bibliotheca Magliabechiana.*

(1) *Inter illius liberos, quos sancte & liberaliter educavit, minime silentio praetereundam putamus Lucretiam, eximia pulchritudine, animo & virtu-*

Digitized by Google

Minime a Francisco sejungendum putamus Franciscum alium Verinium Michaelis Filium, qui anno postquam logicam apud nos docere coeperat, misere occubuit, cum esset in flore juventae, & magnam de se expectationem excitasset. Ejus casum sequens declarat inscriptio posita in claustro Coenobii Florentini, qui S. Spiritus dicitur.

FRANCISCI MICHAELIS VERII PATRITII FLORENTINI

LOGICAM IN PISANO GYMNASIO PROFITENTIS

EXIMIAEQUE EXPECTATIONIS JUVENIS

HIC SITA SUNT OSSA

QUI SACRO SAECULARI ANNO RELIGIONIS CAUSA ROMAM PROFECTUS

DUM FLORENTIAM INDE PROPERAT

AD ALLIAE FLUMINIS TRANSITUM TUNC FORTE

IMBRIBUS AUCTI

HAUSTUS GURGITIBUS S. INFELICITER MORITUR

ANNUM AGENS XXVI.

CAMMILLUS MOERENS FRATER FRATRI BENEMERITO

P. A. S. MDLXXV.

Pa-

te, & canendi psallendique arte praecellentem. Haec in aulam recepta Eleonorae Toletanae Petri Medicei uxoris, cui Franciscus inscripserat libros de nobilitate, cum mortem in flore juventae obiisset, lacrymas ab omnibus, & flebilia carmina a patre amantissimo (non enim expers erat poeticae suavitatis) extorsit.

Digitized by Google

Parem ferme Franciſco Verinio juniori (ſic enim appellatur, ut ab illius avo ejuſdem nominis, de quo in ſuperiori volumine ſatis multa diximus, diſtinguatur) ponere minime dubitamus Franciſcum Bonamicium nobili genere Florentiae natum, qui per quadraginta & tres annos, a logica incipiens, philoſophiam apud nos docuit, quique doctiſſimus ab illius aetatis ſcriptoribus vocitatur. Huic quoque Florentia patria fuit, huic & multum ſtudii in cognoſcenda philoſophia, ejuſque praeceptis exequendis, huic apertum ſemper os, & lingua prompta ad aliis tradenda, quae meditata pectore evolverat. Prudens omnium, quae veteres tum Graeci, tum Latini litteris mandaverant, Ariſtotelem maxime ſecutus eſt, in quo non tam ſaeculo, quam ſuo ingenio paruit. Ne quaeras igitur quanti nunc facienda ſint, quae de motu multis millibus verſuum exaravit, quibuſque generaliora naturalis philoſophiae principia exponere ſibi propoſuit. Operi, in quo multum ſtudii & laboris conſumpſit, cauſſam dediſſe ait controverſiam inter ſuos, Collegarumque auditores de elementorum motu; quibus de rebus dum inflatis buccis boniſque lateribus diſputabatur, nemo erat qui ſuſpicaretur eſſe leges, quibus omnia, quae moventur, parent, & illa initia, vel elementa, quae movendi & efficiendi vim habere dicebantur, ut aer & ignis, & quae accipiendi, & quaſi patiendi, ut aqua & terra, eam in ſe continere naturam, quam non opinionum commentis, ſed diuturna conſtantique experientia aſſequi quis poſſet. Multa alia edidit, e quibus ſunt nonnulla, quae declarant fuiſſe illum non tam philoſophia & medicina, quam humanioribus litteris excultum (1). Quam laudem cum ei quoque tribueret Petrus Victorius,

(1) Franc. Bonamici Florent. e primo loco Philoſophiam ordinariam in Almo Gymnaſio Piſano profitentis de motu lib. *X.* quibus generalia naturalis philoſophiae principia ſummo ſtudio collecta continentur. Nec non una

vir omnium in judicando prudentissimus (1) ad quem tanquam ad oraculum confugere solebat, cum aliquid aut dubium, aut obscurum suo in Aristotele offendebat, facile ipsum in nobilissimis illius aetatis philosophis numeraveris. Porro quae de Ferdinando Mediceo, deque Etruscorum in litteras & liberales artes omnes meritis praedicavit, cum illi *de motu* libros nuncuparet, tot sunt distincta eloquentiae luminibus, ut etiam in dicendi arte plurimum valuisse videatur. Vir sane fuit omni liberali doctrina expolitus, habuitque ingenium ad excogitandum acutum, ad memoriam firmum & diuturnum, & ad exornandum uber. Naturae concessit III. Kal. Octob. an. 1603. laudatusque fuit in Academia Florentina, quae saepe plausus fecerat explicanti loca obscuriora Dantis, Petrarchae, aliorumque nobilissimorum scriptorum, ab Atilio Corsio Florentino, cui omnes assensi sunt, Aristotelicam philoso-

---

versae quaestiones ad libros de physico auditu, de caelo, de ortu, de interitu pertinentes explicantur. Multa item Aristotelis loca explanantur, & Graecorum, Averrois, aliorumque Doctorum sententiae ad theses Peripateticas diriguntur. Florentiae apud Bartholom. Sermartellium 1591. in fol.

Discorsi poetici detti nell' Accademia Fiorentina in difesa d'Aristotele. In Firenze per Giorgio Marescotti 1597. in 4. *His praesertim confutare voluit sententias quasdam Castelvetrii.*

De alimentis lib. V. ubi multae medicorum sententiae delibantur, & cum Aristotele conferuntur. Complura etiam Problemata in eodem argumento notantur, & quibusdam ex Graeca Lectione pristinus nitor restituitur. Venetiis 1601. in 4. & Florentiae 1603.

Lectiones super I. & II. Meteororum. *Hae ineditae extant in Laurentiana Bibliotheca, & iisdem maxime gloriari videbatur Bonamicius, quod optimo in lumine obscuras Aristotelis sententias se collocasse ajebat. Tractavit & metaphysica, quae ne ederentur, teste Sommaja, obstitit severitas Romanorum Censorum.*

(1) Vid. epist. clarorum vir. ad Pet. Vict. Vol. III. p. 196.

phiam Bonamicio non habuisse acriorem, elegantiorem, doctioremque defensorem.

Qui in ejusdem artis stadio cucurrerunt Franciscus Violus, & Julius Librius, Paulli filius, ipsi quoque Florentiae nati, plurimum his, quos postremo loco nominavi, de doctrina concedere debuerunt. Jam si audias Rodericum Fonsecam Librio opusculum quoddam suum nuncupantem, facile judicabis fuisse illum *admirabilem philosophum*, & *sapientia*, *doctrina*, & *omni virtutum genere clarum*. Multos quidem audacia superabat, neque historiae dignitas fert, ut ea commemorem, quae gessit ad minuendam competitoris Bonamicii famam (1). Non ultra annum 1596. hic operam Pisanae Academiae navavit, cum utilius rationibus suis judicasset ad Patavinam transire, in qua primum inter Dialecticos locum statim occupavit. Erat excellens ingenio, & cum senior auctoritas gravius quiddam requireret dialecticis captionibus, physicos Aristotelis libros explicandos suscepit (2). Haec probabantur non solum, sed etiam admirationem excitabant, si vestitu aliquo orationis ornata erant; neque sane Librius omnis elegantiae fuit expers. Ex Catharina Baldovinia liberos suscepit, qui ut exercerentur

(1) *Vide Mazzuchellium art.* Buonamici.

(2) *Philippus Valorius in opere, quod inscripsit:* Termini di mezzo rilievo, e d' intera dottrina, *ait*. Vive oggi Giulio de' Libri spirito assai elevato, e già fattosi conoscere per tale in Pisa e in Padova da accrescergli reputazione quando si stampino le sue fatiche sopra il primo e ottavo della Fisica, primo del cielo, e l' altr' opera *de substantia orbis. Ad quae respiciens Poeta quidam cecinit :*

Seu tractet rerum causas, seu Rhetoris artem,
Seu mores doceat, Castalidumque nemus,
Abdita Aristotelis quis te facundior ore
Disserat, aut melius sensa aperire queat ?

in litteris, iisque artibus, quas ipse adamaverat, plurimum elaboravit. Eorum fortasse caussa an. 1606. rediit in Etruriam atque ad Academiam nostram, & in ipso docendi munere vitam amisit XVI. Kal. Jan. an. 1610. Ejus laudes celebratae fuerunt in Furfureorum Academia, cui vel ab adolescentia nomen dederat. Iisdem temporibus, quibus apud nos docuit, philosophiae cathedrae satisfecerunt Thomas Cornacchinius, Jo. Baptista Mutius, Joseph Capannolus, Rodericus Fonseca, aliique, de quibus supra jam diximus, quod medicinam quoque professi fuerint.

Hos aetate & magisterio antecessit Flaminius Nobilius natus Lucae an. 1533. patre Fabritio, matre autem Clara Matthaeia. Narravit ipse, cum ex ephebis nondum excessisset, Pisas migrasse, ibique praesertim audivisse Remigium Miglioratum, eoque mortuo, Ferrariam concessisse, & aegre, ut voluntati patris morem gereret, Pisas rediisse, cum jam sibi familiaritatem conciliasset Jo. Baptistae Pignae, Bartholomaei Riccii, & Jo. Baptistae Giraldii, quibus praesertim Ferrariense Athenaeum gloriabatur. Sed minime inglorium erat hoc nostrum, cujus laudes celebravit Flaminius ipse, cum ad Marcum Columnam misisset librum a se editum Praeceptoris sui Migliorati *de Propositione inhaerente*. Neque mediocre illi decus addidit ipse, cum an. 1560. factus a Cosmo I. fuisset logices magister (1), quem locum tenuit ad aestatem usque an. 1563. una cum Francisco Bonamicio & Petro Camposacchio, cum quibus certare erat sane gloriosum. Coepit deinde

(1) *Huic nuncupans* Quaestiones Logicae, *editas Lucae an. 1562. ait*. Equidem cum a te, quae tua est benignitas, delectus essem, qui in Pisano Gymnasio in logica facultate profitenda primum locum tenerem . . . . . atque ita me Dii bene ament, ut, cum in summis aliquando angustiis versarer, a quo mihi hoc munus impositum esset, memoria repeterem, omni ex parte quasi a divino quodam numine me juvari ac sublevari sentiebam.

Digitized by Google

extraordinariam philosophiae cathedram regere, sed ad breve tempus, cum ultra annum 1564. ejus nomen in albo Doctorum minime appareat, quod sane miror, cum ad ineundam Cosmi gratiam plurimum valuerint interpretatio, quam fecit Aristotelis librorum *de generatione & interitu*, additis Quaestionibus plurimis rem ipsam explicantibus, & quae antea emiserat philosophica scripta *de hominis felicitate*, *de vera & falsa voluptate*, ac demum *de honore*. Quae ratio, veritas & doctrina praescripserat, non sapienter modo, sed etiam eleganter persecutus est, ut in bonis illius aetatis philosophis numerare illum minime dubitemus. Egit etiam de amore humano, sed Italice, neque deterruit eum a scribendo, quae nobilissimi philosophi hac ipsa de re antea disseruerant, quod parem se illis esse posse putabat elegantia doctrinae, laudatore praesertim ac teste Annibale Caro, cujus exquisierat judicium (1). Triennio post quam a nobis Flaminius dis-

---

(1) *Aristotelis* de generatione & interitu liber I. cum quaestionibus copiosissimis ad finem cujusque capitis ad Cosmum Medicem & Franciscum ejusdem filium *Lucae prodiit in lucem an.* 1567. in fol. *& iterum Patavii 1596. Liber II. editus Venetiis fuit an. 1598. cura Antonii de Nobilibus, cui patruus erat Flaminius*. De hominis felicitate libri III. ad Pium IV. P. M. De vera & falsa voluptate libri II. De honore liber unus ad Franciscum Medicem Florentinorum & Senensium Principem *typis impressi fuerunt Lucae an.* 1563. *apud Vincentium Busdragum in 4. In disputatione & dialogo egit Flaminius de voluptate, induxitque loquentes se ipsum, Bartholomaeum Riccium, & Vincentium Maggium*. Trattato dell' Amore Humano composto e donato ha già molti anni da M. Flaminio Nobili all' Illustriss. & Eccellentiss. Sig Principe di Firenze e Siena, Lucca appresso Vincentio Busdraghi 1567. in 4. *Iterum hoc opus impressum fuit Bononiae cum hoc titulo*: Trattato dell'Amore Humana dell'eccellente Sig. Flaminio Nobili. Con alcuni discorsi del medesimo sopra le più importanti Questioni in materia d'Honore: Bologna per Pellegrino Bonardo 1580. in 4. *De eo vide Annibalis Cari Epistolas* editas a *Josepho* Cominio 1725. p. 227. 345.

cessit in collegium Canonicorum Lucensium cooptatus fuit; Etruriam vero & patriam vere an. 1568. deseruisse videtur, ut Romae in aula esset Guidonis Ferrerii Cardinalis, quo hortatore, aliud studiorum genus coepit excolere. Cum dicaret ipse Summo Pontifici Gregorio XIII. S. Jo. Chrysostomi Homilias quasdam in D. Paulli Apostoli epistolas, a se in Latinum conversas, haec de se ait: *Itaque cum multa alia eo pertinentia providisti, tum me, de cujus diligentia, ut confideres, amplissimorum Cardinalium Joannis Moroni, viri & mea & omnium laudatione longe majoris, Guglielmique Sirleti viri optimi, & optimorum artium principis testimonium fecerunt, conduxisti, qui Sanctorum Patrum varios codices legerem, conferrem, quae aut depravata, aut male conversa, aut scholiis perversa deprehendissem, notarem, & ad amplissimos huic rei praepositos Cardinales referrem . . . . Placuit vero iis, quos dixi, selectis Cardinalibus, ut primum in latissimo ac feracissimo D. Jo. Chrysostomi operum campo diligentia, studiumque nostrum excurreret* (1). Ex his quidem facile intelliges, quae essent studia, quaeque occupationes Nobilii, dum Romae in doctorum hominum flore versabatur, & vix dum expleverat illud primum mandatum, cum aliud gravius a Summo Pontifice accepit. Hic magnopere sibi curandum putavit, ut quae dicitur LXX. virorum Graeca divinorum librorum interpretatio, emendatissima vulgaretur, latinitateque donaretur, qua in re praecipuas partes esse voluit Nobilii, qui quidem effecit, ut sui operis ratio constaret, cum sedente Sixto V. ad Catholicae Ec-

(1) S. Jo. Chrysostomi Sermones in epistolam D. Pauli ad Philippenses &c. D. Basilii Magni epistolae duae, Beati Maximi Monachi & Confessoris sermo &c. Romae apud Josephum de Angelis 1578. in 4. *Praeter Sermones illos alia extant in hoc libro ad Chrysostomum pertinentia. Anno* 1589. *Nobilius idem vulgavit Romae* Jo. Chrisostomi Homilias tres *a se in Latinum conversas.*

clesiae gubernacula, isthaec interpretatio emissa fuisset. Hoc peracto, Sixtus de edenda, ut ajunt, *Vulgata* cogitavit, adhibuitque ad eam rem Nobilium ipsum, Agellium, Landium, Morinium, Roccam, per quos an. 1590. *Vulgata* illa in lucem prodiit. Sed hic labor incurrit in multorum voculas, eaque propter Pontifex nihil non egit, ut illius exemplaria ex hominum manibus eriperentur, cremarentur etiam, unde summa libri raritas, & librariorum fallaciae ad Sixtinam editionem simulandam. Non caruerunt tamen praemio Nobilii labores, concessitque Pontifex postulationi illius, ut in patriam remigraret, ubi remotus a studiis ambitionis, non solum otium & tranquillitatem vitae sequi, sed etiam totum se dedere divinorum praeceptorum meditationi, atque exercitationi vehementer optabat. Quod & praestitit. Non diu tamen vitam produxit, cum occubuisset an. 1591. vix dum expleto LVIII. aetatis anno. Homo, qui gravissimarum disciplinarum scientia valebat, cujus judicium in humanioribus litteris, teste Torquato Tasso (1), prudentissimum erat, qui patriae servierat, cum solitus esset cives suos inflammare virtutis & litterarum amore (2), qui semper constans, semper temperatus sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine vitam traduxerat, dignus profecto sapientis nomine existimabitur. Praeter ea, quae su-

---

(1) *Vid. Tassi epistolas.* Tra le cose che debbono essere mutate, *inquit ipse*, è l' episodio di Sofronia, che è nel secondo canto, come già mi consigliarono il Sig. Flamminio vostro, e il Sig. Barga uomini dottissimi. *His similia sunt, quae alio in loco ait:* Poichè il Sig. Flaminio concorre col Sig. Barga, è necessario ch' io creda più all' autorità loro, che ad ogni apparenza di ragione, che mi paia di vedere in contrario. Muterò dunque come consiglianmi. *Vide etiam Tassi vitam a Serassio editam:* Romae an. 1778.

(2) *Antequam Romam proficisceretur, cum solitus esset cogere domi suae nobiliores adolescentes, caussam dedisse videtur institutioni Academiae, quae dicebatur* degli Oscuri.

Digitized by Google

pra commemoravimus, nonnulla alia scripta vulgavit (1), quaedam etiam inedita reliquit (2), & quidquid attigit, non fecit inanis gloriae captandae studio, sed & se, & suos juvandi caussa (3).

An-

---

(1) De Praedestinatione libri duo, in quibus multae & perobscurae sacrarum litterarum sententiae ex antiquorum Patrum auctoritate explicantur, ad Philippum Vastavillanium S. R. E. Cardinalem amplissimum: Romae 1581. in 4.

De rebus gestis Stephani I. Regis Poloniae, Magni Ducis Lituaniae contra Magnum Moschorum Ducem narratio. Edictum regium ad milites anno 1582. *Vide Cinellium*, Biblioteca Volante Vol. III. p 397.

I Sette Salmi Penitentiali con una breve e chiara Spositione secondo quel sentimento, che conviene ad un penitente, senza allontanarsi dal letterale: Venezia per Domenico Niccolini 1583. in 4.

Meditazioni di Flaminio Nobili sopra il Pater Noster, & Ave Maria. Vercelli per Francesco Bonati 1591.

(2) 1. Explicatio in lib. I. Periermenias. 2. Explicatio in lib. Poster. Aristot. & de Creatione Mundi 3. D. Jo. Chrysostomi in epistolam S. Pauli ad Ephesios Commentaria. 4. Tractatus Varii Philosophici, & expositiones in Aristotelem. 5. Oratio ad Poloniae Regem, de haereticis in Regno non tolerandis. *Extat in Tabulario Secretiori Vaticano*. 6. *Cinellius mentionem fecit hujus operis*. Cardi brevis instructio a Flam. Nob. olim Italico sermone scripta in gratiam Serenissimi Magni Ducis Hetruriae Ferdinandi Medicea, cum a Pio V. Pont. Max. esset adolescens in numerum S. R. E. Cardinalium cooptatus, & nunc primum in Romanam conversa linguam a Josepho Auria Neapolitano. *Ex epistola quadam Stanislai Varmiensis Cardinalis ad Nobilium conjici posse videtur, hunc declarasse vitam Hippolyti Cardinalis Medicei. Extat* epistola *haec in Volumine* Sermonum S. Jo. Chrysostomi *edito Romae* 1578.

Sereniss. Sig. mio Sig. & Patron Colend.

(3) Si sono parte stampati & parte ristampati in Vercelli, non so quasi in che

Antequam de aliis Philosophis, qui Academiae nostrae fidem obstrinxerunt suam, sermonem habeam, commemorandum videtur, quod cum Florentiam forte advenisset Dominicanus homo Thomas Campanella ingenio non minus, quam adversis casibus celeber, humanissime a Ferdinando I. acceptus fuit, sic ut parum abfuerit, quin Academiae addiceretur. Hujus rei monumentum extat in litteris clarorum virorum, quas nos edidimus (1), nec dubitamus, quin salubrioribus consiliis usurus fuisset Campanella, si se in Mediceorum Principum fidem dedisset. Vita & prudentia Campanellae longe dissimilis fuit Dominicanus alter Dominicus Maranta, qui anno 1587. philosophiam docuit cum stipendio CCCCL. centussium, ex quo quanta esset de illius doctrina opinio judicari potest. Diximus alias de hoc homine, qui magnum se beneficium afferre putavit philosophiae, si dum hujus cathedram primum conscendit, vehementissime adversus nova-

modo, se non per la troppa facilità di un mio fratello Arciprete di questa Città, alcuni miei fogli di Compositioni spirituali, & me n'hanno mandato due volumi con promessa di mandarmene degli altri. La cosa è sì piccola, che io me n'arrossisco. Tuttavia per quella parte che vi tengo io, parendomi che sia ancora di V A. S., cui debbo ogni cosa, non hò saputo mancar di mandargliele: & quando ella ordinassi che ad alcuno della sua gloriosissima casa potesse porgere utile, o diletto alcuno, quando me ne venisse più, le ne manderei degli altri. Supplico V. A. S. a perdonarmi il troppo ardir mio, & con ogni più humile & aviscerata devotione le bacio le mani, & pregole ogni altra felicità. Da Lucca a XVII. di Aprile 1590.

Di V. A. S.

Minimo Servitore
Flaminio Nobili

(1) Tomo II. p. 1.

rum opinionum inventores sectatoresque declamaret (1). Hac in re caussam religionis se agere existimavit, cujus cum esset studiosissimus, iisdem ferme temporibus vulgavit *Arborem* quamdam *Divinam* (sic enim opus inscribitur) qua ex arbore surculos sumere imperitiores possunt, quos serant in animis ad virtutis fructus edendos.

Hoc erat omnibus Academiis commune malum, ut nulli essent philosophi, qui veterem illam Graecorum prudentiam ad examen revocarent, & si qui postea extiterunt, vel ab iis, qui nil aliud docebant, nisi ut juventus auderet, ita exagitabantur, ut suaderent, & hortarentur civitatum rectores providere, ne longius id serperet malum. Non solum haec patiebatur aetas illa, sed vehementer probabat, ob eamque caussam studiosi philosophiae dediscebant pene discendo. Equidem non possum non queri, quod, cum ad nos venisset anno 1588. cum stipendio D. centussium homo Caesenas singulari ingenio atque doctrina praeditus, minime transtulerit disputationes suas ad utiliora quaerenda, & totam formam mutaverit tradendae philosophiae. Is est Jacobus Mazzonius, de quo quod omnes mirabiliter & loquantur & sentiant, paullo majora commemorabimus, sequentes maxime Petrum Antonium Serassium, qui de illius vita, ut rem gratam faceret Pio VI. librum emisit. Pater illi fuit Baptista Mazzonius Eques, mater Innocentia Masinia, quae eum in lucem edidit V. Kal. Decembris 1546. Nondum ex pueritia excesserat, cum Bononiam venit studiorum caussa, traditusque in disciplinam fuit Sebastiano Regulo Brasichellensi, cujus nota erat in humanioribus litteris doctrina. Ab hoc saepe ducebatur ad scholam Pompilii Amasei, & Caroli Sigonii, qui publice eloquentiam docebant, & hoc aliisque subsidiis in eo alebat, augebatque mirum in studiis proficiendi desiderium. Sed illa summa, quae quaerebat, hausit praesertim Patavii a Friderico Pendasio magni nominis philosopho,

(1) *Edita haec declamatio fuit Florentiae apud Sermartellium an* 1588. in 4.

Digitized by Google

quem etiam, cum complesset nondum XVIII. aetatis annum, strenue defendit adversus Archangelum Mercenarium, qui scripto quasdam illius sententias oppugnaverat. Alios quoque frequentavit magistros, cum ex eo tempore cogitationem suscepisset, omnia fere, quae in disciplinis dispersa, atque infinita esse videbantur, ratione ac distributione sub uno veluti adspectu ponendi, atque publice, ut mos erat illorum temporum, propugnandi. Ad hanc rem conficiendam opus erat summo ingenii acumine, memoria prope incredibili, industria, ac patientia singulari, valetudine optima, librorum copia, linguarum notitia, & haec omnia abunde adfuerunt Mazzonio, quem nunquam aut commodum, aut otium, aut voluptas a studio abstraxit. In luctu domestico ob patris mortem, in fraternis controversiis herciscundae familiae caussa, coactus remigrare in patriam aliquantulum intermisit studia doctrinae, sed brevi ad illa rediit, & Patavium quoque rediisse videtur, ut cum Sperone Speronio, aliisque doctis viris ea, quae animo volvebat, communicaret. Inter haec opus de diphthongis emisit, eorum originem, inventionis caussam & pronuntiandi modum recensens, & Dantis defensionem suscepit adversus Rodulphum Casttavillam, sub quo ficto nomine ignoratur quis latuerit. Miraberis sane brevi XX. dierum spatio ipsum conficere potuisse libellum, in quo summa eruditio comparet, & quo conficitur, nihil deesse Danti, quod a Poeta comico requiri potest, in eo quod ad doctrinae copiam, ad inventionem, ad fabulam, ad mores, ad ideas, ad similitudines, ad linguam, & ad episodia demum pertinet. Non mehercle quisquam μυσοπαταχτος de poesi melius judicare poterat, & cum esset in aula Urbinatium Ducum, non dubitavit cum ipso Torquato Tasso de poemate epico disputare. Paullo post in ipsa aula orationem dixit in funere Guidubaldi Feltrii de Ruvere, qua non solum audita, sed cognita praedicavit de homine, qui totam vitam exercuerat in colenda justitia magnitudineque animi, & litteris provehendis. Inde redibat saepe Mazzonius ad suos, ut in otio ac solitudine magnum illud opus absolveret, quod inscribitur: *Jacobi Mazzonii Caesenatis de triplici*

Digitized by Google

hominum vita, Activa nempe, Contemplativa, & Religioſa methodi tres, Quaeſtionibus quinque millibus centum & nonaginta ſeptem diſtinctae: in quibus omnes Platonis & Ariſtotelis, multae vero aliorum Graecorum, Arabum, & Latinorum in univerſo ſcientiarum orbe diſcordiae componuntur: quae omnia publice diſputanda Romae propoſuit anno ſalutis MDLXXVI. *ad Philippum Boncompagnum S. R. E. Cardinalem ampliſſimum: Caeſenae* 1576. In prima quidem parte hujuſce operis, quae ad vitam activam ſpectat, ethica tractat, & pluribus de virtute, humanaque felicitate diſſerit; his politica ſubjungit, & quae moderatori reipublicae propoſita eſſe debeant, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit, perſequitur, qua occaſione de militia, de praeſidiis & munimentis, de magiſtratibus, de poeſi, de ſaltatione, de rebus publicis veterum, de rege, & de ſacerdotibus egit: neque oeconomica praetermiſit, eas recenſens res, in quibus verſantur agricultura, venatio, piſcatio, foeneratio, & familiae gubernatio. Poſt id munera explicat boni legiſlatoris, & expoſitis philoſophorum opinionibus de legibus, ſuas proponit. Simili modo refert ad vitam contemplativam, grammaticam, logicam, rhetoricam, omnes illas partes, in quas mathematicae diſciplinae dividi ſolent, picturam etiam & ſtatuariam, phyſicam & metaphyſicam, omnis fere aetatis philoſophorum opiniones afferens, atque ex iis varias quaeſtiones eliciens, quas inter ſe conciliare nititur. Id enim ſibi praeſertim propoſuiſſe videtur, ut Platonem & Ariſtotelem, Stoicos & Peripateticos, Cyrenaicos & Peripateticos, & omnium fere aetatum philoſophos, ne Thoma quidem Scotoque exceptis, vix, ac ne vix quidem, inter ſe diſſidere probaret. Et hac quoque via revocat ad religioſam vitam idololatriam omneſque illas artes, quae ex fallaciis conſtant; & poſtquam Hebraeorum, Mahumedanorum, aliarumque ejuſmodi ſectarum, atque haereſum, nec non philoſophorum errores detexit, quae ſint momenta in Catholica religione, & quae ex hac fluant dogmata atque praecepta perpendit. Omnia haec ex infinita rerum cognitione, & ſcriptorum lectione efflo-

ruisse oportuit. Verum etsi non aetate, ut est Plauti dictum, sed ingenio adipiscatur sapientia, facile tamen in hoc opere immaturitatem quamdam & juvenilem ambitionem agnosces, ut non injuria de eo judicasse videatur Bruckerus (1): *fecit judicii lectionis copia suffocati defectus, & ineptum male cohaerentia conciliandi studium, ut nihil tanto conatu dignum referret, veterum opiniones confunderet, distinctiones afferret praeter rem excogitatas, & nec pleno tractandi modo, nec decenti ordine rem exponeret*. Secus alii judicarunt in caelum efferentes mirum Mazzonii ingenium, miram eruditionem atque doctrinam. Mens huic erat, ut ex libri fronte intelligitur, publice theses illas Romae propugnare, quod sane bellissimum theatrum fuisset, sed Boncompagnii Cardinalis suasu Bononiae certamen in S. Dominici templo inivit, quod accidit an. 1577. summa doctissimorum hominum frequentia, & coronam per quatriduum ornantibus Gabriele Paleotto Cardinali, & Jo. Baptista Castagna Praesule, quorum alter sacris, alter publicis rebus praeerat. Ad omnia, quae objecta fuerunt, respondit docte & copiose, & si quando auctoritatibus decertandum fuit, integras ex Sanctorum Patrum, Platonis, Aristotelis, aliorumque hujusmodi scriptorum libris paginas ita memoriter recitabat, ut ne unam quidem syllabam peccaret. Incredibilis & similis portenti res multis visa est, & quod sine praesenti Numinis subsidio fieri id non potuisse judicavit Mazzonius ipse, rediens in patriam votum solvit B. M. V. Hac liberatus cura coepit secum ipse cogitare quam in rem praesertim incumberet, *deque philosophicis rebus* Varronis exemplo scribere instituerat, quando Romam a Summo Pontifice vocatus est, aggregatusque in eorum numerum, quibus mandata dederat scripta quaedam SS. Patrum edendi, emendandique Kalendarium. Ex ea urbe, in qua honoratissimus erat, fortasse minime discessisset, nisi mortuis jam

(1) Histor. Critic. Philosoph. Tom. IV. P. I. p. 213.

fratribus Pamphilo & Caesare, rei familiaris studium coegisset eum an. 1581. in matrimonium ducere Pasolinam Pasoliniam nobilem Caesenatem feminam, & in patriam remeare, ubi per aliquot annos publice Aristotelis ethicam interpretatus est. Inter haec, hortantibus amicis, qui eum facile Carneadi assimilabant, qui nullam unquam rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit, contra nonnullorum scripta, quae tum in lucem prodierant, iterum Dantis defensionem arripuit, & unius anni spatio, quod sane miraberis, magnum opus confecit omni eruditione atque doctrina ornatum atque refertum (1), ex quo uno judicari potest qui quantusque vir fuerit Mazzonius. Exquisitarum rerum, quae ad philosophiam & poeticam pertinent, expositis copiis, ut lectori potestas esset eligendi quodcunque placeret, curasse praesertim videtur Mazzonius. Porro hic labor maxime dimanavit ad existimationem hominum; gratissimus vero fuit Florentinis, qui Mazzonium invitarunt, ut sederet in nobilissimis doctorum hominum conventibus, quorum tum plures erant, eosque voce sua erudita oblectaret atque instrueret: quod semel iterumque magna

---

(1) *Sic illud inscribitur*: Della Difesa della Commedia di Dante distinta in sette libri, nella quale si risponde alle opposizioni fatte al Discorso di M. Jacopo Mazzoni, e si tratta pienamente dell' arte poetica, e di molt' altre cose pertenenti alla filosofia e alle belle lettere: Parte I. che contiene i primi tre libri. Con due Tavole copiosissime. All' Illustrissimo e Reverendissimo Sig. il Sig. D. Ferdinando de' Medici Cardinale di S. Chiesa. In Cesena appresso Bartolomeo Raverii l' anno 1587. in 4.

Parte II. Postuma, che contiene gli ultimi quattro libri non più stampati, ed ora pubblicata a benefizio del mondo letterato. Studio e spesa di D. Mauro Verdoni e D. Domenico Buccioli Sacerdote di Cesena: in Cesena per Severo Verdoni 1588. *Tum Verdonius primam etiam operis partem, cujus summa erat raritas, iterum typis impressit.*

cum nominis sui gloria fecit (1). Gaudebat vero quoties sibi offerebatur occasio confirmandi ea, quae in illa sua Dantis defensione protulerat, eaque propter calamum sumpsit, ut adversus Francisci Patritii, magni sane viri, sententiam probaret, Sositeum non binas, sed unam scripsisse Tragoediam, quamvis *Daphnis & Litiersa* (duplex sane nomen, sed eamdem rem significans) appelletur. Vix haec edere coeperat, cum Maceratam vocatus est ad publice tradendam philosophiam, unde anno post discessit, ut idem munus apud nos sustineret. Vix enim Ferdinandus I. gubernacula Etruriae prehendit, cum litteras ad Mazzonium dedit humanitatis plenissimas, quibus ad se se invitabat, proposito stipendio D. centussium, quod paullo post, addito onere explicandi diebus festis Platonis dogmata ad DCC. excrevit. Priusquam explicationes suas aggrederetur (testem habemus Thomam Martinellium, qui aderat) orationem habuit de philosophiae laudibus tanta rerum copia refertam, tot dicendi luminibus ornatam, ut traduxerit omnes eos, qui audierunt, ad magnam sui admirationem. Cetera huic primae ingressioni responderunt, cum homo labore assiduo & quotidiano assuetus, quasi quodam cibo solidae & robustae sapientiae nutriret omnes eos, qui ejus scholam & domum frequentabant (2). Neque hic constitere ejus labores. Jussu Principis an. 1588.

---

(1) *De hac re cum scripsisset Jo Baptista Strozzius, litteris datis mense Aprili an. 1587. ait*: E' stato qui alcuni giorni M. Jacopo Mazzoni, e Domenica passata lesse nell' Accademia grande sopra il primo terzetto della terza Cantica di Dante con grande stupore d' ognuno, che l' udì e con infinita sua lode. Il principio e il fine della lezione furono pieni d' ornamenti, e di vivezze: ma il restante fu ripieno di profonde e meravigliose considerazioni.

(2) Egli esponeva, *ait Petrus Segnius*, per ordinario la fisica d' Aristotile, per lo straordinario Platone, aggiungendo per soddisfare agli amici la metafisica, la logica, la rettorica, e oltre a ciò le storie di Tacito privata-

funebri oratione laudavit Catharinam Mediceam Galliae Reginam: ut rem gratam faceret Furfureis Academicis suis, in eorum coetu de vinis & potione dissertationem habuit, quae est in manibus hominum, & ludicra quaedam alia, ut erat mos illorum Academicorum saturnalibus diebus, erudite tractavit; laudes Petri Angelii Bargaei in ejus funere celebravit, & quod majus est, librum composuit ediditque an. 1597. *de comparatione Platonis & Aristotelis*, quo probare sibi proposuit horum philosophorum inventa ab uno eodemque sapientiae jugo, veluti plura ex uno capite flumina, derivare atque defluere, ac propterea mire inter se convenire atque congruere, qua occasione nobiliores quaestiones, quae tum habebantur de rebus astronomicis, physicis, ethicis, metaphysicis, ac theologicis tractavit. Horum studiorum ac laborum capiebat ipse fructum jucundissimum, cum videret se ab omnibus observari ac diligi, & tanta in gratia esse apud Ferdinandum Magnum Ducem, ut saepe in colloquium cum eo veniret, & cum esset tanta memoria, ut nesciret quod esset oblivisci, facile sane poterat satisfacere omnibus quaestionibus, quae sibi inter colloquendum proponebantur. Scripto consignavit, quae de Cometa, qui tum apparuerat, in aula disseruit, omnesque partes ac membra philosophiae sic tenebat atque explicabat, ut hujus disciplinae amore vel feminas Principes inflammaverit. Ab hac animi & malorum medicina ipse solamen petere debuit (non enim tanto viro inimici deesse pote-

---

mente nelle sue case. Era cosa maravigliosa vedere in Pisa il Mazzoni attorniato da una spessa corte di giovani studiosi chi d' umanità, chi di loica, chi di rettorica, chi delle morali, chi di leggi, chi di filosofia, chi di medicina, e chi professor della sacra teologia, a' quali tutti egli in uno stesso tempo con infinito amore rispondendo, ammaestrando, e leggendo, non lasciava alcuno partire da se scontento. *Vid. ejus orationem de laudibus Mazzonii* in Vol. I. delle prose Fiorentine.

Digitized by Google

terant) insimulatus parasse nobili cuidam Caesanati mortem, quae res cum delata fuisset ad Romanum tribunal, quod *Consultoe* dicitur, ac severe cognita, cunctis judicum suffragiis absolutus est Jacobus. *His lacessitus calumniae telis*, scribebat ipse ad Carolum Antonium Puteum Pisarum Archiepiscopum, *innocentiae meae testem non habui te certiorem, quippe qui optime scires quantum vitae meae instituta ratio, atque omnia mea hujusmodi facinus abhorrerent consilia: ideoque magna animi alacritate in mei subsidium te semper exhibuisti paratissimum, nihil praetermittendo, quod aut consilio, aut opere me potuisses adjuvare*. Praestiterunt etiam se acerrimos propugnatores innocentiae Mazzonii Cinzius, & Petrus Aldobrandinii Cardinales, & qui ejus incolumitati primum, postea & dignitati consulendum putarunt. Obtinuerunt itaque a Clemente VIII. illorum patruo, qui Maceratae docentem audierat Mazzonium, ut hic Romam vocaretur, quo cum advenisset an. 1597. bona cum Ferdinandi I. venia, qui sane aegre tantum virum ab se dimisit, nullo non honore, ac praemiis etiam amplissimis (assignatum enim illi fuit M. aureorum stipendium, ut Aristotelis de philosophia libros in Archigymnasio illius urbis extra ordinem interpretaretur) affectus fuit. Jussus deinde sequi Petrum Cardinalem, qui ad bellum Ferrariense mittebatur, ab hoc Venetias legatus fuit, reversus inde Ferrariam, sic adhibebatur in consilium, ut nulla res gravior sine eo gereretur. Mandatum quoque illi fuit, ut res Academiae Ferrariensis curaret, proponeretque quid e re publica esse judicasset. Ad cetaras laudes bellicae doctrinae notitiam adjicere videbatur, & cum ad omnia acri tenderet animo, neque temperaret se a conviviis, letalem in morbum incidit, a quo consumptus fuit IV. id. Aprilis an. 1598. Quae christiani hominis sunt officia, sanctissime persolvit, & de se statim male ominatus est, cum coepit vacillare memoria, qua mirum in modum valuerat. Nemo non indoluit ejus interitum, quo audito, Ferdinandus Mediceus dixisse fertur: *praesagiebat mihi animus importunos istos tui admiratores non antea quieturos, quam tibi vitam ademissent*: nam ab se

illum cum dimisisset, his verbis allocutus fuerat. *I felix, sed vereor, ne tempestiva aulae tibi blandientis convivia frugalissimum te mihi virum eripiant* (1). Sepultus est apud Dominicanos, in quo ab uxore, & unica, quam susceperat, filia cum illius effigie haec posita fuit inscriptio.

D. O. M.

JACOBI. MAZZONII. NOBILIS. CAESANATIS

CETERA. QVISQVE. NOVIT

CINERES. HOC. CONDVNTVR. TVMVLO

GLORIA

NVLLO LOCO. TEMPOREVE. CLAUDITVR

PASOLINA. PASOLINIA. IVLIA MAZZONIA

CONIVGI. ET. PARENTI

AD NATVRAE VSQVE MIRACVLVM OMNISCIO

QUI. SIBI. VIVENS. IMMORTALITATIS. MONVMENTA. SERVXIT

HOC. VITA. FVNCTO. PIETATIS. MONVM. PONVNT

VIXIT. AN. XLVIIII. MEN. III. DIES. XIV. OBIIT. X. APRILIS

MDXCVIII.

---

(1) Erythraeus Pinacotheca I.

Digitized by Google

Laudavit eum Caesenae funebri oratione Thomas Martinellius, & ejus quoque laudes celebravit Petrus Segnius in Florentina Furfureorum Academia. Omnes vero in eo consensisse elogio videntur Mazzonium ob varietatem doctrinae jure meritoque appellatum fuisse alterum Varronem, & portentum hominis (1).

Ob Mazzonii ab Academia discessum Carolo Thomasio nobili Cortonensi & Zachariae filio commissa fuit Platonis interpretatio, quae diebus festis peragebatur. Is non solum in bonis philosophis, sed etiam in optimis medicis numerabatur, & medicinam quidem, postquam in patria & Florentiae fecerat, apud nos docuit an. 1597. & erat jam ingressus in hujus disciplinae loca secretiora, cum jussus est philosophiae studiosis satisfacere. Quo successu, quantaque utilitate, facile ex iis, quae narrat Io. Nardius (2) judicabis. *Memoria recolo*, ait ille, *studiosum quemdam in Pisano Lyceo naturali scientiae addictum, dubitasse quandoque, quomodo sol a nobis recedens corruptionum auctor esset, Aristotelis observatu... Nebulam discutere tentabant commilitones, caussati frigiditatem, quam ille tamen excludebat simili ratiocinio. Effectus positivi caussa debet esse positiva, non privativa: at frigiditas effectus est positivus, caussam proinde habere debet positivam, non privativam, qualis est solis absentia, seu elongatio. Negotium facessivit plurimis haec difficultas, lisque erat sub judice, quum Doctor Thomasius Cortonensis Ordinarius philosophus stata die Doctores agmenque studiosorum invitat, ut novas arduasque quaestiones enodandas sua praesentia honestent. Convenimus catervatim, quum ille e suggestu magno verborum apparatu in scenam inducit dubitationes tres, quarum prima in ordine prae-*

(1) *Sic appellavit eum Morophius in Vol. II.* Lib. I. Cap. XI. Polistor. Litterar.

(2) Noctes Geniales p. 270.

Digitized by Google

narrata erat. Fit rumor a conſciis, haeſitat homo, vixque penſum abſolvit: ſciſcitatur interim, poſtquam e ſuggeſtu deſcendit, turbellae cauſſam, quam, ut novit, nihil ſe mirari dicebat: nam medio poſuit Deus omnia campo, & vere cuncta proſtant, quando quidem M. Albertus in meteoris, & Ant. Zimara eodem uſus fuerit olim ratiocinii modo; quos Auctores tamen, ut credere par eſt, neque Studioſus, neque Profeſſor adhuc ſalutaverat, multoque minus a noſtro Tyrone Veteranus ille mutuaverat arma. Viden quam caute exponenda merces? Haec Nardius, cui laudi damus quod non ſolum contemnere, ſed & irridere videatur nugas, in quibus majorum noſtrorum induſtria occupabatur. Ceterum Thomaſius non modo philoſophia, ſed etiam theologia, aſtronomia, matheſi, & Graecis litteris doctus putabatur, & ob hanc opinionem doctrinae a Bavarorum Duce magnis praemiis invitatus fuit, ut in Ingolſtadienſi Academia humaniores litteras doceret. Mediolanenſes quoque illum medicum habere optarunt, sed nunquam adduci potuit, ut Etruriam, noſtramque Academiam dereſeret, quamvis ab ea non ultra CLX. centuſſes pro mercede exigeret. Eo tempore, quo vacabat a ſtudiis, eratque in patria, mortem obivit, laudatuſque publice fuit ab ejus diſcipulo Franciſco Caeleſtinio, a quo & ſepulcri monumentum habuit apud Dominicanos cum hac inſcriptione.

CAROLO BOSCIO DE THOMASIIS CORTONENSI

ARISTOTELIS PLATONISQUE PHILOSOPHIAM IN CELEBERRIMO

PISANO GYMNASIO PUBLICE PROFITENTI

OMNIQUE SCIENTIARUM GENERE ORNATISSIMO

FRANCISCUS COELESTINUS CORTONENS.

PRAECEPTORI DE SE OPTIME MERITO FACIENDUM CURAVIT.

VIX. AN. XXXXVIII. OBIIT XIV. KAL. SEPT. MDCVI.

Digitized by Google

Quando Thomasius inter vivos esse desiit, extraordinariae philosophiae cathedrae cum laude satisfaciebant Cosmus Boscalius Florentinus, Angelus Astolphus e Monte S. Sabini, & Fortunius Licetus Genuensis. Boscalius quidem Graecis litteris erat eruditus, & ob hanc fortasse caussam extraordinarium onus illi impositum fuit Platonem interpretandi, postquam & logices, & philosophiae Peripateticae studiosis servierat. Neque a musis erat alienus, cum quibus commercium habere debere omnes eos affirmabat, qui se Platonis studiosos profitebantur (1). Quanquam enim hic poetas e civitate, quam finxit, eduxerit, atque eos, ut & oratores exagitaverit, omnis tamen ejus locutio, quasi poema quoddam putanda est. Cum ad colloquium congressumque Magni Ducis saepe admitteretur, quod non minus integritate, quam eruditione praestabat, hoc non mediocriter conduxit ad famam obtinendam, quae ne haereret ad metas, diligentiam adhibuit singularem. Facile primas tulisset, nisi saepe infirma, atque etiam aegra valetudine fuisset. Vixit tamen ad annum usque 1621., neque tum inventus fuit, qui dignus ejus loco videretur, eaque propter Andreas Bellavita Canonicus Pisanus Benedicti F. ordinariam philosophiae cathedram solus sustinuit. Quaeso quid est, quod scribi possit de ejusmodi philosophis, qui oculos clauserunt, ne oblatam a Galilejo lucem adspicerent, quique Scholasticorum laqueis discipulos irretitos tenebant? Natus Bellavita circiter annum 1560. ita institutus atque imbutus fuit, ut nil probaret, nisi quod antiquitatem redolebat. Et a natura quidem eximium ingenium habuerat, quod in tenebras, ac vincula abripi sivit (2).

---

(1) *Exemplum habes Boscalii in condendis carminibus praestantiae apud Lamium* Memorab. Ital. Erud. praest. Tom. II. Part. II. p. 298.

(2) *De eo haec an. 1619. retulit Academiae Curator.* Ha circa 60. anni di età, 39. di dottorato, e 35. di lettura. Ha letto logica, metafisica, privatamente matematica, sendo lo Studio senza matematici, filosofia straordinaria e ordinaria con gran sua lode; ha buona lingua Latina, e per il

haud intelligens tritas a majoribus vias esse relinquendas ad immortalitatem nominis in philosophia tractanda obtinendam. E vita migravit an. 1626., ex ejusque interitu haud mediocrem jacturam fecisse Academiam omnes judicarunt. Fratrem habuit Tiberium, cujus prima aetas dedita fuit iis artibus, quae ad graphicen pertinent. Atque his magis, quam philosophiam docendo se probasse videtur civibus suis, quanquam pro sua facultate officio minime defuerit. Vitam, quam in egestate degit, amisit an. 1619.

Sed ad Licetum veniamus. Is natus est V. Non. Octob. an. 1577. humili genere in oppido Genuensium ditionis, quod Rapallum dicitur, & quia vel a pueritia summam ingenii indolem prae se tulit, Bononiam missus fuit, ut medicinae & philosophiae praesertim sub optimis praeceptoribus Costeo & Pendasio operam daret. Multum evigilavit in studio, ne valetudinis quidem rationem habens, & compleverat nondum XXIII. aetatis annum, cum ad nos venit dialecticae praeceptor. Enitebatur quidem, ne quis aut industriam, aut diligentiam suam desideraret, eaque propter paucos post annos conscendit extraordinariam philosophiae cathedram, in qua mansit cum stipendio CXX. centussium ad an. usque 1609. quo ad Patavinos transiit. Hi quidem liberalius cum ipso egerunt; nam ejus merces an. 1631. ad M. usque florenos perveniebat. Neque hic constitit eorum liberalitas. Nam cum ex Bononiensi Academia, in qua fuit per totos novem annos, rediisset ad Patavinam anno 1645. primarius theoricae medicinae Doctor, honorificentissimis sane verbis decretum fuit, ut il-

---

secolo che corre in Italia, uomo di assai dottrina; e se non fosse stato divertito da molte cure familiari ed ecclesiastiche, saria stato uomo assai eminente. Frequenta però il leggere con cura e diligenza. Ha fatto più orazioni funebri in principio di Studio, e per sccitarsi in Roma d'ordine di S. A. a sua Santità. Cammina per una via Peripatetica assai comune, ma buona e chiara.

li penderentur MCCC. floreni, ex quo intelligi potest quantum illius doctrinae tribueretur. Sane nihil esse videbatur in arte pene omnium rerum, quod ipse nesciret, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus divinis & publicis, quae de antiquorum monumentis tractant, sic ab ipso tenebantur, ut cum de iis vel disputabat, vel scribebat, suo in regno versari videretur. Quinquaginta & amplius ejusdem opera numerantur, quibus liberales fere doctrinae omnes atque ingenuae continentur. Licetus autem ipse, edito libro quodam, non solum recensuit quae in lucem emiserat, sed etiam quae paraverat, seque emisurum sperabat, quae omnia summam usque CXX. conficiebant; neque praetermisit monere lectores quid iis caussam dederit, & quo tempore, quo ordine, & quo successu ipsa confecerit, Galenum & Cardanum, aliosque imitans, qui propriorum operum historiam scripsere. Erat Pisis, quando Genuae emisit *de ortu animae humanae* libros III. totidemque *de vita*, per quos ad hominum famam pervenit. Sed quanquam de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum affirmabat, & natus esset in litteris, & ingenio valeret, & studio magis magisque proficiendi arderet, & otio difflueret, nullum tamen incrementum attulit disciplinis, quas profitebatur, nec saeculi vitia emendavit, quare minime est mirandum, si ex omnibus illius operibus vix nunc commemorentur, quae *ad lucernas antiquorum reconditas, & ad antiquos annulos* pertinent, quae quidem satis declarant eruditionis tum Graecae, tum Latinae illum minime expertem fuisse. Obiit Patavii XVI. Kal. Junias an. 1657. relictis liberis paternorum studiorum imitatoribus (1).

Iisdem temporibus, quibus apud nos docuit Licetus, suo non ca-

(1) *Vid. Papadopolum* Histor. Gymnasii Patav. Lib. III. p. 368. *Justinianum* Gli Scrittori Liguri p. 213. *aliosque plures, qui de Liceto scripserunt.*

Digitized by Google

ruit praeceptore moralis philosophia, cujus studio cum ille se dedisset, minime verebatur arrogantiae crimen, si ad illius cathedram adspirasset. Saepe etiam disputabat de vita, de officiis, de virtute, de moribus, de origine & necessitate legum, ut quantam harum rerum notitiam haberet, palam omnibus faceret. Sed praeferri libuit Curtium Ciontolettam Pisanum Canonicum, de quo cum referret ad Principem Academiae Curator, affirmavit illum multis superiorem esse innocentia atque sanctitate morum, nemini vero secundum doctrina, eruditione & elegantia Latini sermonis. Atque utinam talis elegantiae (de politiori atque perfecta loquor) effigiem reperire possemus in Latina oratione, quam dixit atque edidit Pisis an. 1609. de laudibus Ferdinandi I. cum Principi omnium beneficentissimo publice parentaretur. Homo de Academia deque patria optime meritus e vivis excessit an. 1632.

Pisanus alter Franciscus Anselmius hunc aetate & magisterio antecessit. Tenuit locum inter philosophos per octo ferme annos; anno autem 1598. jussus est theoricae medicinae cathedrae praeesse, in qua permansit dum ferre laborem potuit (1). Postea continuis podagrae doloribus afflictatus, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. Non enim admodum valebat ingenio, cujus tarditatem industria superabat.

Illius aetatis hominum judicio in bonis philosophis (2) numeratus

(1) *De eo Princeps an. 1611. rescripsit*. Sia esente dal leggere, e goda di un terzo dello stipendio per un anno, ed abbia luogo in Collegio.

(2) *De eo haec retulit Academiae Curator*: Ha bellissimo ingegno, ed ha studiato molto bene. Cominciò a leggere logica nel 1599. e la lesse 9. anni con grandissima riputatione. Di poi per suoi affari fu in Roma alcuni anni. Ha un opera molto grande da stampare sopra le meteore, & quasi fondò, & ora conserva, un'Accademia di belle lettere.

tus est Scipio Aquilanus Stephaniani Ordinis Eques, nobilique genere Pisis ortus. Is anno 1599. postquam e schola Bonamicii, cui ante omnes fuit carissimus, prodierat, coepit logices praecepta tradere, undecim vero post annos extraordinarius philosophiae magister declaratus est, quo in munere permansit ad vitae usque exitum, quod accidit an. 1623. Triennio ante Venetis typis emiserat opus, quod inscribitur *de Placitis philosophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt*, in quo ordo, ornatus orationis, & non vulgaris eruditio apparet. De Echo quoque disseruisse traditur, & qui tum eum dicentem audierunt, quidquam aut politius, aut doctius, aut omnino melius fieri non posse judicarunt. Quod austere & stoice agebat cum discipulis, erat saepe in schola infrequens, & perpaucorum sibi studium conciliavit.

Magna sane mercede Bononia vocati ad nos fuerunt bini philosophi, quorum tum illustre nomen erat. Pendebantur enim Flaminio Papazzonio & Augustino Gallesio Bononiensibus DCCC. usque centusses, neque hoc conteuti, dum fidem Academiae obligarunt (1) viatici etiam sumptus petierunt. Ille Pisas accessit autumno an. 1611., hic autem triennio post, neque anno 1619. missionem suam quaesiisset, nisi decrepita aetate fuisset. Papazzonius patrem habuerat Alexandrum Vulpium, sed praetulit maternum cognomen paterno, quia honoratius erat. Cum exeunte an. 1572. doctrinae insignia accepisset, facile locum in Collegiis medicorum & philosophorum obtinuit. Philosophiam autem cum docuisset in patrio Lyceo ab an. 1588. ad annum usque 1606. tantam consecutus est famam, ut ejus memoria

(1) *Non est tacendum Papazzonium procuratorem suum nominasse Galileum Galilejum. Extat instrumentum conductionis illius* in Filza di Negozj dal 1610. al 1612. p. 29.

monumentis posteritati mandata fuerit (1). Nec vero quisquam dubitare potest, quin Pisis degens singulari diligentia satisfecerit philosophiae studiosis, non illius recentioris, quam genuerat Galilejus, sed veteris & prorsus Scholasticae. Vix sui muneris triennium expleverat, cum mortem in eadem urbe obivit, & quae reliquit scripta, parvi sane momenti, commemorantur a Fantuzzio Comite eo in opere, quod de illustribus viris Bononiensibus composuit.

Eamdem Philosophiae viam, quae popularis habebatur, secutus est Gailesius, eamque singulari cum plausu monstravit discipulis suis, sive Perusiae, sive Bononiae, sive Pisis docuerit. Venit autem ad hujus urbis Lyceum eodem illo anno, quo ejus civis Papazzonius e vita discessit (2). Ipse vero mortem in patria obivit VII. Id. Februarii an. 1621. biennio ferme postquam a nobis discesserat, & in

---

(1) *Haec in ipso Lyceo posita inscriptio fuit.* D. O. M. Flamminio Papazzonio Bonon. eximio Philosoph. ac Medic. Doctori, qui multis ab hinc annis Ticini & in hac omnium celeberrima Academia divinam philosophiae scientiam immortali sua cum laude, innumerabilique Auditorum undique ad eum confluentium conventu supra hominum captum profitetur, studiosi adolescentes perpetuae tanti viri famae consulentes hoc monimentum unanimi consensu posuerunt anno Domini MDIC. Januarii.

Serenissimo G. Duca

(2) Agostino Gallesi Dot. e Pubblico Professore di Filosofia nello Studio di Bologna, desiderando di servire V. A. S. humilmente la supplica a farli gratia del luogo e cattedra di filosofia nello Studio di Pisa vacante per morte del Dot. Flamminio Papazzoni, nella medesima maniera e condizioni, che teneva il suddetto. *Ad quae rescripsit Princeps*: Concedesi.

Pietro Cavallo
3. Febbrajo 1613.

S. Petronii Aede sepulcri monumentum habuit. Aliud extat monumentum in Gymnasio Bononiensi positum an. 1592. quod omnibus testatur (1) quanta cum nominis sui gloria in eo logices, philosophiae, quae est de moribus, ceterarumque illius partium praecepta tradiderit. Unum extat opus illius editum Bononiae typis Benatii an. 1571. *de Terrae motu*, cetera vero inedita, quae asservantur in Bononiensi, ut loquuntur, Instituti bibliotheca, quaeque magna ex parte ad moralem philosophiam pertinent, ex ore dicentis ab ejus discipulis excepta fuere. At si quaeris quid de iis sentiendum sit, fatebor equidem nihil in iisdem inesse, quod allicere possit lectorem, qui

(1) *Sic se habet.*

D. O. M.

In Exc. Doct. Dom. Augustinum Galesium Bonon.

Maxima dum pandis morum praecepta, Galesi,

Et Sophiae abstrusos ore potente locos,

Mirantur populi, Gallus miratur et Indus,

Te magnae tellus suspicit Hesperiae.

Quod si olim e stygiis tanto duce prodiit umbris

Theseus, et caeco limite carpsit iter:

Te duce quis dubitet Logices exsolvere nexus,

Quem Sophiae verum, te duce, fallit iter?

ad adspiciendam sanioris philosophiae lucem fuerit revocatus. Mirum vero debet esse quantum temporis & laboris consumpserit Gallesius in addiscendis iis, quae a veteribus fuere tradita, & vel cum summa senectute erat, quotidie commentabatur: nihil enim curabat aliud. Sed jam, si placet, ad nostros redeamus.

Non licet mihi laudare eos philosophos, qui, oborta jam luce, hanc adspicere recusabant. Quod qui non poterant, quia consenuerant in terendis antiquorum libris, non erat iis satis non contemni, laudari etiam volebant. At si aures tam inhumanas, tamque agrestes habebant, ut ne dulcedine quidem titillarentur earum rerum, quas tradebat Galilejus, politissimus scriptor, quidni movebat eos doctissimorum hominum auctoritas, qui affirmabant novum per eum, experientia, ratione & geometria duce, procreatum fuisse philosophiae genus, quod ad admirationem traducebat omnes eos, qui veritatis & sapientiae amatores se profitebantur? Sed multis modis illi erant circumventi, institutione, consuetudine, & legibus ipsis, quae vigebant in omnibus Academiis, ne praeter Aristotelem alius in scholis dominaretur philosophus; ad haec nemo erat tam firmo ingenio, & tanta confidentia, quin exalbesceret metu, propositis a Quaesitoribus Fidei, hominibus plerumque expertibus doctrinae, vinculis & cruciatibus adversus eos, qui terram, & planetas omnes quadam vi a naturae auctore data circa solem moveri, & alia hujusmodi vel ad mundi systema, vel ad naturae leges explicandas in medium afferebant. Ex horum quidem numero non fuit Franciscus Seghierius, quanquam boni philosophi laudem habuerit (1) & assiduitate atque diligentia in insti-

---

(1) *De eo haec ad Principem retulit an. 1626. Academiae Curator.* Francesco Seghieri da Monte Carlo ord. Filosofo con scudi 200., si dottorò nel 1602. e cominciò a leggere nel 1604, e sempre ha letto con grande assiduità e diligenza più lezioni in casa, e si può dire che abbi retto per più anni lo Studio in materia di filosofia, perchè l'Aquilani, se ben uomo di

trendis tum domi, tum in schola discipulis omnes superaverit. Omissis ceteris studiis, unum id egisse videtur, ut satisfaceret veteris philosophiae cultoribus, Principi placeret, & rem familiarem augeret. Vixit ad annum usque 1639.

Jam si cupis audire quid Academiae Praefecti sentirent de Nicolao Ansaldio in urbe S. Miniatis nobili loco nato, eorum testimonium infra exscribam (1), ex quo cognosci poterit benemeritum illum fuisse de Academiae ipsius nomine ac dignitate. Nihilo tamen minus non sejungam illum a turba philosophorum, qui scholas opplebant, quique si reviviscerent dolerent sane nonnullos a me praeteritos fuisse, quosdam etiam non satis laudatos. Quod Ansaldius plane non expers erat Graecarum litterarum, eo tempore, quo a logices schola, quam per plures annos rexit, gradum fecerat ad honoratiorem philosophiae, confidenter petiit, ut suo muneri adderetur onus explicaudi feriatis

---

molto valore, era così austero e ritirato cogli scolari, ch'essi niente lo seguivano, e il Bellavita per l' età, poca sanità e molte occupazioni, sono gia più anni che fuori della lezione, che leggeva in Studio, non faceva altro, onde tutte le fatiche private, che son molte, toccavano al Seghieri, ed egli con molta prontezza le andava esercitando, e trovandosi quest' anno con un concorrente nuovo condotto con grosso stipendio (*), & aver preso moglie, credo che se non è riconosciuto, come gli par meritare, si perderà interamente, essendo stato sett' anni senz'aumento, e per i tempi passati anco riconosciuto con qualche scarsità. *Ad haec rescripsit Princeps*: diaseli aumento di 50. scudi.

(*) *Innuit Angelum Cardum Senensem, cui oblatum fuit stipendium DCC. centussium: nihilo tamen minus liberalissimam conditionem recusavit.*

(1) Niccolò Ansaldi, addottorato lesse in S. Miniato logica per un anno, poi per obbedire ad un suo Zio andò a Roma, e lì si esercirò leggendo privatamente, e così in Firenze. E' persona di spirito e di studio, e non manca di diligenza.

diebus Platonem, sed voti compos minime factus fuit. Hanc repulsam tamen sine offensione tulit, & nihil de pristina diligentia, quam adhibebat in instituendis discipulis, detraxit. Mortem obivit Pisis Aprili an. 1625. & qui sine metu vixit, quod in innocentia omne suum praesidium collocaverat, sine aegritudine vitae suae terminum adspexit. Tum quidem nulli numerabantur philosophiae magistri, qui essent in magno honore & gloria, qua de re ipse Academiae Curator queri videbatur, & instabat atque urgebat summo cum studio, ut nulli parceretur sumptui in optimis invitandis. Dolebat etiam non usitata frequentia stipatos esse Pisanos praeceptores, cujus rei plurimae afferri poterant caussae. Anno quidem 1616. discipulorum numerum vix ad CCCCXXX. pervenisse videmus (1), qui non multos post annos plurimum etiam ob pestilentiam imminutus est. Ceterum praeteritis temporibus major etiam fuisse videtur, quamvis in hac re Academia nostra nunquam cum Bononiensi atque Patavina contendere potuerit. Sed omnes ii, qui Lycea frequentabant, audiebant philosophos inter se non solum similes, sed undique perfecte & absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus interesset: omnes enim, quamvis ingenio differrent, auctoritate, non ratione atque experientia ducebantur. Verum si ingenio laus tribuenda est, ejus magnitudinem satis admirari minime poteris in Jo. Baptista Fabronio Philippi Marradiensis filio, qui vix expleverat XIII. aetatis annum, cum de omni re, quae tradebatur a philosophiae magistris, satis perite disputare poterat. Attigerat & theologiam, cujus lauream obtinuit eodem illo aetatis suae

(1) *Ita numerabantur*. Ex Natione Germanica 5. ex Hispanica 3. ex Gallica 3. ex Sarda 11. ex Sicula 2. ex Pedemontana 9. ex Marchiana 2. ex Longobarda 16. ex Romana 2. ex Genuensi 58. ex Romandiola 8. ex Florentina 31. ex Lucensi 25. ex Tuscia pro civitatibus 168 ex Tuscia pro terris 84. *Tum prorsus Neapolitani & Veneti deerant*.

anno. Nihil hoc doctoratu nobilius & celebratius fuit (1). Adfuerunt enim Carolus Mediceus Cardinalis, ejusque frater Laurentius, nec ipsa subsellia tantam continere potuerunt multitudinem hominum, qui ad illum de rebus divinis disputantem audiendum concurrerunt. Anno post factus est logices praeceptor, &, quam tum primum dixit, oratio extat in Magliabechiana Bibliotheca. Facile est in eo cernere imaginem, quam ipse exprimere voluit, studiosi adolescentis, cui nihil sit potius labore & vigiliis, tanquam jucundissimo ingenii pabulo. Non diu is mansit in logices schola. Nam an. 1619. factus extraordinarius philosophiae praeceptor cum stipendio CC. centussium, se pallio, quanquam imberbis esset, dignum ostendit. Profecto nil non sperare poterat a Mediceis Principibus patronis suis beneficentissimis, sed an. 1625. majora & solidiora spectans, Cappuccinorum familiae nomen dedit, in qua sive suos docuerit & gubernaverit, sive ad populum sacras conciones habuerit, veluti lumen aliquod sanctitatis & prudentiae eluxit. Obiit Romae an. 1650. Definitoris munus exercens. Dolendum vero, quod tanta ingenii vis ad illam potissimum se philosophiam applicaverit, quae studio certandi continebatur, in qua non stultitiam modo, sed etiam mores & naturam condemnandam pu-

(1) *Haec narrantur in Academiae monumentis*. Si dottorò (1617.) in Teologia Gio. Batista Fabroni alla nobilista a spese di S. A S. Ci fu il Cardinale e il Principe D. Lorenzo, & ebbero una predella alta due gradini. Il luogo era dove stà il Vicario per ordinario. Dirimpetto stava l' Arcivescovo in una seggiola di veluto sotto un tappeto, senza strato, nè gradino. Accanto all' Arcivescovo nella panca era il Vicario, poi il Priore del Collegio, e poi il Provveditore dello Studio. Dalla banda del Card. si levò la banca, l' altre restarono tutte coperte di panni verdi, o spalliere, e la tavola coperta di velluto rosso. I Teologi del Collegio sederono tutti alla banca della tavola. Non sedettero altri, e ne fu causa la molta gente, che impedì si sedesse. L' Arcivescovo interpose il decreto.

Digitized by Google

to Bartholomaei Talentonii, Joannis, de quo supra diximus, filii, cujus in minimis rebus pertinacia, iracundia etiam reprehensa est (1). Hujusmodi philosophos vinolentis facile assimilasses, qui dubitant, haesitant, revocant se interdum, & vel iis, quae videntur, imbecillius assentiuntur. Si edormivissent, quod perpaucis sane accidit, minime se sustinuissent in furore, ut approbarent falsa pro veris, & illa Alcmeonis, cum aliquid iis conspiciendum proponebatur, dicerent.

Sed mihi neutiquam cor consentit cum oculorum adspectu.

CA-

(1) *De eo haec scripsit Academiae Curator an.* 1622. Ha 14. anni di dottorato, e 12. di lettura: è figliuolo di Giovanni famoso logico e filosofo. E' tenuto buon lettore, & hoomo che sappia, ma nelle dispote e circoli non mai s' arrende, ed ha assai dell' impetuoso e del ridicolo, come aveva suo padre, e qoesto gli toglie assai. E' in molta povera fortuna ed angostiato da' debiti. *Is e vita cessit Novembri an.* 1643. *ut ex hoc supplici libello conjici potest*. Donna Maria già moglie del Dot. Bartolommeo Talentoni riverentemente espone a V. A. S. come suo marito è passato a miglior vita, havendo lassate due bambine di minore età, onde la supplicante trovandosi con molti debiti, non sapendo come alimentare le sue figliuole, supplica V. A. S. a fargli grazia per l' amor d' Iddio, che possa godere lo stipendio, che resta dell' anno presente, come simili grazie sono state concesse ad altri Dottori leggenti. (Decembre 1643.) *Ex iis, quae tum retulit Academiae Curator, cognoscitur Talentonium ab. an.* 1634 *usque ad annum* 1643. *rexisse ordinariam philosophiae cathedram* con universale utile e soddisfazione, & con stipendio di scudi 270.

CAPUT XIV.

De Matheſis Praeceptoribus.

De Mathematicis dicturus vereor ſane ne ineptus videar nonnullorum mentionem faciens, qui cum exemplo Graecorum, ac praeſertim divini hominis Archimedis haberent maxima & utiliſſima ad inquirendum, in puerilibus diſputationibus, vel in inaniſſimis & errorum plenis diſquiſitionibus verſari voluerunt. Ii tamen leviſſima hac prudentiae laude & delectabantur, & gloriabantur, & ſomnia interpretabantur, & futura praedicebant, & quaſi cum Diis commercium haberent, ſe ſolos tenere ſcientiam cognoſcentem, & videntem, & explicantem ſigna, & fidem praeſtandam ſuis praedictionibus contendebant. Quod facile conſequebantur, tanta erat credulitas, ne dicam ſtultitia hominum. Cum de mathematicis loquor, vides me loqui etiam de aſtronomis & aſtrologis: una enim vi, & una conſenſione naturae, vel ſi mavis unica malitia, & unica ſtultitia horum munera conſtricta eſſe putabantur. Haec ipſa tetigimus & doluimus ſuperiori in volumine, & quoniam non facile commutantur voluntates hominum, & vitia emendantur, qui olim mentes occupaverat error, & miſerabilis ignoratio veri, hiſce quoque temporibus longe lateque dominabatur. Vel ipſe Coſmus I. cujus tanta erat calliditas, ut decipi non poſſe videretur, fidem, ut alibi quoque innuimus, praebebat mathematicorum divinationibus, neque fortaſſe aliam ob cauſſam ſingulari ſtudio complexus eſt Julianum Riſtorium Pratenſem e Carmelitarum familia, niſi quia Alexandri Medicei infeliciſſimam mortem praedixerat, neque

obscure indicaverat, qui ei in Etruriae imperio successurus esset. Hunc itaque hominem maxime idoneum putavit, quem an. 1545. Astrologiae cathedrae praeficeret, cum iisdem temporibus declarasset mathesis praeceptores Franciscum Ottonarium & Joannem Leonardium Florentinos. De iis autem omnibus haec habet album Doctorum an. 1548. *Mathematica, Magister Julianus Carmelita, sub quo similiter diebus festivis & vacantibus M. Franciscus Ottonarius, & M. Joannes de Leonardis*. Vel antea Ristorius Senis & Florentiae mathesin professus fuerat tanta quidem cum fama, ut agnationem cum caelestibus habere videretur. Laudes quoque illius video maxime celebratas fuisse toto illo quinquennio, quo Pisis vel mathesin, vel astrologiam docuit, post quod tempus Florentiae apud suos Carmelitas commoratus est, eorum praefecturam (Provincialem dicunt) gerens. Vir autem acerrimo ingenio, cui nihil deerat earum rerum, quae tum tradebantur ab doctrinarum humanarum & divinarum magistris, qui non expers erat poeticae suavitatis, quique magnum in mathematicis nomen sibi comparaverat, multa litteris mandavit, quae in pretio fuisse videntur non solum iis, quibus vixit, temporibus, sed etiam multo post quam naturae concesserat, quemadmodum ex studio, quod in iis conquirendis adhibuit Ferdinandus I. conjici potest (1). Mens ei erat

Serenissimo Gran Duca

(1) Per obedire a quanto V. A. S. mi comanda con la sua de' 29. del passato ricevuta questa mattina, li mando con questa ordine per suor Appollonia Ristori che lassi vedere a chi lei comanderà quella cassa di scritture, in la quale V. A. S presuppone, che vi siano compositioni di Mess. Giuliano del Carmine, se bene io credo che non vi sia cosa alcuna di questo, perchè quando mia Consorte venne in queste parti portò con secho quelle poche opere che aveva di detto Mess. Giuliano, le quali son qui appresso di lei e sono queste:

in vulgus edere, quae fecerat commentaria in Ptolemaeum, sed qui aliorum obitum praevidisse putabatur, suus improvisus inopinatusque illi accidit, quam ob rem quae cogitaverat ad exitum perducere mi-

---

Il chomento di Tholomeo di mano propria di detto Mess. Giuliano,

La chopia di un libretto intitolato phisionomiae vultus, & linearum manus; sciolto

La Conversione di S. Maria Maddalena & suoi gesti nella morte di Christo in terza rima.

Le quali tre opere saranno consegniate da detta mia consorte a chi ordinerà V. A. S. Et gliene harei inviate questo medesimo giorno per il procaccio, ma sapendo le proibitioni che son quì di non potersi mandar fuora scritture che non siano reviste dal Vicario dell' Arcivescovo, & che anco a Roma si fanno molte diligenze dall' Inquisitione, & essendo queste cose molto gelose, non ho voluto senza espresso ordine di V. A. S. disporne a mio giudizio, ma lo farò con l' ordine suo in quel modo che la comanderà, & se pure nella cassa che ha Suor Appollonia vi fusse altro di detto Mess. Giuliano V. A. S. potrà servirsene, & è stato superfluo, che ella abbia voluto per vederla l'ordine mio, perchè ella è patrona non solo di quelle, ma della vita propria, che sempre si spenderà con ogni prontezza al suo comando, restando con mia consorte infinitamente obbligato alla benignità sua, dicendo volere che io senta benefitio di quel che di queste opere fusse messo alla stampa: & questo viene in conformità di quanto fu ordinato da chi fece dono a Mess. Alessandro Guardini fratello di mia Consorte, di chi ella è erede, di dette opere, che fu ad effetto che egli se ne prevalesse per ricompensa di molte fatiche fatte con la B. M. di Mess. Giuliano. & particolarmente nel libro suddetto di Tholomeo, che fu chopiato dal detto Mess. Alessandro & figurato de' Corpi Celesti in tempo che detto Mess. Giuliano pensò di mandarlo alla stampa, che dalla morte li fu vietato di fare, e questo originale per quanto mia consorte si ricorda d'aver sentito fu lassato in mano di detto suo fratello da detto Mess. Giuliano perchè fussi sempre testimonio che l' opera era sua & non d' altri, come forse non saria manchato chi se la fussi usurpata se non ci

nime potuit. Monumentum cum marmorea effigie a suis habuit in atrio Florentini Coenobii S. Mariae, & in eo haec scripta fuerunt.

JULIANO RISTORO PRATENSI CARMELITAE

THEOLOGO, SUO PROVINCIALI OPTIME MERITO

LUGENTES CARMELITAE POSUERE

QUI QUANTUM IN PHILOSOPHIA ET MATHEMATICIS

DISCIPLINIS OMNIBUS

PRAECIPUE AUTEM IN ASTROLOGIA VALUERIT

NON SENAE PISAE AC FLORENTIAE TANTUM

UBI ANNOS NON MINUS XXII. PUBLICE EST PROFESSUS

VERUM TOTUS TERRARUM ORBIS AGNOVIT.

VIXIT AN. LXIV. MENSIBUS V. DIEBUS XI.

OBIIT VII. DECEMB. MDLVI.

---

fussi stato questo riscontro, & per corroboratione di ciò fu lassato questo libro a detto Mess. Alessandro per atto pubblico roghato per Neferi Milanesi da Prato; e quella copia che fu fatta come disopra ho detto per mandare alla stampa, dice detta mia moglie ricordarsi di avere sentito che fu tolta nella morte di Mess. Giuliano e venne in mano di Mess. Gio. Batista da Cerreto, che ritrovandosi questo, già che era stato ordinato & re-

Digitized by Google

Leonardii nomen vix ad nostram memoriam pervenit. Tum etiam claruit doctrinae fama Ottonarius, cui pater erat Jo. Baptista, quem natura ad poesin festivitatemque finxisse videbatur, cujusque plura extant carmina, atque comoediae. Neque is, neque ceteri, quos nominavi, mathematici apparent in albo Doctorum an. 1550. quo tempore solus Maximus Aquilanus, de quo alibi mentionem fecimus, eorum omnium muneribus satisfecisse videtur. Tum enim Ottonarius ab Etruria discesserat, ut in Montis Regalis Academia mathesin profite-

visto dal detto Mess. Giuliano, arrecherebbe molta facilità a condurlo alla stampa: ma può essere anco in potere de' Frati del Carmine, perchè sentì dire poi che fossi da loro ricuperato da detto Cerreto e lo tenessino con molta custodia.

A M. Piero Perondini Medico di Prato da detta mia Consorte fu consegnato un libro della lettura del Quadripartito scritto dal sopradetto Mess. Alessandro Guardini mentre Mess. Giuliano leggeva in Pisa, ad effetto che fussi mandato alla stampa per goderne quel benefizio che se ne fussi possuto cavare. Il quale Perondini disse averlo dato a' Giunti circha a 11. anni sono, e non senè saputo altro. E perchè detto Mess. Alessandro disse essere cosa di molta importanza, ho voluto dare anco di questo notizia a V. A. S. acciò serva al suo pensiero, sì come anco mi sono esteso alli altri particulari, con che forse ho nojati li orecchi suoi, che come benignissima prenderà dalla prontezza dell' animo mio, che con quel poco che io posso vado secondando il desiderio suo con infinito desiderio di vederla sempre in agumento delle sua felicità e grandezze, per il che pregherò sempre Dio, e con ogni debita umiltà e reverenza li bacio le Sereniss. mano. Di Napoli a dì xv. di Maggio 1588.

Di V. A. S.

Umiliss. a devotiss. Vassallo e Serv.
Antonio Gini.

Digitized by Google

retur. Atque hoc tempore, eoque in loco cum ipsum novisset Cynthius Jo. Baptista Gyraldius, captus hominis doctrina, eruditione, humanitate, atque festivitate, haec ad Petrum Victorium an. 1554. scripsit: *Hic inveni Franciscum Ottonajum civem tuum, & egregiis virtutibus praeditum, in omnique philosophia probe versatum, tuarumque virtutum bucciratorem adsiduum, mathematica magna cum laude profitentem, cujus cum urbanitas, tum rerum pulcherrimarum cognitio eum mihi valde conjunxit.* Eodem illo anno 1554. mathesis schola apud nos orba doctore fuit; anno vero post remeavit ad ipsam Ottonarius, qui iterum Academiam reliquisse videtur an. 1558., ut ad illam biennio post velut postliminio rediret. Neque tamen ultra annum in eadem mansit, quod nescio an tribuendum sit vel hominis inconstantiae, vel Principis voluntati. Is non solum ingenio & doctrina, sed etiam otio studioque abundans cum omnibus fere musis rationem habere voluisse videtur; neque sane dubito quin, si in una re separatim elaborasset, ejus viveret immortalis memoria & gloria. In hoc etiam favit ei natura, quod valetudine optima, & integris incorruptisque sensibus vitam ad decrepitam usque senectutem traduxit. Nam si Fabbruccio credimus, ipse inter vivos numerabatur an. 1622. quo anno heredem fecit Christophorum filium ea lege, ut in singulos annos solveret certam pecuniae summam Collegio Canonicorum Florentinae Basilicae S. Laurentii. Extat illius epistola ad Petrum Strozzium, virum in quo summa erat auctoritas atque amplitudo, inter Prosas, ut vocantur, Florentinas, ex qua judicari potest eleganter illum Etrusce scripsisse, & fideliter diligenterque coluisse amicos, quorum mores & studia a suis minime abhorrerent.

In magna bonorum mathematicorum penuria vir egregius habitus est Philippus Fantonius Romuli filius, & Florentiae nobili genere natus. Is cum Camaldulensium familiae an. 1541. nomen dedisset, per omnes honorum gradus ad summam usque illius praefecturam pervenit. Horum credo munerum caussa saepius ab Academia abfuit, ad quam primum venerat an. 1560. Tum ad famam illi conciliandam

Digitized by Google

plurimum sane valuere scripta quaedam de avertendis aquarum periculis. Quanquam minime possis existimare aliquid in iis esse, quod ex verioribus hujusce scientiae principiis, quae tum nulla erat, sumptum videatur, plurimum tamen laudabis hominem, qui mathematicarum disciplinarum modum minime terminavit inquisitione rerum levissimarum, sed eas ad societatis humanae utilitatem contulit. Ea propter nunquam recusavit mandata, quae ad flumina vel arcenda, vel dirigenda pertinerent, cujus rei plura extant monumenta in tabulario Mediceo, quae exscribenda minime putavi, cum innuisse sufficiat. Ex eo quoque judicari potest non mediocrem de illius doctrina in mathematicis rebus fuisse opinionem (1), quod de anni correctione sententiam suam exponere rogatus est, qua de re libellum edidit a Junctis an. 1560. impressum cum hoc titulo: *de ratione reducendi anni ad legitimam formam & numerum*. Neque tamen pro meritis par ei praemium relatum; nam vix CXXV., ut vocabantur, Ducati illi ab Academia pendebantur, postquam per plura lustra illi operam sane diligentissimam navaverat. Interdum ejus absentis vices gessit Franciscus Pifferius e Monte S. Sabini, ex eadem Camaldulensium familia, qui quod e Fantonii schola prodierat, plus scire, quam sciebat, videbatur. Per decennium quoque Josephus Nozzolinius an. 1532. Pisis nobili genere ortus relictum a Fantonio locum occupavit. Noli quaerere quanti fuerit homo: parvi enim pretii fuisse videtur. Non erat sine Academiae detrimento Fantonii absentia, nec profecto ab ea unquam discessisset, nisi suorum voluntati parere coactus fuisset. Anno 1586. cum delata illi fuisset universae familiae praefectura, hanc se minime suscepturum palam professus est, nisi bona cum Principis venia locum suum in Academia retinuisset. Gesto autem munere am-

---

(1) *Gerardus Jo. Vossius Fantonium appellat* mathescos scientia egregium virum: de Scientiis mathemat. c. 65. *De eo plura vide* in Annalibus Camaldul. Tom. VIII. p. 178.

plissimo summa cum laude vigilantiae atque prudentiae, regendum suscepit Volaterranum monasterium, ad quod cum aestate an. 1591., quando vacabat ab Academia concessisset, ibi extremum diem obiit VI. Id Sextil. magno cum bonorum omnium luctu.

Annus 1589. felicissimus sane Academiae fuit, quod tum primum suis in fastis recensere potuerit Galileum Galilejum. Tum agebat ipse XXV. aetatis annum, & qui tum esset, & qui futurus prorsus ignorasse videntur Academiae moderatores, cum illi tenuissimum LX. centussium stipendium assignassent. Ex quo factum est, ut post triennium majora sibi praesidia ad famam comparaverit, cum invitatus a Patavinis fuisset in locum Josephi Moletii. Ob illius ab Academia discessum nullus inventus est, qui praeesset mathesis cathedrae; atque haec publico praeceptore caruit ad annum usque 1598. (1) quo commissum Francisco Sanleoninio Florentino, de quo non multo post dicemus, ut sphaerica explicaret. Nam munus erat mathematicorum Euclidis elementa, & Theodosii & Jo. de Sacro Bosco sphaerica, astronomorum vero Quadripartitum Ptolemaei interpretari. Quando vero haec munera, quod saepe accidit, unus idemque sustinebat, is initium sumebat a sphaera, secundo vero anno Euclidem, tertio denique Ptolemaeum explicabat. Interdum etiam publicae accedebat privata schola, in qua, si quid esset non recte exceptum, emendari poterat, & si quid omissum, nova diligentia suppleri. Ne plus oneris, quam ceteri Doctores, sustineret Sanleoninius, cui etiam credita fuit humaniorum litterarum cathedra, comes ei datus fuit Antonius Santuccius Ripomarance (hoc nomen oppido Volaterrani agri) honesta familia natus. Mortuo autem Sanleoninio an. 1600. Santuccius solus re-

(1) *Per biennium privatim mathesis studiosis jussu Principis satisfecisse Andream Bellavitam Academiae monumenta testantur.*

rexit matheſis carhedram ad annum uſque 1613. Nam quamvis an. 1610. quemadmodum ſupra commemoravimus (1), Galilejus ex Patavina Academia in Etruriam revocatus fuerit, & addictus Piſano Lyceo cum ſtipendio M. centuſſium ad redimendam praeteritam culpam, honorario magis, quam magiſterio illum decoratum fuiſſe dixeris. Santuccii locum an. 1613. occupavit Benedictus Caſtellius Caſſinenſis Monachus cum ſtipendio CXXX. centuſſium, & in albo Doctorum illius anni praeter Galilejum & Caſtellium dicitur quoque mathematicus Georgius Moſchettus Cretenſis, ille idem, cui Graecarum litterarum cathedra commiſſa fuerat. Quoniam vero Galilei ejuſque diſcipulorum opera ſuus tandem gradus redditus eſt mathematicis diſciplinis, & per eos quoque ſummum in honorem aſcendit phyſica atque aſtronomia, inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut de illis ſeparatim dicamus. Itaque primum exponemus Galilei vitam, mox Caſtelli, in in altero deinde volumine Adjunctii, Perii, ac demum Rainerii, in quo Galilei ſchola deſiiſſe videtur, quanquam ſtent adhuc mathematicae & phyſicae diſciplinae divini prope viri inſtitutis & praeceptis ſervandis.

Quo tempore natus eſt Galileus Galilejus Florentinus (natus eſt autem Piſis nobili genere, patre Vincentio, matre autem Julia Ammanata Piſcienſi XII. Kal. Martias an. 1564.) phyſicarum rerum ſcientia latebat obſcuritate involuta naturae, cui tenebras afferebant vel ii ipſi, qui ſe philoſophos profitebantur, quod fidem tribuentes alienis dictis, vel potius ſomniis, nihil per ſe, perinde quaſi oculorum lumine caruiſſent, inveſtigare audebant. Vidit omnium primus Baco a Verulamio qua incedendum eſſet via, ut veritatem quis aſſequi poſſet, ſed geometriae expers partem a ceteris relictam minime explevit. Haec itaque laus tota propria fuit Galilei, qui vel ab eo tempore,

(1) Pag. 103.

quo coepit philosophari (coepit autem postquam in humanioribus litteris mirum in modum profecerat, medicinam, ut patris voluntati morem gereret, attigerat, & geometriam per se didicerat) dictum quoddam Aristotelis potiori jure sibi usurpare potuisset. Hic enim, ut est apud Ciceronem, veteres philosophos accusans, qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ajebat eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevique tempore philosophiam plane absolutam fore. Primum inventum illius pertinet ad oscillationum, quae per inaequales, dummodo exiguos, circuli arcus fiunt, isocronismum, cui caussam dedit lampas quaedam leviter mota, & ex quo uno omnis doctrina corporum circa centrum oscillantium, mensura & divisio temporis in suas partes, horologiorum constructio a Galilejo ipso excogitata, & ab Hugenio perfecta, atque demum multa ad gravitatem corporum, & hanc variam pro varia eorum a terrestri aequatore distantia, & ad ipsius telluris figuram noscendam utilissima ac plane nova dimanarunt. Hoc inventum secutum est illud, quod ad casum corporum gravium pertinet. Demissis enim e turri diversis corporibus cujusvis figurae, ponderis, aut densitatis, multis illuc ad visendum convenientibus Galilejus ostendit, omnia aequali tempore per aequalia tempora descendere, & aequales esse gradus velocitatis, quam eodem tempore acquisierant. Ex quo fit, ut ipsorum absoluta, quemadmodum mathematici loqui solent, descendendi vis, eamdem sequatur proportionem, quam habent corporum massae, & ut pondus & gravitas absoluta in eadem proportione sit, ac materiae quantitas. Nemo nunc ignorat quot & quam magna ex hisce theorematibus $Fdt = mdc$ & $Fds = mcdc$ veluti corollaria deriventur, quae invenisse gloriosissimum sane Galilejo fuit. Erravit ille quidem cum sibi persuasisset gravitatem constantem esse, sed sic esse experimenta ostendebant, & talem esse prope terram facile credideris. In ea certe re nisi Kepleri ingenio & inventis secus demonstratum esset, magnus ille Newtonus cum Galilejo errasset. Post haec ad centrum gravitatis de-

Digitized by Google

finiendum sua studia convertit, & multa per se detexit, magni sane momenti, ut ex appendice ad suos *de nova scientia* dialogos cognosci potest. Sed manum de tabula posuit, cum audivisset Lucam Valerium usque eo in hac re processisse, ut hujusmodi centra definierit in omnibus conoidibus, sphaeroidibus, eorumque segmentis, quae decisa sunt cum planis ad bases parallelis. De mensura cycloidis quaedam etiam sagacissime excogitavit, unde postea segetem & materiem gloriae hausit ejus discipulus Evangelista Torricellius, & ante hoc tempus fortasse parvam lancem hydrostaticam fabricare docuit ad inveniendas densitates corporum aequalis voluminis, & quantitates metallorum diversi generis, ex quibus una jam massa conflata fuerit, quam rem alii postea mathematici scriptis suis illustrarunt. Erat quidem Patavii Galilejus, cum proportionis circinum invenit, quod inventum suum facere frustra conatus est Balthasar Capra, nec non quadrantem ad distantias visu commensurandas, thermometrum aereum falso a Batavis Drebbelio tributum, rationem vim magnetis augendi, & alia bene multa de sono, deque voce, item de visu & coloribus, de maris aestu, de compositione continui, de animalium motibus, quorum mentionem ipse fecit in litteris, quas nos edidimus, ad Curtium Picchenam. Redibat autem saepe, ducibus observatione, experientia & geometria, ad contemplationem motus corporum, cum id speraret ac moliretur, ut per se nova crearetur res mechanica, in qua tractanda ceteri ante eum omnes umbrarum vagati fuerant modo. Neque minora ab eo expectabat astronomia. Coepit diligentius oculos in caelum convertere, cum an. 1604. novam in serpentarii sidere stellam observavit, sed ut de astrorum scientia divinitus prope mereretur, fecit inventum telescopii. Hujus excogitandi ea occasio fuit, quod ad Galilejum Venetiis commorantem an. 1609. perlatum est, esse virum in Batavia, qui casu viderat corpora objecta duabus chrystallinis lentibus certa quadam ratione locatis majora apparere. Ex ea urbe redux Patavium coepit secum ipse cogitare, qua id de caussa fieri potuerit, ac brevi novit non posse res objectas au-

geri, clarioresque fieri per unum aut per plura vitra plana, aut per lentem concavam, quae potius easdem minuit, aut per lentem unam convexam, quae auget easdem, at simul confusas exhibet. Hinc homo, si quis unquam alius acutus ac solers, experiri voluit quid compositio convexi & concavi efficeret, atque hac via, quod volebat, invenit. Paucis igitur diebus tubum fabricavit, per quem diametros tripla, ultra quam esset, appereret, & ferme decupla ipsa superficies, & magnitudo rerum objectarum. Alium postea condidit, per quem acies ipsa plusquam sexaginta major evaderet. Denique Leonardo Donato Venetorum Duci, ac Senatui, cunctis obstupescentibus, alium dono dedit, per quem visarum rerum magnitudo ad mille augebatur. Neque hic constitit Galilei gloria. Habuit enim statim quo de caelestibus rebus Aristotelis & Ptolemaei cogitata plane everteret. Maculas in sole ac luna observavit, fixarum numerum decies usque auxit, Jovis Satellites detexit, & illud sibi in primis laetandum jure esse vidit, quod intelligebat fore, ut ex iis multa sumerentur ad commodius de astris disserendum. Tali modo ex observatione Galileii, cui lunare emisphaerium sub uno aspectu se visendum exhibuit, collegit Cassinius isocronismum inter illius astri motum rotationis circa se ipsum, & revolutionis circa terram; & Galilejus ipse phaenomenon titubationis detexit, confirmavitque Vincii & Maestlinii conjecturas, qui suspicati fuerant lucem illam cinericiam ac languidiorem, quae praestat, ut cum luna proxima est incremento, & cum aliquantum a latere est inter tellurem ac solem, totum ejus discum internoscamus, esse lucis reliquias a sole in tellurem missae, atque a tellure in lunam reflexae, & a luna demum remissae in tellurem ipsam. Idem ex observatione solarium macularum, cujus gloriam, impudenter sane, illi eripere conatus est Scheinerus Jesuita, collegit esse atmosphaeram, quae omni ex parte solem circumdat, cuique Cassinius Zodiacalis lucis nomen dedit; collegit quoque volvi planetam illum circa se ipsum, hujus rotationis tempus satis accurate definivit, & axis inclinationem eclipticam versus satis aperte indicavit. Quae de Satur-

Digitized by Google

ni forma figuraque tradidit, quanquam aliena a vero sint, talia tamen sunt, ut Hugenii nomen, quod sibi comparavit, edito de illo planeta *systemate* quodam, aliqua etiam Astronomi nostri laude niti videatur. Hanc vero immortalem & totam illius propriam judicabis ob ea, quae tradidit de quatuor a se detectis Jovis Satellitibus, de eorum motibus, periodis, eclipsibus, ceterisque hujusmodi rebus, quibus mirum in modum non modo astronomia, sed etiam geographia & nautica ornata atque aucta fuit. Exemplo vero horum Satellitum, qui circum Jovem, & cum eo circum solem feruntur, colligere se posse putavit lunam una cum tellure circa solem moveri, ad quam confirmandam sententiam mirabiliter valuit observatio phasium Martis & Veneris, quo invento fecit, ut ejus in Etruriam reditus gloriosissimus esset. Non adeo fixi erant in caelo Galilei oculi, quin eos saepe ad terram revocaret. Ab Archimedis usque ad Stevinii tempora uno tantummodo gradu ascenderat hydrostatica. Hic enim subtiliter sane probavit, sic niti fluida corpora in vase contenta, ut hic nisus ex eorum altitudine, minime vero ex amplitudine & figura vasis sit dimetiendus. Verum his quot addidit Galilejus! Edito libello *de rebus, quae super aquam existunt, aut in ea moventur* Stevinii observationem in tubis communicantibus ad aequilibrii, ac postmodum ad lancis generale principium revocavit, probavit corpora idcirco natare in aqua, quia ea leviora sunt, contra vero ferri subter eam, si sint graviora. Alia etiam docuit, ex quibus illius ingenium ad veritatem eo tempore fere delitescentem omnino factum, & quasi sua sponte contendens agnoscas. Hujusmodi sunt quae tradidit de gravitate absoluta, quae sit generalis corporum universorum proprietas, quae de aqua in glacie rarefacta, dum in ea oleum contra densatur, quae demum de vi quadam (magneticam dixit) quae efficit, ut aquae particulae inter se cohaereant, & altera ab altera non ita facile divellatur, qua in re quivis Newtonianae attractionis semina facile potest agnoscere. Atque haec cum in lucem edidit, majora etiam in aliud tempus reservabat, quae pertinebant ad generalem oeconomiam machinarum, ad la-

motus uniformis, ad principia omnium motuum, qui variari possunt, ad projectorum corporum theorias, &, ut paucis dicam, ad omnem rem mechanicam & balisticam illustrandam. Sapientes felicem appellabant Galilejum, quod tot res mirabiles tum in caelo, tum in terra detexisset, sed obstiterunt ejus felicitati, ut ipse ait, inscitia, invidia, & impietas, ob quas summas in aerumnas adductus fuit. Facile illi quidem fuerat triumphare de iis, qui aut gloriosissima inventa ipsi eripere, aut convellere conati fuerant, sed nihil tulit gravius, quam non posse convincere judices Romanos minime adversari sacris litteris Copernicanum systema, cujus veritatem tot argumentis comprobaverat. Quanquam ei esset persuasum vi opprimi in bona caussa melius esse, quam male cedere, cessit tamen tempori, & si minus intelligeretur quanta tum esset rerum physicarum ignoratio, & quantum fastidium eorum, qui magistri publicae religionis appellabantur, ex iis, quae ab his ferre debuit Galilejus, percipi potest. Porro vinculis minime liberatus fuisset, nisi coram Bellarminio Cardinali fidem suam obligasset nec voce, nec scriptis se illius systematis defensorem fore. Accidit id v. Kalend. Martias an. 1616. neque multo post ex urbe Roma Florentiam rediit. Dixisses sane ingenii illius fines non terrae, sed caeli regionibus terminari, cum de mundi systemate in disputatione & dialogo scribendum suscepisset. Minime se continere potuit, quin novis argumentis Copernicani systematis veritatem comprobaret, sed id ea de caussa se fecisse dixit, ut citramontanis & transmarinis ostenderet Italis minime incognita esse, quae in utramque partem disputari poterant, quamvis apud hos auctoritas theologorum satis ponderis haberet. Tantum huic tribuisse visus est, ut veniam ab ipsis Romanis judicibus obtinuerit dialogos illos imprimendi. Hos autem edidit Florentiae, auspice Ferdinando II., qui non minore Galilejum, quam pater & avus, amore prosequebatur. Tegere haec tamen ac tueri illum minime valuerunt adversus iniquorum machinas, & mirum sane videri debet novas calamitates eidem importasse illum ipsum Urbanum VIII. quocum antea familiarissime vixerat. Sed hunc immutarunt, & ab Gali-

Digitized by Google

lejo alienarunt ex fraude & mendacio toti compositi homines, qui illi persuaserunt se se potissimum Simplicii Peripatetici nomine tantopere vapulantis in iis dialogis indicatum fuisse. Tum de dogmate illo Copernicano ita loqui coepit, perinde ac si nihil illo deterius, nihil ad mentes hominum corrumpendas accommodatius excogitatum fuisset. Coactus itaque Galilejus iterum Romam accedere ad dicendam caussam, quanquam senili esset aetate, & infima valetudine, multa ferre debuit, quorum non solum eventus atque perpessio, sed etiam expectatio indigna homine libero, & philosopho fuit. Postremo doctrinam de motu telluris ejurare, & eas poenas, quae crimini constitutae esse videntur, dare coactus est. Refugit animus in his commemorandis diutius immorari, quare properabo ad ea, quae redux in Etruriam praestitit, ne bonum otium socordia atque desidia contereret. Non libet narrare quot suppeditaverit Benedicto Castellio, ut confutaret Georgium Coresium, Vincentium Gratiam, Ludovicum Columbium, aliosque bene multos, quos caeca & temeraria gloriae cupiditas ad ejus dogmata oppugnanda invitavit. Non est tamen tacendum per se multos annos ante dimicasse cum Grassio Jesuita, edito libello, qui inscribitur *il Saggiatore*, in quo ad summam elegantiam Etrusci sermonis, quae in omnibus Galileii operibus eminet, adjunxit etiam quaedam oratoria ornamenta dicendi. Cum an. 1618. tres in caelo cometae apparuissent, quid de iis sentiret Galilejus communicavit cum Mario Guiduccio: hic autem Praeceptoris sententiam sic exposuit, ut leviter pupugerit Grassium, qui eadem de re disseruerat. Arsit huic animus, & cor cumulatum fuit ira: itaque sub ficto Lotarii Saxii nomine *Libram Astronomicam & Philosophicam* (sic liber inscribitur) vulgavit, quo sibi proposuit iis maximum dolorem inurere, a quibus se laesum judicaverat. Quanquam sic irriserit Galilejus adversarium suum, ut omnium irrisione luderetur, a vero tamen abfuit, cum cometas in planetarum numero se se circa solem ferentium minime posuisset, & eas ab exhalationibus in caelo condensatis, & a sole illustratis gigni putasset. Sunt vero alia plura in eodem opere,

quae summa & mirabilia, si tempora spectabis, judicaveris. Docuit enim nihil praeter materiem & motum in hac ante oculos nobis posita universitate rerum esse agnoscendum; in materia ipsa non aliud nisi figuram, magnitudinem, atque locum considerandum; lumen, colorem, sonum, calorem & frigus, quidquid denique proxime pertinet ad tactum, vel gustum, vel olfactum, vel auditum, non in externis rebus, sed in sensibus ipsis inesse, qui modis variis afficiuntur pro vario earumdem externarum rerum figura, numero, atque motu. Praeterea de igne ac luce plura persecutus est, & quaedam etiam tetigit, ut rationem redderet, quare fixae stellae minus planetis micent. Hic liber, quod sane miraberis, Romae impressus fuit a Lynceis Academicis, quorum in numero erat Galilejus ipse, & S. P. Urbano VIII. nuncupatus, qui tum suam pristinam in illum voluntatem minime immutaverat. Homo, qui ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis cujusdam esse putabat, quanquam sic honoraretur a Ferdinando II. & ejus fratre Leopoldo, ut decus atque ornamentum civitatis esse videretur, non se tamen jactabat insolentius, comes, benignus, facilis, suavis neminem a congressu suo absterrebat, scientiae cupidos studiosissime instruebat, & errantibus comiter monstrabat viam. Itaque omnes de ejus virtute commemorabant, & quid quoque die dixisset atque egisset, litteris ejus discipuli commendabant. Nil vero studiosius egit, quam ut inchoatos jamdudum *de nova scientia* dialogos absolveret, qui demum Lugduni Batavorum an. 1638. typis Elzevirianis impressi prodierunt. Ex eo tempore Galilejus magnus & clarus antea, multo major & clarior haberi coepit. Bone Deus, quot in iis naturae arcana omnibus ante eum ignota detexit! Ex ipsis disces theorias de solidorum corporum resistentiis, leges motus vel aequabilis vel accelerati, doctrinam corporum gravium cadentium vel libere, vel per plana inclinata, quomodo vires componantur ac resolvantur, cujus principii amplitudinem licet ipse minime noverit, illud tamen excogitasse magna sane laus est; quibus fundamentis res balistica, acustica, & musica, cujus erat, patrem imitatus, studiosissimus,

inni-

innitantur, quantam in altitudinem siphonum ope aqua extolli possit, in cujus rei caussa assignanda licet erraverit, renovans Aristotelicum dogma de vacui horrore, ansam tamen dedisse inveniendo barometro merito judicatur. Praeivisse etiam Boylio videtur in contemplanda aeris elasticitate, quamvis hujus vis naturam non bene noverit. Neque dubitabis in his ipsis dialogis quaedam eumdem sparsisse semina methodi, ut vocant, indivisibilium, cujus inventio tantam gloriam peperit ejus discipulo Bonaventurae Cavalerio. Infinitus essem, si omnia ea persequi vellem, quae aut tota propria Galileii inventa fuerunt, aut caussam aliorum inventis suppeditarunt. Vel nostris hisce temporibus cum Grangius Geometrarum facile princeps *mechanicam Analiticam* tractandam suscepisset, & ita tractasset, ut novam propemodum scientiam effecisse videatur, a Galilejo mutuatus est virtualium, ut ajunt, velocitatum principium, quo uno accurate fundatam & extructam esse illam disciplinam commonstrat. Non ab re esset hoc loco narrare, extitisse in Italia Jo. Baptistam Balianium, in Gallia autem Renatum Cartesium, qui falso (quin dicam impudentissime?) affirmarunt a se inventa esse, quae tradiderat Galilejus de legibus, quibus corpora e quiete ad motum pulsa parent, de pendulis, nec non de aliis rebus ad motum pertinentibus: sed minima quaeque persequi haud necessarium arbitramur, praesertim cum studiosis Galileii satis fecisset Aloysius Brenna, edito de illius vita commentario (1) inter vitas Italorum Doctrina Excellentium, quas nos Latine explicavimus. Dolendum vero, quod omnia ea, quae in quintum Dialogum referre cogitaverat, physicis & mathematicis utilissima valetudine adversa impeditus, scripto mandare, & in ordinem redigere eidem nunquam licuit, quodque sexto, in quo de vi percussionis ita egit, ut eam infinitam es-

(1) *Vide hoc in volumine* I. Vitarum Italorum Doctrina excellentium qui saeculis XVII. & XVIII. floruerunt. Pisis 1778.

se probet, extremam manum imponere minime potuit. Animus ejus semper agitabatur desiderio nova inveniendi, & cum intelligeret factum per se, ut physica renovaretur, mechanica, & quae ab iis pendent disciplinae, ne hydraulica quidem excepta, cujus firmissima posuit fundamenta in iis, quae de Bisentio flumine exaravit, ferme crearentur, totum se convertit ad definiendas locorum longitudines per satellitum Jovis eclipses. Actum antea de hac re fuerat cum Hispaniarum Rege, qui sibi in votis esse significaverat, ut ratio tandem aliqua inveniretur per gradus longitudinis tam facile, quam per gradus latitudinis navigandi. Quo cognito Galilejus paratum se ostendit ad telescopium omnium perfectissimum fabricandum (neque enim hujus artis erat expers) ad ephemerides satellitum conficiendas, ad horologium parandum, ceteraque omnia suppeditanda, quae huic rei aut necessaria, aut opportuna esse videbantur. Binoculus ipse (sic appellavit instrumentum quoddam a se inventum in galeae formam ad res admodum remotas in mari conspiciendas opportunissimum) numerabatur in hac astronomica supellectili, neque recusabat Galilejus ipse per se docere nautas ejus omnis adhibendae rationem. Longum esset dicere de Hispaniarum Regis inconstantia, in quo erat tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio; itaque quod cum eo transigi haud potuit, multos post annos vehementer cum Batavis agitatum est. Hi multa & magnifica polliciti sunt, & quod Galilejus ea tum erat aetate, ut longum iter suscipere haud posset, Martinum Hortensium Florentiam miserunt, ut cum ipso communicaret de tota hac re, & praesertim de horologio perficiendo, quo exiguum quodvis temporis spatium notaretur, & de tollendis obstaculis, quae a motu navis existere potuissent in occultationibus & emersionibus astrorum mediceorum observandis. Dum in his rebus totus erat Galilejus, oculorum lumen amisit (accidit id anno 1637.) quam calamitatem cum magno rei publicae infortunio conjunctam esse omnes judicarunt. Nihilo tamen minus ab illo incepto prorsus non destitit. Mandavit enim Vincentio Rainerio, ut, quas ipse inchoaverat, satellitum tabulas & ephe-

merides absolveret, & Batavorum Reipublicae demo mitteret. Porro his quasi gradum quemdam atque aditum ad cetera, quae postea inventa fuerunt, ad nauticam & geographiam perficiendam jactum fuisse intelliges. Nihil attinet dicere qua patientia, homo virtutum omnium comitatu septus, aerumnam illam tulerit. Neque tantummodo sua pristina studia animo retinuit, sed etiam coluit. Multa enim suis discipulis dictavit, in quo malis se levationem reperire ajebat. Denique lenta quadam febri, nec non vitiosa cordis palpitatione confectus, ea animi constantia, quae Christianum decebat philosophum, Viviano, Torricellio, Vincentio filio, tribusque adstantibus sacerdotibus, suo magis, quam philosophiae tempore cessit e vita VI. Id. Jan. 1642. eodem illo anno, quo magnus natus est Newtonus, qui Galilei vestigia persecutus, fecit ne via amplius obstrueretur, quin immo magis magisque aperiretur, quae ad naturae notitiam perducit. Ejus cadaver ex villula suburbana, quam incolere consueverat, jussu Ferdinandi II. Magni Ducis Florentiam translatum est, & in Aede S. Crucis tumulatum. In sepulcro autem magnifico opere elaborato haec posita fuit inscriptio.

GALILAEUS GALILAEJUS PATRICIUS FLOR.
GEOMETRIAE ASTRONOMIAE PHILOSOPHIAE
MAXIMUS
RESTITUTOR NULLI AETATIS SUAE COMPARANDUS
HIC BENE QUIESCAT
VIXIT AN. LXXVIII. OBIIT AN. CIϽ. IϽ. C. XXXXII.
CURANTIBUS AETERNUM PATRIAE DECUS
X. VIRIS PATRICIIS HUIUS AEDIS PRAEFECTIS
MONIMENTUM A VINCENTIO VIVIANIO
MAGISTRI CINERI
SIBIQUE SIMUL TESTAMENTO F. I.
HERES JO. BAPT. CLEMENS NELLIUS JO. BAPT.
SENAT. FIL.
LUBENTISSIME ABSOLVIT
AN. CIϽ. IϽ. CC. XXXVII.

Digitized by Google

Non multis te morabor dicturus de Benedicto Castellio, quod ejus vitam alibi explicaverimus (1). Natus is est Brixiae VIII. Kal. Quint. an. 1577. nobili genere, quod nobilius effecit sua doctrina & virtute. Cum nomen dedisset monachorum Cassinensium familiae, & studiorum caussa ab iis missus fuisset Patavium & Florentiam, his in locis audire Galilejum potuit, atque in illius se insinuare intimam consuetudinem. Sibi honorem illum non solum datum, sed etiam creditum & commissum putavit, ut divinum prope hominem a calumniis inimicorum, atque a reprehensionibus imperitorum defenderet, & juvaret in omnibus illius gloriosissimis studiis. Ipsius autem commendatione, seu potius testimonio factum est, ut Academiae an. 1613. addiceretur, & cum biennio post de illius stipendio augendo ageretur, sancte affirmavit Principi Academiae ipsius Curator, neminem diligentiorem esse Castellio in instituenda juventute publice, & privatim etiam vel iis temporibus, quibus ceteri Praeceptores cessabant a schola. Sed non satis ei erat in geometria lineamenta, formas, intervalla ac magnitudines contemplari: majus enim quiddam ab ea obtineri posse intelligebat, si cum physica conjungeretur, eique opem praeberet. Ex multis autem physicae partibus cum visa esset Castellio hydrostatica non tam difficultate, quam utilitate ceteras superare, hanc praesertim excolendam illustrandamque suscepit. Principio certum aliquod theorema quaerendum sibi putavit, tanquam scientiae fundamentum, quod in fluentium aquarum motu leges a natura servatas, & varias rationes inter varios fluxus, atque inter velocitates varias exprimeret. Quanquam deceptus ab eo, quod ipse hac de re habuit, experimento, minus vere statuerit, fluentium aquarum velocitatem eamdem proportionem habere, ac earum altitudines, laus tamen illi danda est, quod viam primus indicaverit, qua incedendum esset, ut ad id, quod vo-

(1) Vitae Italorum Doctrina Excellentium Volum. I. p. 135.

Digitized by Google

lebat, perveniri potuisset. Edito itaque libro de fluentium aquarum mensura, non excitavit modo, sed etiam inflammavit doctorum hominum studia ad novam scientiam provehendam. Omnes quidem in eo suspexere diligentiam, qua tot habuit experimenta ad illius praecipua placita constabilienda, & acumen in probando geometrice, quod posuit. Nihilo tamen minus quiddam majus ab eo desiderare videbantur, quod omnem tolleret dubitationem, & plurium experimentorum iteratio, novaeque meditationes, etsi plane non expleverint desiderium, bono tamen disciplinae fuerunt. Viam enim straverunt Torricellio, ejusdem Castellii discipulo amantissimo, ut cetera inter demonstraret velocitatem aquae e vasis foramine erumpentis eamdem esse, quam corpus grave e suprema aquae superficie ad ipsum foramen libere descendens acquirit. Quanti momenti id fuerit invenisse, nemo est adeo in aquarum scientia hospes, qui ignoret. Neque vero sunt ii audiendi qui negant hujus ipsius scientiae ortum minime inveniri in Castellii scriptis, quem communis hominum utilitas impellebat tum ad cogitandum, tum ad agendum. Multa enim & magna mandata habuit de dirigendis, vel avertendis aquis, quae ita exequebatur, ut neminem consilii illius poenituerit. Mirum in modum consuluit Pisani agri salubritati fertilitatique, excavato canali, per quem aquae ad mare usque ducuntur; proposuit coram frequentissimo Veneto Senatu quae expedirent ad avertenda vel minuenda mala, quae ab Lacuna afferebantur illorum urbi; de exsiccanda Pontina palude quaedam utilissima exposuit, & consuluisse quoque videtur Bononiensibus in iis, quas cum Ferrariensibus habebant, controversiis de Reni aquis. Non libet minora mandata commemorare, quae sic digerebat, persequebatur, conficiebat, ut nulli parceret labori, & multorum imperitiam libere coargueret. Noli putare se quidquam maluisse, quam ut satisfaceret Magni Ducis voluntati, a quo tot habuerat benevolentissimi animi declarationes (1), & subsidia pararet senectuti, & infirmae valetudini

(1) *Unum ex multis hujus rei monumentis libet afferre:*

amantissimi Praeceptoris sui Galilei. Coactus tamen parere Summi Pontificis Urbani VIII. imperio, an. 1626. Academiam atque Etruriam

---

Ferdioando Secondo Gran Duca di Toscana V.

Già che il Padre Don Benedetto Castelli Monaco, & Priore della Congregatione Cassinense Dottore in ragione Canonica ha letto nello Studio di Pisa lo spatio di undici anni le Mathematiche & va tuttavia seguendo di leggere con sodisfatione universale dello Studio, & havendo nelle occasioni della soa professione servito con ogni prontezza, & sincerità il Serenissimo Gran Duca Cosimo Secondo nostro Genitore di gloriosa memoria, & noi ancora, convenendo perciò haver riguardo alla persona sua, al buon servitio, & al soo merito con la gratitudine & dimostratione solita della nostra Serenissima Casa in riconoscere con particolare affetto qoelli, che s' impiegano in publico benefirio con nostra sodisfatione, & dell' oniversale. Habbiamo perciò Noi, & le nostre Serenissime Tutrici deliberato di confermare, & condorre il predetto Padre Doo Benedetto al nostro servitio per dorante sua vita per lettore delle Mathematiche nel predetto Studio con titolo di ordinario, & con provisione di scudi trecento l' anno, salva però l' obbedienza che deve alla sua religione, & suoi superiori, volendo che goda nel Collegio, nel quale è ascritto, tutti li privilegj grarie, & prerogative che godooo i Lettori ordinarij, & di più sia connumerato tra i nostri servitori fedeli, & così noi & le Sereoissime nostre Tutrici comandiamo che si eseguisca da tutti i nostri Ministri, per chi si aspetta & particolarmente dal presente Provveditore dello Studio di Pisa, & da altri Provveditori che così d' accidente potessino soccedere. In fede di questa nostra deliberatione, & buona volonta habbiamo voluto far le presenti lettere Patenti, firmarle di nostra propria mano, & sigillarle col nostro solito sigillo con farle anche sottoscrivere dall'infrascritto nostro Segretario. Dato in Firenze li 18. Luglio 1624.

Il Gran Duca di Toscana

Lionardo Accolti Segretario.

deseruit. *Non essem tam inurbanus* (scribebat ad familiae suae Praefectos) *ut ego eo gravarer, quod vos, & Summum Pontificem cupere sentirem, quare ad vos citius, ut potero, veniam: non enim puto tam expeditum negotium futurum, ut non habeat aliquid morae* (1). Romae dum fuit, non tam ut prodesset discipulis suis publice mathematicas disciplinas docendo, elaborare solebat, quam ut multorum rationibus consuleret in propulsandis aquarum periculis. Quod vero ex ejus schola prodierint Cavalerius, Torricellius, Michael Angelus Riccius, & Borellius, quibus nihil genuit natura foecundius ad exornandas physicas & mathematicas disciplinas, hoc sane multorum triumphis

---

(1) *Hoc supplici libello veniam deserendae Academiae petiit.*

Serenissimo Gran Duca.

Don Benedetto Castelli Professore delle Matematiche nello Studio di Pisa, e Devotiss. Servitore di V. A. S. humilmente espone, qualmente è stato chiamato al servizio di N. S. Papa Urbano ottavo; e pertanto essendo l' oratore necessitato a lasciare la lettura dello Studio di Pisa, nella quale ha servito tredici anni, supplica V. A. S che resti servita a concedergli buona licentia, e continuargli la sua grazia, promettendo il supplicante di restargli perpetuo & devotiss. Servitore in ogni occorrenza, e di tanto favore resterà obbligato a pregare sempre Dio benedetto per la conservatione della sua Sereniss. Casa.

Ad haec rescripsit Princeps. Dovendo servire a S. S., loro AA. gli danno buona licenza, e vogliono che gli sia pagata l' intera provvisione di tutto l' anno; e per il buon servitio fatto, e stima che si fa della sua virtù potrà anco per ogni occorrenza promettersi sempre in questi stati honorato impiego conveniente al suo merito.

Il Gran Duca di Toscana.

Leonardo Accolti 17. Febbraio 1625. *Stil. Florent.*

Digitized by Google

antepono. Numerare quoque potuit inter suos discipulos, dum in Etruria fuit, Julium Rospiliosium, & Leopoldum Mediceum, ille Summus Pontifex, hic autem Cardinalis creatus, a quibus mirifice dilectus est. Hoc etiam Leopoldus tribuit in Praeceptorem suum studio, ut quaedam ejus philosophica opuscula typis imprimenda curaret. Sunt in iis plura ad visum lucemque pertinentia. Vidit ille nigra corpora, multo magis quam alba a sole calefieri, neque id alia de caussa accidere, nisi quia illa plures ex se lucis radios emittant, haec vero eosdem constringant, retineantque. Anteivisse videtur Malebranchium in explicanda caussa, quare sol & luna occidentes & orientes majores appareant, quam dum eas medio in cursu conspicimus. Opinione enim, non sensibus decipimur. Sunt alia in his opusculis, quae approbabis, & quae rejicies. Non enim iis temporibus multum profecerat optica. Ipse & astronomiae haud mediocrem operam navavit, & in observandis Jovis satellitibus Galilejo suo affirmavit, se daturum operam, ut per se quoque aliquid perficeretur, quod astronomiae & geographiae rationibus conduceret. Diu etiam Saturnum persecutus est, de cujus tergemina, ut putabatur, forma omnium primus a Galilejo ipso certior factus fuerat. Quae in rerum natura, totoque mundo constant, quaeque moventur, oculos ad se se trahebant Castellii, eamque jam in consuetudinem venerat, ut quaereret, non quibus rebus relaxaret ac remitteret animum, sed quibus intenderet. Ut vero audivit ex hac vita migrasse Galilejum, quocum omnes cogitationes suas communicabat, tantum indulsit dolori, ut industria sua in agendo, celeritas in conficiendo cum eo extincta esse videretur. Neque multo post ipse debitum naturae persolvit, cum complesset nondum LXVII. aetatis annum. Tantus Castellium honos, desiderium, memoria prosecuta est amicorum, ut mortuus quodammodo vivere videretur. Leopoldus vero Mediceus, cum in pinacotheca sua summorum virorum ad vivum expressas imagines non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum habere vellet, Castellii simulacrum proximum Galilejo collocari jussit; quo facto decus discipuli extulit, neque mediocrem praeceptori addidit gloriam.

Non

Digitized by Google

Non mihi nunc animus est de Logicis dicere, de quibus si dicerem, postqnam Galileii & Castellii mirifica inventa attigi, non immerito objiceres, quid ad istas ineptias abis? Et omnium quidem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit major, quam, ut illi solebant, quocunque in loco, quoscunque inter homines de rebus non necessariis & levitatis plenissimis argutissime disputare. *Contendes quamdiu voles* (sic aliquando Dialectici petulantiam coarguit Galilejus); *tamdiu autem velle debebis, quoad te garrulitatis tuae, si tamen id fieri poterit, poenitebit*. Vel ii, qui scholasticis studiis erant assueti, & multa subtilia postulabant, inveniebant quod reprehenderent in superioris aetatis logicis, quorum tota ars argutulis fallaciis constabat ad ostentationem comparatis, quam nemo ferre potuisset, nisi, omni abjecta humanitate litterarum, in barbariem, ac coenum se volens ac libens conjecisset. *Adeo inculta sunt* (ajebat Fonseca (1)), *horrida, & ab usu remota, quae superioris aetatis homines in hisce commenti sunt, ut nisi plurima rejiciantur, satius sit, ea potius non attingere*. Quemadmodum autem nobis eam veniam petimus, ut silentio praeterire eos liceat (quanquam non omnes praeterivimus, cum multi eorum ad nobiliores quaestuosioresque cathedras gradum fecissent) ita venia iis est concedenda, quod bonum ingenium in minimis levissimisque rebus contriverint. Tempora enim haec postulabant, in quorum imagine exprimenda in speciem dolentis conformati si diu nimis immorati sumus, hoc non voluntati, sed necessitati tribues. Sed tempus jam est, ut laetiora persequamur.

(1) Lib. VIII. Logicae Instit. c. 19.

CAPUT XV.

De Latinarum & Graecarum Litterarum Magistris.

QUI desideria sollicitudinesque noverant Cosmi, ut juris prudentiae, & medicinae ceterarumque disciplinarum cathedris summos viros praeficeret, minime dubitare poterant, quin studiis quoque liberalium artium ita consulturus esset, ut ea res populis suis, posterisque bene & feliciter eveniret. Non ignorabat ipse illustratam maxime fuisse Etruriam cultu humaniorum litterarum, & disciplinas ipsas ad nos allatas maxima ornamenta atque adjumenta habuisse a lingua ad explicandas res accommodatissima, quae compleret aures hominum, & incredibili voluptate animos perfunderet. Veluti novellae arbores sterili loco natae, si in solum foecundius transferantur, fructus afferunt uberiores, sic in Etruria liberales artes omnes felicitate linguae, quae non modo apte, sed ornate & distincte loqui posset, factae sunt fructuosae. Haec autem lingua quasi cognatione quadam continetur cum Graeca atque Latina, quapropter qui principes esse putantur in Etrusce scribendi elegantia, omnem suam operam in Graecis & Latinis scriptis noscendis atque exprimendis collocarunt. Placuit igitur tum Florentiae, tum Pisis aperiri scholas, in quibus studia Poetarum & Oratorum excolerentur, ad quas cum concurreret infinita multitudo adolescentium, nulla res tanti fieri in Etruria videbatur, quanti fiebant humaniores litterae. Vel eos, qui quaestuosis disciplinis operam dabant, puduisset in iis esse plane rudes, omnisque elegantiae expertes. Nimis a pro-

Digitized by Google

posito aberrarem, si recensere eos vellem, qui publice Florentiae docentes, effecerunt, ut haec civitas non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus, quam dicendi & scribendi elegantia floreret. Ii ferme ex Florentinorum numero eligebantur, Pisas vero plerumque arcessebantur alienigenae, qui celebritate famae absentibus noti essent. Hanc fuisse caussam reor, ne Cosmus votis satisfaceret Jo. Baptistae Adriani, qui ab eo summis precibus petierat (1), ut locus sibi daretur in renovata Academia Pisana. Dignus quidem illo erat, quod tantam jam esset facultatem adeptus, ut cum majoribus natu compararetur. Sed libuit de Francisco Robortellio transigere, quod negotium quoniam serius confectum fuit, non satis ipse habuit temporis, quo se ad habendam orationem in inauguratione studiorum compararet. Digna tamen homine judicata fuit, & ad inflammandos adolescentium animos, quorum tum primum CCC. fere auditores habuit, accommodatissima. Scribebat ipse ad Laelium Taurellium: *orationem tibi mitto: ejus custodiendae & proferendae arbitrium tuum sit: egi caussam in ea optimorum studiorum, intexuique laudes Cosmi, Mediceorumque Heroum, quorum nomen sanctum atque augustum semper erit apud omnes gentes atque nationes, quod liberalitate ac diligentia incredibili litterarum studia foverunt*. Quoniam instituti nostri ratio postulat, ut de hoc viro plura dicamus, ab illius vitae initio exordiemur. Is Andreae nobilis Utinensis filius fuit, & in lucem venit V. Id Septembris an. 1516. Nactus est a natura ingenium docile, aptumque ad humaniores litteras, in quibus praeceptorem habuit

(1) *Ejus litterae datae Bargae extant in Filza XXX. epistolarum ad ipsum Cosmum. Confidentissime ait, si sui periculum facere vellet, gloriam Marcelli Patris se aequaturum. Haec idcirco attulimus, ut erroris eos convincamus, qui affirmant recusasse Joannem Baptistam onus docendi in Academia Pisana.*

Bononiae Romulum Amasaeum, virum sane cum paucis comparandum. Cum Lucam accitus fuisset easdem docendi caussa, Lucenses adeo ipsum suspexerunt, ut neminem unquam Graeca & Latina exponentem magis sint admirati. Neque vero haec Cosmum Etruriae Ducem fugiebant, quapropter per Petrum Victorium cum ipso vehementer egit, ut operam suam Academiae Pisanae praestare vellet. Venit ad eam Octobri an. 1543., idque cum bona Senatus Lucensis venia, cujus decretum honestae, ut ita dicam, missionis, calumniae eos convincit, qui affirmant hominem litigiosum concitumque ad rixas ex illa urbe aufugisse, quod homicidii reus convictus fuerat. Nulli pepercit industriae, quo sibi conciliaret voluntatem eorum, qui plurimum poterant apud Cosmum Ducem, ejusque aulae decus augebant, Laelii Taurellii, Philippi Migliorii ejusque filii Antonii, & Francisci Riccii Pratensis, & Francisci Lottinii Volaterrani, in quorum nomine apparere voluit illas lucubrationes suas *de historica facultate*, *de Ciceronis quibusdam libris rhetoricis*, *de Catulli Epithalamio*, *de I. Aeneidum libro*, *& de Pisano Laconico*, *seu sudatorio*, quae, ut & alia hujus generis scripta, Pisani otii fructus fuisse dicebat. Hic, qui se magnifice jactabat atque ostentabat, perinde ac si neminem parem habuisset in Graecis Latinisque litteris, ita audiebatur Pisis, ut alii plurimum, alii parum ejus doctrinae tribuerent. Cum enim Franciscus Spinus ad Petrum Victorium scriberet, ait illum Aristotelem de Poetica explicantem *plurimum sibi adrogare*, & cum ejus lectionibus interfuisset, percepisse statim *se operam lusurum potius*, *quam ullam ex iis utilitatem se elicere posse*. Contra ea alii mirabilia prorsus de illius ingenio & eruditione praedicabant, summisque laudibus extollebant quae de Aristotelis poetica vulgaverat, alii neque concedebant, neque valde repugnabant; ipse vero Victorius, quod sane plurimi faciendum est, magnum virum esse Robortellium affirmabat. Cosmus quidem Dux suo & aliorum judicio tantum illi tribuebat, ut retinere ipsum in Etruria studuerit, cum Veneti an. 1549. invitassent ad occupandum locum clarissimi viri Jo. Baptistae Egnatii, qui cum esset

summa senectute, & perdita valetudine, rude donari postulaverat. Sed nullo praemio nullaque spe potuit allicere hominem, cujus fortuna ab inconstantia & temeritate sejungi non posse videbatur, quapropter ipse non diu fuit Venetiis, & dum fuit adeo ad iracundiam adduxisse Egnatium dicitur, ut hic gladiolo stricto per se se iujurias suas aliquando ulcisci studuerit. Inter haec Robortellius nobilem feminam Utinensem uxorem duxit, neque multo post suffectus est in locum Lazzari Bonamicii, quem olim Patavii audierat, cujusque interitu Graecae & Latinae litterae, & Patavinum Gymnasium magnam fecisse jacturam putabantur. Quinquennium Patavii fuit, ex quo loco discessit an. 1557. non modo ut invidiam & voces malevolorum, quibus ipse caussam dabat (1), vitaret, sed etiam ut precibus cederet Bononiensium, a quibus liberaliter sane invitabatur. Triennium apud eos docuit, & judicio studioque civium delati ei singulares honores fuerunt. Nihilo tamen minus se rogari passus est, ut ad Patavinos rediret, a quibus non amplius discessit, quamvis multae & magnae cum Sigonio, quem competitorem habebat, sibi controversiae fuere. Harum fortasse caussa Sigonius ipse Academiam Patavinam deseruit. Quoniam iis temporibus nihil illustrius fuit hujusmodi contentionibus, unde originem illae traxerint, & quem exitum habuerint, narrare nos minime pigebit. An. 1548. emisit Robortellius opusculum levidense sane *de nominibus Romanorum*, quod quinquennio post sic oppugnavit Sigonius, qui eamdem rem tractandam suscepit, ut probare potius sententias suas, quam injuriam facere Robortellio, quem nunquam nisi honorifice nominavit, voluisse videretur. At istud homo nimium sui amans, morosus, & iracundus sicuti rem acerbissimam

(1) *Cum orationem aliquando haberet de laudibus Caroli V. Caesaris, non modo a memoria, sed etiam a scripto desertus eam interrumpere coactus est, quod non sine risu auditorum fuit.*

moeruit, & cum secundo ipse edendos curasset Sigonii Fastos Consulares, ipsis praeposuit epistolam stomachi plenam. In eo etiam fraudem & malitiam suam aperuit, quod ut justiorem caussam coarguendi adversarii sui habere videretur, edere praetermisit omnia ea, quae hic in illud opus addiderat. Nihil ad illam epistolam respondit Sigonius, & suo contentus, an. 1556. vulgavit iterum commentaria in Fastos aucta & emendata cum libro de nominibus Romanorum. Id vehementer pupugit Robortellium, quapropter anno post emisit libellos cum hisce titulis: *de convenientia supputationis Livianae cum marmoribus, quae in Capitolio sunt*; *de arte, sive ratione corrigendi veteres auctores*, *& emendationum libri duo*, in quibus cum minime pepercisset dignitati adversarii, haud servavit suam. Porro non dubito, quin stomachere, cum audieris hominem, qui doctrina perpaucos pares habuit, neminem fortasse superiorem, & qui Robortellium longe multumque superabat, ab hoc coargui tanquam *imperitum, rudem, ac nullo judicio praeditum*. Id non tulit Sigonius, & qui quieturus erat, nisi crudeliter adeo fuisset lacessitus, irae frena laxavit. Unius mensis spatio vir promptissimus respondit acute contra inimici contumelias, & quamvis Seripandus Cardinalis pro sua summa sapientia se se interposuerit illorum irae, quae sedata esse videbatur, vehementius efferbuit, & hinc atque illinc prodierunt scripta, quibus se se invicem & lacessebant & laedebant, & quae Constantii Carisii nomine vulgavit Robortellius, exprobrant Sigonio & animi & corporis vitia, & omnia in illum maledicta conferunt. Tum Sigonius, qui librum unum *Disputationum Patavinarum* (sic enim inscribitur) in Robortellium confecerat, secundum vulgavit adversus *Ephemerides Patavinas* Carisii, quo nullus post Ciceronis Philippicas asperior & eloquentior extitit. Siluerunt deinde, jussu creditur illorum, quibus parere cogebantur, qui & illud curarunt, ut hujusmodi injuriosissima scripta aut ex hominum manibus eriperentur, aut occultarentur. Quod talia ab Sigonio extorserit Robortellius, vim quodammodo ejus naturae attulisse judicandus est; erat enim cautus, prudens, moderatus, hu-

Digitized by Google

manus & in doctos homines officioſsimus: contra ea Robortellius iracundus, litigiosus, & intemperans adeo in gloriae cupiditate, ut prae se ceteros omnes despiceret. Hinc Paullum Manutium *Bibliopolam imperitum*, Muretum *Ludimagistrum*, Alciatum *Furem expilatoremque omnium Scriptorum*, Stephanum *impostorem*, & ut de ceteris sileam, Erasmum indoctum appellare minime dubitavit. Sed horum opera extabunt, dum honos erit litteris, Robortellii vero quamvis hominis, in quo multa erat & Graeca & Latina eruditio, & multarum rerum cognitio (nam ut de illo ajebat Lilius Gregorius Gyraldius, *vel a prima aetate Sophiae amne sua proluerat ora*) pene ex hominum memoria exciderunt. Pertinent illa ad antiquitates Romanas, ad grammaticam, rhetoricam & poesin, ad veteres quosdam tum Latinos tum Graecos scriptores, quos aut emendant, aut illustrant, ad artem historicam, atque ad id generis alia (1). Quoad vixit nunquam scribendi finem fecit, & versus etiam condidit tum Latinos tum Graecos. Sed ejus poesis minime claris picta erat coloribus, & saepe in poetae laudes inaniter & effuse excurrebat. Omnis quidem arrogantia molesta est, sed illa ingenii molestissima. Atque hic vir, qui multos & laudatores & vituperatores habuit, vitam Patavii amisit XV. Kal. Apriles an. 1567. Sunt, qui affirmant in tanta eumdem paupertate deceſsisse, quamvis pro stipendio CCCC. floreni illi penderentur, quod idem ferme obtinuerat Pisis, ut qui efferretur minime reliquerit. Qua de caussa Academiae sumptibus funus illi satis honorificum factum est, & monumentum positum in peristylio Antonianae Basilicae a natione Germanica cum hac inscriptione.

(1) *Ejus opera edita vide apud Lirutum*: de' Letter. del Friuli Tom. II. & *apud Papadopolum* Histor. Gymnas. Patavin. p. *319*.

FRANCISCO ROBORTELLIO UTINENSI RHETORICAE ARTIS

MORALISQUE PHILOSOPHIAE PROFESSORI CLARISSIMO

QUI IN FLORENTISSIMIS QUIBUSQUE ITALIAE GYMNASIIS

MAGNA CUM FAMAE CELEBRITATE TRIGINTA ANNOS

PUBLICE DOCUIT NATIO GERMANA PRAECEPTORI

BENEMERITO UNANIMIS

POSUIT. VIXIT ANNOS L. MENSES VI. DIES IX. OBIIT XV.

KAL. APRILIS MDLXVII.

Miror equidem Cosmum, cujus divina erat vis in noscendis hominum ingeniis, & singularis dexteritas in alliciendis eorum studiis & voluntatibus ad suas utilitates, minime cogitasse de vocando ad Academiam Pisanam, postquam haec an. 1548. caruit Robortellii opera, Aonio Paleario, qui tum in Etruria commorabatur, quique talis erat poeticae, oratoriae omnisque elegantiae tum Graecae tum Latinae praeceptor, ut neminem parem haberet. Contulit quidem in ipsum beneficia, sed haec alienis magis precibus, quam sua sponte excitatus (1). Nihil de hoc viro amplius dicam, cum id mihi proposi-

---

Cosmo Florentinorum Duci.

(1) Aonius Palearius Verulamius complures ab hinc annos accitus fuit a nobis ex Hetruria & praefectus interpretationi publicae linguae graecae & la-

Digitized by Google

situm sit narrare facta hominum, qui ad Academiam Pisanam se applicuerunt. Clarior haec etiam fuisset, si inter suos numerare potuisset Carolum Sigonium, qui quidem, ut ex certissimis monumentis con-

tinae; cujus diligentia studio & opera tantum profecit juventus nostra, ut justis de causis sit nobis acceptissimus. Is cum multo antea patrimonium suum vendidisset, quod habebat Verulis, quae civitas est in Latio, emit agellum & domum in Etruria, uxoremque duxit & liberos procreavit in oppido Collino Vallis Elsae, quod oppidum est ditionis Excellentiae vestrae. Homo sexagennarius magno suo incommodo superioribus proximis annis uxorem & liberos, quos hic habebat, in Etruriam remisit, ut ibi familiam aleret exiguis proventibus agelli sui, & aliquid de stipendio corraderet, eo consilio ut aere alieno se liberaret, quod contraxit ob dotes filiarum, & sumptum filii, quem sustinet in Academia Pisana, & ob alia onera familiae. Nunc cum acceperit sibi tributum esse impositum majus, quam suae vires possint ferre, venit bonus senex ad nos, ostendens in quibus curis versetur, quod longe absit a suis, quod in eo oppido peregrinus sit, quod neminem habeat, qui supplicet. Habebat in animo dare se in viam, quod nos noluimus, cum ejus aetatis rationem habentes, tum instantis hyemis, tum incommodi se damni adolescentium & juvenum nostrorum, qui confectis feriis aestivis ad litterarum studia se contulerunt: itaque polliciti ei sumus litteras commendatitias, quas nunc damus ad E. V. quibus quantum possumus rogamus, ut commendatum habeat Aonium nostrum, & ejus familiam, cui quidquid favoris & gratiae accesserit, non Aonio accessisse putabimus, sed nobis ipsis.

Mediolano xv. Octobris 1566.

Observantissimi Praeses
& Senatus Regius Provinciae
Mediolanens.

Quod ipsi petierunt concessit Cosmus.

Digitized by Google

stat, (1) egit cum Jacobo Guidio de opera sua Cosmo locanda. Non alio fortasse consilio Scipionis vitam scribendam edendamque susceperat, nisi ut Cosmi ipsius gratiam, cui operis donum destinaverat, sibi conciliaret, sed tanto labori, tantaeque hominis gloriae par exitus minime fuit, veniaque petita, Patavinam, atque Bononiensem Academias, universamque Italiam immortalibus suis scriptis illustravit.

Nostrae attamen licuit in eo gloriari, quod post Robortellii discessum Graecarum & Latinarum litterarum studiosis mirabilem copiam suppeditare potuit discendi, cum in suis numerasset Quiricum, seu Cyriacum (utroque enim nomine appellabatur) Stroctium Florentinum & Petrum Angelium Bargaeum. Fuit sane Cyriacus Zanobii; & Mariae Stroctiorum Filius, ut ab ipso exordiamur, vir antiquae doctrinae & probitatis, quemadmodum ipsum nominat Silvius Antonianus; & cum floreret antiquitate generis & gloria majorum, & satis lautus esset, optimeque in patria litteris & philosophia instructus, multorum mores & urbes videre, seque peregrina doctrina ornare concupivit. Quod & praestitit. Redditus autem Italiae post longas peregrinationes non latere sivit intra domesticos parietes magnam vim doctrinae, quam sibi multis laboribus multisque impensis comparaverat, sed eam in Bononiensis Lycei luce omnium oculis philosophiam & Graecas litteras docens exposuit. Mansit ibi per octo & amplius annos, cum nemo non ejus virtutem honoraret. Coactus demum parere Cosmi I. voluntati, qui aegre ferebat tantum virum in alienis terris commorari, rediit in Etruriam, ubi ita se gessit, ut cum plurimi suorum inimici essent unius dominationi, ipse nil aliud quaereret, nisi ut facultas sibi daretur obsequendi studiis suis, quin alterutram partem offenderet. Quare ita vixit Florentiae, ut universis merito esset carissimus. Saepe quoque in conspectum colloquiumque ipsius Cosmi admitteba-

---

(1) *Sigonii litterae extant Volaterris in Guidiorum tabulario.*

Digitized by Google

tur, qui mirifice ejusdem eruditissimis sermonibus delectari atque erudiri affirmabat. Addictus demum Academiae Pisanae, ejus opera magni fuit. Conjungebat enim cum summa doctrina diligentiam prope singularem in exequendis iis, quae sui muneris erant. Ipsius Academiae monumenta testantur eum modo Graeca tantum, modo philosophiam moralem Graecam & Latinam, modo Graecam & civilem philosophiam, modo politicen e superiori loco explicasse. Ex epistolis vero clarorum virorum ad Petrum Victorium intelligi potest Homeri Iliadem, aliosque Graecos scriptores Pisis eumdem interpretatum fuisse. Sed ejus praecipuum munus, pro quo pendebantur illi CCC. & amplius centusses, fuit explicatio illius philosophiae partis, quam de moribus appellare solemus, quaeque licet nobilissima, ut pote magistra virtutis, non semper apud nos suos doctores habuit. Ante Cyriacum docuerant illam, ut alibi quoque narravimus, Uliverius Senensis, cui ineunte saeculo XVI. successit Franciscus Diaccetus, docuerunt postea alii, sed nemo gloria doctrinae aequavit Strozium, cujus schola floruit semper nobilitate discipulorum. Aristotelem maxime sequebatur, sed minime ignorabat, quae a Platonicis tradita fuerant, solitusque erat dicere Platonem sibi videri Aristotelem incomptum, Aristotelem vero Platonem comptum, & distincte ordinateque vestitum. Ut vero iis consuleret, qui minus erant Graecis litteris eruditi, commentariis & prooemiis illustravit plures Stagiritæ philosophi libros, & eos praesertim, qui sunt *de temperantia*, *de justitia & jure*, *de amicitia*, *& de felicitate, quae sapientia comparatur*. Eodem tempore, hortatu Laelii Taurellii, habebat opus magnum in manibus, quod Cosmo nuncupare meditabatur, quia sciebat ipsum praesertim politicis rebus delectari. Porro quem non deterruisset Aristotelis dicendi copia & suavitas prope incredibilis, sic ut flumen orationis aureum fundere illum Cicero affirmet, ne quid se addere posse putaret ad illa, quae divinitus ipse de politica disseruerat? Nihilo tamen minus Strozius suarum virium conscius quae aut praetermiserat Aristoteles morte impeditus, aut aetas deleverat, supplere se posse pu-

Digitized by Google

tavit, binis, octo qui extabant de Republica, adjunctis libris. Existimatores docti & intelligentes nihil illis elaboratius fieri potuisse judicarunt, & vel recentiores philosophi, qui delicatissimi sunt fastidii, & quidquid antiquitatem redolet respuere videntur, laudes iisdem tribuerunt (1). Extitit etiam homo Gallus Fridericus Morellius, qui illos in patriam linguam converteret. Suum vero opus ipse latinitate donavit, & gratias egit Robortellio & Sigonio, quod cum inter se opinionum dissensione semper discreparent, in illo laudando consensissent. Studium vel ab adolescentia Strozio fuit rempublicam capessere, eaque propter in ea cognoscenda multam magnamque curam consumpsit. Sed cum videret honores apud indignos saepe esse, & fortunam Etruscorum simul cum moribus immutatam fuisse, sic ut pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigerent, homo insolens malarum artium consilium coepit aetatem procul a negotiis agere, & in honestis ac liberalibus studiis bonum otium consumere. Clementis Alexandrini Stromata in Latinum vertit, commentaria, & emendationes in nobiliores Graecos scriptores paravit, Philosophiam multis locis inchoavit, quaedam etiam absolvit, & edere fortasse meditabatur, sed mors prohibuit, quam ex renum dolore & urinae difficultate obivit Pisis, cum LX. ageret aetatis annum. Diu Florentina civitas tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desideravit, nec minus doluit Academia nostra, quae decorata per illum plurimum fuerat. Pompa, exequiis, laudatione celebrata illius memoria fuit, & auxit funeris luctum & decus ipsius Cosmi I. praesentia. Ejus ossa deportata fuerunt ad Aedem S. Quirici, quae est inter Florentiam & Pratum, quo in loco villulam habebat, ubi aestivis temporibus agrorum & solitudinis mirum in modum amans rusticari solebat, & ubi in lucem hominum venerat. Serius omnino, quam par erat, pro tanti viri dignitate & fama, in sepulcro haec posita inscriptio fuit.

---

(1) *Vide Encyclopediam verb.* Aristotelisme.

Digitized by Google

KIRIACO STROZZA

ZACHARIAE F. PATRIC. FLORENT. PHILOSOPHO

PRAESTANTISSIMO

QUI PRAETER ALIOS INGENII SUI FOETUS LIBROS IX. & X.

ARISTOTELIS DE REPUBLICA DEPERDITOS

PROPRIO MARTE GRAECE SUPPLENDO CONFECIT

OBIIT PISIS AN. MDLXV. IV. ID. DEC.

AETATIS SUAE LX.

NE TANTI VIRI MEMORIA PERIRET UBI OSSA

TRANSLATA QUIESCUNT

CAROLUS THOMAS STROZZA ALEX. SENAT. F.

GENTILI SUO PROXIMIOR

TITULUM PONI CURAVIT AN. MDCCLI.

Ejus vitam Latine scripsit Zacharias Montius Florentinus, qui sororis illius filius erat, eaque Parisiis edita fuit an. 1604. typis Plantinianis. Alii quoque ejusdem facta illustria litterarum monumentis mandarunt, omnesque in eo elogio consensisse videntur, virum summa integritate atque innocentia fuisse, quod retulisse juvit, quia Maglia-

bechius suis in schedis (1) de ipsius religione suspicionem movit. Uxorem duxit feminam Susinanae ortam, qui locus est prope Marradium in Etruriae finibus, ex eaque plures suscepit liberos.

Venio nunc ad Petrum Angelium, qui a Barga, quod est Etruriae oppidum in finibus Lucensium, ubi honestissima familia, patre autem Jacobo natus est X. Kal. Majas an. MDXVII. Bargaeus appellatus fuit. Si parem ingenio habuisset fortunam, non ille quidem major, sed honoratior & ditior fuisset, quod magnos homines virtute metimur, non fortuna. Parum abfuit, quin dum bimestris erat, incendio absumeretur, cui nutricis negligentia caussam dederat. In grammatica usus est praeceptore patruo Christophoro Angelio, vixque decimum aetatis annum attigerat, cum & Latine scribebat, & verba Graeca recte ac memoriter inflectebat. Ab hoc curriculo deflectere illum coegit Franciscus Turignolius maternus avus, a quo totus pendebat, cum mature nimis parentibus orbatus fuisset. Homo enim in armis enutritus, qui Florentinorum stipendia merebat, puerulum, in quo summa ingenii vis apparebat, bellicae laudi destinaverat, qua de caussa secum ipsum duxit, quando ad urbem Florentiam tuendam adversus Caroli V. Caesaris & Clementis VII. S. P. exercitus cum suis legionariis militibus vocatus est. Ante belli finem cum de Republica desperaret, missionem a Senatu petiit, & tum Petro, propinquis cohortantibus, indulsit, ut studiis vacaret. Itaque ductus Typhernum a Christophoro patruo ibi renovare coepit studia grammaticae. Verum non solum omnia, quae antea didicerat ex memoria illius exciderant, sed & tanta caligo aciem ingenii perstrinxerat, ut hebetem & rudem ad omne

(1) *Idem de Strozzio retulit*, che essendo venuto in Firenze Bernardino Telesio, gli dissero alcuni di andarlo a vedere, e che rispose: Io ho inteso dire che ha 60. anni; se avesse due mila anni, come Aristotele, a quest' ora sarei ito a vederlo.

Digitized by Google

studiorum genus magistri ipsum judicaverint. Quapropter Christophorus in patriam remittendum censuit, ut aut mercaturae, aut militiae se se dederet. Dolens Petrus, quod sibi dura adeo lex imponeretur, sic experrectus est, ut brevi condiscipulos omnes superaverit, ipsique praeceptori esset admirationi. Cum jam ageret annum XVI. Bononiam missus est ad jus civile perdiscendum, audivitque Ugonem Boncompagnium, qui postea Romanus Pontifex creatus est. Hic barbare adeo loquebatur, ut auxerit in Petro taedium addiscendae juris prudentiae, quapropter recreandi animi caussa saepe veniebat ad Romulum Amasaeum, cujus exemplo & vocibus inductus, totum se dedidit Graecis Latinisque litteris, a quibus neque propinquorum minae, neque amicorum preces, neque Andreae Alciati, qui tum Bononiae Romanas leges interpretabatur, cohortationes abducere illum unquam potuerunt. Maligne autem omnia ad victum suppeditantibus patruis, & libros de jure civili omnes, quos emerat, vendidit, & Romam cum Philippo Pepulo se contulit, ex qua urbe sex post menses Bononiam rediit, in liberalitate amici id omne inveniens, quod ad vitam sustentandam excolendaque studia sua conducebat. Et cum audisset Andream Naugerium & Franciscum Molzam viros poetica laude celeberrimos scribere ingressos de venatione rei difficultate perterritos susceptum opus abjiecisse, in hac ipsa re quid suae possent vires experiri decrevit. Quamobrem impetu quodam animi actus quingentos circiter Latinos versus fudit, quibus multarum ferarum mores, & naturam descripsit. Quos cum Amasaeus legeret, & magnopere laudavisset, Bargaeum suum (sic enim ipse omnium primus Angelium vocitavit) hortari non destitit, ut pergeret conficere iter reliquum, ad eamque rem Oppianum & Aristotelis libros de animalibus accurate perlegeret. Quod & fecit; sed nolebat esse alienarum sententiarum explicator, & quo sibi certiora & nova suppeditarentur, Gallos, ceterosque populos, quos in primis venatione delectari audierat, invisere concupivit. Verum quam spem tollere, aut remorari videbatur inopia rei familiaris, praebuit casus & fortuna. Amabat ipse feminam eximia pulchritudine

Digitized by Google

ac nobilitate, atque ab ea redamabatur. Huic cum recusare minime potuisset, quin senarios quosdam scriberet in uxoris suae lenonem, nobilem tamen & potentem virum, iique versus in vulgus sparsi essent, & indicia ad Praetorem delata unde prodierant, fuga capitis periculum vitare coactus fuit. Tectus amicorum praesidio Venetias concessit, eumque se applicuisset ad familiaritatem Guilelmi Pellicerii Montis Pessulani Episcopi, atque Gallorum Regis ad Venetos Legati, triennium in illius domo fuit, occupatus maxime in corrigendis Graecis codicibus, quos plurimos Regis sui jussu Pellicerius exscribi curabat, & in adjuvando Pellicerio ipso, qui totus erat in piscium historia exponenda. Hujusmodi lucubrationes, cum in manus postea pervenissent Rondeletii, magno sane illi usui fuerunt ad libros absolvendos, quos de piscibus in lucem edidit. Interea Galli Caesarianis bellum inferre decreverunt, qua de caussa missus est Legatus Byzantium primum, mox Venetias Antonius Polinius. Cum verba ipse facturus esset sui Regis nomine ad Venetum Senatum, Bargaeus orationem conscripsit, in qua Caesarianorum injuriis, effrenataque dominandi cupiditate, & Gallorum beneficiis erga eam Rempublicam commemoratis, ipsam hortatus est ad defendendam communem fortunam & caussam. Ubi se nihil profecisse intellexit Polinius, Byzantium rediit, secumque habere voluit Bargaeum, in cujus dexteritate, prudentia atque doctrina plurimum confidebat. Totum iter & navigationem consumpsit Bargaeus partim in percunctando a peritis, partim in inquirendo curiosis oculis, quae digna observatione esse putabat; invisit Asiam & totam ferme Graeciam, & cum Naupactum delatus esset, continere se minime potuit, quin totum Parnassum montem pedibus perlustraverit, sperans ex iisdem fontibus se hausturum laudes suas, unde divinos animos libasse veteres poetae dicuntur. Reversus in Italiam cum classe Gallorum & Turcarum, interfuit Niceae obsidioni, multisque in rebus sane utilis ejus opera Gallis fuit. Adversa postea his acciderunt, quae cum tribuissent Italis, extitit qui coram Bargaeo affirmaret, omnes esse ex fraude & mendacio
com-
Digitized by Google

compositos. Id ille non tulit, tantusque fuit irarum ardor, ut Gallum, quem prius manu percussum ad arma exciverat, pugione confoderit. Turcicae triremis, in qua haec acciderunt, Trierarchus injici Bargaeo catenas jussit. Postero autem die cum classis Tauroentium pervenisset, omnesque Galli e trireme in portum descendissent, Trierarchus ad se accito, quem diligebat, Bargaeo, denuntiat illi vitae periculum, monetque ut fuga salutem quaerat. Discessit igitur, & citatis equis Massiliam ad Leonem Stroctium se contulit. Nunquam illum calliditas, audacia, & amici deseruerunt, ut declinaret prope incredibilia vitae discrimina, in quae adductus fuit, quoad per longa & devia itinera in sinu & gratia Alphonsi Davali Vasti Marchionis conquievit. Homini non tam militari virtute, quam in litteras studio clarissimo non poterat non esse acceptus Bargaeus, de cujus praestantia in poesi multa jam fama nuntiaverat. Itaque aliquandiu ipsum apud se liberaliter retinuit nullum sinens abire diem, quin ejus musis delectaretur. Non privavit debito testimonio, cum idem in Etruriam ad Cosmum Ducem venisset, neque invitare cessavit ut ad se rediret, cum implicitum domesticis litibus, nec bene a fratre natu majore & patrüis habitum audivisset. His de caussis dum parabat iter Mediolanum Bargaeus, accepit Alphonsum, contracto ex venatione morbo, diem suum obiisse, qui nuncius sic ipsum perculit, quasi omnis spes sua cum illo extincta esset. Ut levationem a musis quaereret, totum se convertit ad ordinanda ea, quae paraverat tum in Thracia, tum in Gallia condendi caussa poematis de venatione, in quo postea viginti & amplius annos consumpsit. Interea a Regiensibus, proposita in singulos annos sex millium ac septingentorum sextertium nummum mercede, ad Graecam Latinamque linguam publice docendam evocatus est, quam conditionem libentissime accepit. Defessus enim praeteritarum calamitatum fluctibus, quos plurimos &, maximos duos jam annos continenter pertulerat, nil malebat quam locum invenire, in quo quiete & tranquille vitam agere posset. Regii Lepidi cum esset, librum de venatione primum versibus con-

scripsit, praeterea Polyaeni libros Strategematum Latinos fecit, & civium utilitati adeo consuluit, ut hi annuum stipendium liberalissime auxerint, & habita in Senatu de ipsius virtutibus ac magnis erga Regiensem juventutem meritis oratione, civitate donaverint. Incidit tamen in nonnullorum odium, quod virginem nobili loco natam, quam se se in matrimonium ducturum spoponderat, omnibus jam ex lege & more peractis, praesens praesentem repudiavit eam ob caussam, quod sponsae affines & propinqui ei gravem conditionem constituere voluerant, sedem & domicilium Regii Lepidi collocandi. Commoratus in illa urbe circiter tres annos a Cosmo Mediceo an. 1550. Pisas ad oratoriam poeticamque tum Graecam, tum Latinam publice tradendam vocatus est. Quo quidem in munere obeundo laudabiliter adeo se gessit, ut cum an. 1565. obiisset Cyriacus Stroctius, qui Graeca, ethica, politica & alia hujusmodi exponebat, postquam annum unum ejus cathedra vacua doctore fuisset, occupare illam jussus fuerit Bargaeus. Sed non propterea solutus est illo priori munere, sic ut, quod perraro accidit, idem mane Graeca, quae ad ethicam & politicam spectant, vesperi autem Graeca & Latina, quae ad studia humanitatis pertinent, exponeret. An. 1571. semel in die tantum, idque vesperi docere coepit, anno vero 1576. electus est Paullus Viulardus Gallus, anno post Bartholomaeus Mancinius Politianus, & anno 1581. Dominicus Mancinius Cortonensis, qui illius vices in humanioribus litteris tradendis gererent. Nihilo tamen minus pendebatur ipsi ab Academia annuum stipendium, quod initio fuit CCC. centussium, auctumque est ad CCCC. quando in Stroctii locum ipse successit. Caussam illi dedit intermittendi munus suum voluntas Ferdinandi Medicei Cardinalis omnium quotquot fuerunt amplissimi, qui secum Romae Bargaeum habere voluit (1). Mirifice enim capiebatur illius ingenio, quantoque si-

Serenissimo Sig. mio Fratello.

(1) Col favor del buon tempo me ne sono venuto questa sera a S. Qui-

Digitized by Google

bi ornamento esset tantum virum domi suae alere sentiebat. Ejus quoque consiliis utebatur, quod in eodem erat fidelitas & prudentia sin-

rico .... Io mi dimenticai di dir hier sera a V. A. che sendo risoluto di ripigliar i miei studj, nessuna guida mi ai mostra più atta a farmi fare qualche progresso, & insieme honorarmi, quanto Mes. Piero da Barga Humanista di Pisa, & che perciò desidero infinitamente haverlo appresso di me. Di levarlo interamente da Pisa io non graverei V. A. ma ben la prego a concedermelo per sei mesi dell' anno con lassarli la sua solita provisione dello Studio, acciò che egli non patisca, & io non venga gravato di sì grossa spesa, che saria il pagarla del mio, oltre qualche altra cumodità, che è honesto chi io li dia. Vi saria il Vescovo di Massa ancora, ma io non lo richiederei al Papa in questo tempo, che tanto preme S. S. in questa benedetta residenza; & mi prometto, che in cosa di servizio & honor mio come questa V. A. mi compiacerà volentieri, di che torno a pregarla, dicendole che M. Pietro detto si contenterà di venir hora a quaresima, quando sia con buona gratia di lei & senza danno di lui, & che il Vescovo suo fratello piglierà intorno a ciò il carico di farli intendere la risoluzione di V. A. alla quale non havendo altro da dire, fo fine raccomandandomi in sua buona gratia.

Di S. Quirico li 12. Gennajo 1573.

Affmo Fratello e Serv.
Franc. Card. de' Medici.

Francisci M. Ducis nomine his verbis rescripsit Bartholomaeus Concinius.
Detto Mes. Pietro Angeli S. A. glielo concede per dopo questa prima terzaria, con condizione però, che agli attenda a quel che ha da fare con lei, e non al cortigiano.

gularis. Cum Pisis Petrus esset eo tempore, quo a Cosmo Duce bellum Senense gerebatur, & impeditis propter illud solutionibus, multi e Gymnasio Doctores abibant, ipse omnem domesticam supellectilem, atque adeo etiam bibliothecam suam multorum sane nummorum pignori dedit, ut quantum in se esset, ceteris dilabentibus, Gymnasium illud ne desereretur. Neque ex hac re modo, sed & ex alia magnam apud Cosmum consecutus est gratiam. Dum bellum ardebat, cum Petrus Stroctius ex urbe Senis egressus prope Pisas pervenisset, & nulli plane essent, qui civitatem, si oportuisset, legionariis absentibus, tuerentur, Petrus auctor magistratui fuit, ut adolescentes, qui studiis vacabant, circiter ducentos armaret, qui suis custodiis vigiliisque moenia defenderent. Quo probato consilio, & ipse omnium primum armatum se conspiciendum praebuit, & quoniam instruendae aciei rationem in Gallia atque Insubria didicerat, & eloquentia valebat ad inflammandos animos vel ignaviorum, non modo adolescentes, sed ipsos etiam Doctores per urbem armatos duxit, & in custodienda urbe occupatos habuit, dum a Cosmo magna & firma praesidia militum venere. Tot tantique belli tumultus, & rei familiaris angustiae nunquam potuerunt ipsum a studiis avocare, scripsit historiam ejusdem belli Senensis, & dies noctesque in absolvendis sex de Venatione libris, quos inchoaverat, versabatur. Iis postea addidit librum de aucupio unum, quod dilatare argumentum ipsi in animo erat, interrogatusque aliquando, cur inchoatum opus reliquisset, respondit, se quoniam in venando nihil cepisset, & in ejus venationis apparatu a canibus propemodum absumptus esset, ne, quae sui reliquiae supererant, ab accipitribus & vulturiis exederentur, aucupii fortunam experiri noluisse. Feliciter sane Bargaeus in hisce poematibus Virgilium non modo imitatus, sed etiam aemulatus est; neminem vero fore ajebat Possevinius (1) qui Bargaeum ipsum imita-

(1) De Poesi Cap. XVII.

Digitized by Google

retur; cum ex ejus sententia poema, quod *Cynegeticum* inscribitur, ita festivum, ita concinnum, ita elegans sit, ut nihil artis & scientiae in eo deesse videatur. Fecit, cum senesceret jam, aliud quoque poema, cui *Syrias* nomen est, quodque commendatur castitate, numero ac rerum varietate & copia. Laudes enim celebrat illorum Christianorum Principum, qui ductu Goffredi Bulionis Lotharingiae Ducis Hierosolymam a Turcarum tyrannide liberarunt. Scripsit item epigrammatum, elegiarum & eclogarum libros, nec Latinas solum, sed & Italicas musas (nonnihil etiam Graecas) excoluit, quas nunquam non amicissimas expertus est, ut merito a Paullo Manutio, aliisque doctissimis suae aetatis viris summus poeta appellatus fuerit. Vel ille natura & arte malevolus & maledicus homo Petrus Aretinus laudes summas tribuit Bargaei (1) poetico ingenio. Habuit quoque suos laudatores ejus eloquentia, quam exquisitae sententiae, & polita atque elegans vestiebant oratio. Porro duo summe tenuit ille, ut & rem illustraret disserendo, & animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate, quare quoties dicturus erat, magni concursus fiebant, significabaturque a corona silentium. Tres ejus extant funebres orationes, quarum una est de laudibus Henrici II. Valesii Gallorum Regis, secunda & tertia de laudibus Cosmi Medicei, & illius filii Francisci Magnorum Etruriae Ducum. Ut non modo exemplo, sed etiam praeceptis verae eloquentiae traderet vias, commentatus est aureum Demetrii Phalerei libellum *de Elocutione*; sed ne Petro Victorio viro eruditissimo, atque illud idem jamdudum agenti argumentum praeripuisse, & eam observantiam ac pietatem, qua illum prosequebatur, aliqua ex parte laesisse videretur, ab edendo abstinuit. Alia etiam ex Graeco convertit, & in his Oedipum Tyrannum Sophoclis. Suos enim discipulos, in quibus erat studium, ad Graecos ducebat, ut praece-

(1) Epist. lib. IV.

Digitized by Google

pta eloquentiae & poesis a fontibus potius haurirent, quam rivulos consectarentur. Acute quoque interpretatus est difficillimas quasque Ciceronis orationes, & epistolas complures ad amicos misit, in quibus loca quaedam perobscura & difficilia tum Graecorum, tum Latinorum scriptorum explicavit. Harum nonnullae, ipso plane invito, Lugduni excusae opera Michaelis Bruti ad hominum manus pervenerunt. Cum bene quoque de Italicis litteris meritus esse judicaretur (neque sane erant obscura indicia in illius carminibus & orationibus) facile cunctorum suffragiis Academiae Florentinae Consulatum, sic enim vocabant, obtinuit. Locutionis autem emendatae, & prorsus Etruscae laus penes Bargaeum fuit non modo bonae consuetudinis, sed etiam rationis & scientiae, quam exercitationibus crebris atque magnis consecutus est. Omnino nihil illi defuit, quod copiosus, elegans & sapiens scriptor habere debet. Ejus oratio quasi mores effingebat. Genere enim quodam sententiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione dignitatis plena, facilitateque significandi, efficiebatur, ut gravis, probus, & bene moratus esse videretur. Porro natura adeo honestatis studiosus & appetens erat, ut non continere irae motus, ad quos propensus erat, posset, quoties in aliquo detexisset non modo conatum, sed etiam voluntatem sui decipiendi; & quamvis ingenii existimatio illi magnopere curae erat, illa tamen multo majora putabat, veritatem, fidem, officium, diligentiam. His de caussis apud Mediceos Principes maxime honoratus fuit, quanquam minime defuerint, qui ejus laudi inviderent (1) & quod absentibus erat notus, ab Hen-

---

Molto Ill. & Eccmo Sig. mio Ossmo.

(1) Perchè dalla inscrizion, che tocca a me, del Rolo dello Studio di quest' anno, conosco d'essere stato mal trattato presso S. A. S. con bugie & false relazioni, m'è parso di scriver la qui alligata pur a VS. pregandola

Digitized by Google

rico III Gallorum Rege singularia beneficia ac praemia obtinuit. Illum autem quamvis esset summa senectute, non tam fructus & gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectabat. Quare nihil illi accidit, quod mallet, quam ut omni alia cura liberatus extremum vitae suae tempus Pisis in litteris ageret, qua in urbe mortem obivit Kal. Martii (1) an. 1595. more computandi Florentino, communi autem 1596.

---

con ogni maggior efficacia di cuore a leggerla a detta S. A. S. acciocchè, se possibile è, la innocenza mia non rimanga oppressa dall' altrui maligna disposizion verso di me, & da un affetto ambizioso & irregolato di volermi havere in arbitrio suo & strapazzarmi. Supplico adunque V. S. a essermi benigna di tanto favore, che le ne terrò perpetuo obbligo, & lo annovererò fra primi & maggiori benefizj ricevuti dalla molta amorevolezza della casa sua Et con questo baciandole le mani le prego da Dio ogni contento.

Da Barga il dì 13. d' Ottobre 1594.

Di V. S. molto Ill. & Eccma

Servitore Obbligatissimo
Piero Angeli.

(1) *In Actis Academiae haec scripta sunt*. Sabato a 2. di Marzo 1595. non si lesse nè Ordinarj nè Straordinarj, perchè giovedì notte a ore 8. morì Pietro Angeli, e si seppellì detto dì a ore 18. in circa. Si andò collegialmente da' Dottori e Rettore dietro al corpo a S. Giovanni, non potendo in Duomo per l' incendio seguito il giovedì notte 24. Ottobre 1595. Sanleolino orò in Firenze, Jacopo Mazzoni da Cesena fece l' Orazione funerale sopra il corpo, e tutti i dottori & scolari portorono torcie bianche, & la lezione si detta per letta.

Digitized by Google

Pro hominis dignitate amplo funere extulerunt eum Rector, Professores, ac Discipuli omnes ad Baptisterium, quod proximum est Pisanae Ba-

---

OPERA EDITA

Laudatio ad funebrem concionem, quae VII. id. Sext. habita est Florentiae in exequiis Henrici Vallesii Gallorum Regis: Florentiae 1559.

Laudatio ad funebrem concionem, quae Pisis habita est in exequiis Cosmi Medicis Mag. Etruriae Ducis; Florentiae apud Junctas 1574.

Oratio Florentiae habita in funere Francisci Medicis Magni Ducis Etruriae XVIII. Kal. Jan. 1587. Florentiae apud Junctas. *Hae tres orationes in Italicam linguam translatae fuerunt.*

De ordine legendi Scriptores historiae Romanae: Rostochii 1576. in 4.

Poemata omnia diligenter ab ipso recognita; Romae 1585. apud Zanettum. *Extant in hac collectione*; Cynegeticon libri VI. *qui semel iterumque antea typis impressi fuerant*, de Aucupio liber I. cum elegia de Radagasii & Getarum caede ad Urbem Florentiam *edita a Junctis vel ab an.* 1566. Epithalamium in nuptias Francisci Medicis & Joannis Austriacae, *quod editum antea a Junctis, & carminibus Etruscis redditum fuit a Gherardo Spinio*, Eclogae IV. epistolarum lib. I. Carmioum lib IV., Syrias, hoc est expeditio illa celeberrima Christianorum Principum, qua Hierosolyma ductu Goffredi Bulionis Lotharingiae Ducis a Turcarum tyrannide liberata est. *Hoc poema duodecim in libros dividitur, illudque commentariis suis illustravit Rupertus Titius Bargaei discipulus. Binos priores illius libros an. 1582. Parisiis edi jusserat Henricus III. Integrum edidit quoque Philippus Juncta 1591. cum carmine votivo in S. Catharinam.*

Commentarius de obelisco ad Sixtum V. Romae ex officina Bartholomaei Grassi 1586.

De privatorum publicorumque Urbis Romae eversoribus epistola ad Petrum Usimbardum; Florentiae apud Bartholomaeum Sermartellium 1589. *S. Gregorium magnum, ejusque successores eversionem praesertim intulisse probat tot antiquitatis monumentis.*

Basilicae. Haec enim paucis mensibus antea incendio conflagraverat. Plures illum laudarunt, Jacobus Mazzonius Pisis, Florentiae autem Franciscus Sanleoninius, & Joannes Baptista Stroctius. Sepulcri monumentum habuit in Campo, ut dicitur, Sancto a Virginia filia, quam unicam susceperat, (qua ex femina nescio) quaeque Joanni Santinio Bargaeo nupta fuerat. Haec autem sequens elogium scribendum curavit.

D. O. M.

PETRO ANGELIO BARGEO IN PIS. GYMNASIO

PER QUAMPLURES ANNOS INTERPR. ERUDITISS.

POETAE ORATORIQUE CELEBERR. A FERDINANDO MED.

MAGN. DUCE ETRUR. III. PATRONO MUNIFICENTISS.

INTER SUOS FAMILIARES COOPTATO OPIBUS ET HONORIBUS

AUCTO VIRGINIA F. MOESTISS. MEMORIAE

ET PIETATIS ERGO P. VIXIT ANNOS LXXIIX.

MENSES X. OBIIT PRID. KAL. MART.

MDXCVI.

Poesie &c. con l'Edipo Tiranno tradotto. In Firenze per Bartolommeo Sermartelli 1589.

Epistolae Latinae. *Vide* Clarorum virorum epistolas editas Lugduni 1561. a Michaele Bruto. Italicae. *Vide* Part. III. Vol. I. delle Prose Fiorentine.

Commentarium de rebus ipsius. *Extat* ne'Fasti Consolari dell'Accademia Fiorentina.

Digitized by Google

Pauca omnino habemus, quae historiae monumentis mandemus de Paullo Viulardo Gallo, & de duobus Manciniis, de quibus supra mentionem fecimus. Ille prior accessit ad Academiam an. 1576. cum stipendio CCCC. centussium, neque ultra annum in illa mansit. Tum successit illi Bartholomaeus Mancinius Politianus, vir satis Graecis litteris doctus, & ad dicendum, explicandumque, quod proponebat, idoneus. Venerat ipse ex Gallia, ubi sexennio plus publice privatimque philosophiae praecepta tradiderat. Post quadriennium veniam abeundi ab Academia obtinuit, cujus consilii illum poenituisse oportet, quod, cum esset ferme septuagenarius, locum inter logices, quod sane miraberis, praeceptores petierit atque obtinuerit (1). Hujus Magisterii quadriennio exacto, rediit in patriam, ubi XV. Kal. Sextiles an. 1616. vitam cum morte commutavit. Ille alter Maucinius nomi-

(1) *Querens de sorte sua haec ad Cosmum II. Magnum Ducem scripsit:*

Serenissimo Gran Duca

Bartolomeo Mancini da Montepulciano devotissimo Vassallo, & Servitore di V. A. S. tornato d' Avignone in Francia, dove pubblicamente lesse più anni filosofia col favore del Serenissimo Ferdinando di gloriosa memoria allora Cardinale, fu, già trentasei anni sono, condotto a leggere humanità, e filosofia morale nello Studio di Pisa, con provvisione di Scudi centocinquanta, & più Scudi dieci per l'oratione nel principio di Studio, donde doppo quattr' anni per certa occasione con buona licenza, & gratia si assentò. E già due anni sono per benignità di V. A. S. è stato ammesso alla prima Cattedra di Logica nel medesimo Studio per continuare; e come desideroso di servire, non trattò niente della provisione, stimando, ch' almeno non sarebbe inferiore alla prima, e pure è stata di cento Scudi soli, che ne vanno quasi in pigioni, & in viaggi. Egli non è novizio, che ha letto già più di quaranta anni, & in età di sessantanove anni, non può porre speranza in lunghezza di tempo. Prega, & supplica V. A S. che continuando benignamente verso d' un suo naturale, &

ne Dominicus, Simeonis filius, patria Cortonensis, generosa stirpe ortus atque Senis bonis artibus ac disciplinis institutus, floruit magis ingenii laude, de quo cum scriberet Valerius Chimentellius, ait ipsum *facunda oris, juris scientia, Graecarum & Hebraicarum litterarum peritia totum Gymnasium implevisse*. Postquam per quinquennium vices gesserat Bargaei, humaniores litteras e superiori loco docens, autumno anni 1586. locum fecit Aldo Manutio, recuperavit vero, cum hic ab Academia an. 1588. discessisset, retinuitque ad annum usque 1592. Post id otium in patria quaesivit, non illum desidiosum, sed quod in studiis cognoscendi semper aliquid atque discendi remotus ab oculis hominum consumeret. Neque multo post XIII. Kalend. Quint. an. 1595. e vivis excessit, cum quinquagesimum nondum explevisset aetatis annum. Tantus illum honos, memoria, desiderium prosecutum est amicorum & civium, ut ex hoc uno fuisse illius vitam laudabilem, & mortem beatam judicari possit (1). Eodem illo anno cum Jo. Baptista Pinellius Latina carmina vulgasset, quae lau-

antico Servitore, sovvenga al bisogno di lui, che in quanto alla carica sua, la sostiene, e sosterrà, pronto a render ragione di se, & non perdonerà mai a fatica veruna: tanto promette, & riverente prega a V. A. S il colmo d' ogni felicità da chi può dare ogni bene &c.

(1) *In Necrologio quodam Cortonensi haec de illo narrantur*: Admodum Reverendus & Excellentissimus I. U. D. Dominus Dominicus quondam Simonis de Mancinis Civis, & Clericus Cortonensis . . . . summis virtutibus excellens, & olim, ut audivi, in Pisano Studio Lector, omnibusque propterea valde gratus; Die Lunae *19*. Junii praesentis anni *1595*. Animum Deo Optimo Maximo reddidit, maximum sui desiderium, & dolorem ingentem relinquens, non solum universae urbi nostrae, sed & omnibus Urbibus, Terris, & Oppidis vicinis, in quibus olim propter ejus virtutem, & animi, & corporis, ac fortunae dotem, quibus ornatus erat,

Digitized by Google

des celebrabant doctissimorum illius aetatis virorum, minime praeterivit Dominicum Mancinium, qui si diligentius famae serviisset, profecto sui memoriam immortalem reddidisset.

Nunc de Aldo dicendum, qui quamvis avitam & paternam gloriam minime aequaverit, non mediocre tamen addidit decus Manutiorum familiae, quae ex ipsius Sapientiae stirpe generata esse videbatur. Natus is est Venetiis id. Feb. an. 1547. (1) cum Paullum patrem habuisset, matrem autem Margaritam Odoniam. In ejus ortu carmen scripsit Petrus Angelius Bargaeus, misitque Regio Lepidi ad Paullum cum epistola, quae inter Manutianas Italicas legitur. Filiolo Aldi nomen cur Paulus esse voluerit, declaravit amico, scilicet ut revocaret memoriam Aldi patris, tantique viri nomine tanquam calcari quodam ad bonarum artium studium excitaretur. Quam vero ipse diligens fuerit in educando filio, sollicitusque ne aut pravis moribus naturam non satis docilem inficeret, aut perversa institutione optimum ingenium corrumperet, declarant litterae ejusdem plenae amoris & sapientiae (2) quibus illum Hieronymo Odonio Socero, cum ad Bononienses an. 1555. venisset, commendavit. Eo tempore, quo Paullus

---

nostris & incredibili amore prosecutus erat, cum magna pompa, ut tantum virum decebat, & cum magno omnium moerore sepultus fuit in Ecclesia Cattedrali, in Sepulcro ejus Antenatorum.

(1) *Qui secus tradiderunt erroris convincuntur ipsius Aldi testimonio. Ait enim in epistola, quam praemisit Ciceronis libro de optimo genere oratorum, scripta* Venetiis id. Februarii 1585. more Veneto *(erat annus communi computandi more 1584.)* quo ego die XXXVIII. ingredior annum.

(2) Lib. 3. ep. 10. Le ricorderete, che di rado lasci andare Aldo a casa per isviarlo quanto meno si può dalla disciplina del suo diligente maestro; e andandovi alcuna volta per le bisogne necessarie, guardi che egli non trascorra nell' insolenza, alla quale pare che accenni la sua naturale fierezza di volerlo trasportare; ed è quasi un ordinario, che questo vitio

Romam vocatus est a S. P. Pio IV. ad eam curam, ut sanctissimorum virorum scriptis, quibus humano generi salutaris doctrina continetur, emendandis edendisque praeesset (accidit id an. 1561.) venit cum eo Aldus, de quo sic scribebat ad amicos. *Valeo satis commode: filius discit apud me diligenter, nec poenitet quantum proficiat:* atque alio in loco: *Filius meus, cui te bene ominari gaudeo, mea voce jam, qua quotidie fere aures ejus antea personabant, in discendo non utitur: sic enim in utraque versatur lingua, ut suo jam studio potius, quam nostra proficiat industria.* Tam praeclarus evaserat jam Aldus imitator paternorum studiorum, ut ipse an. 1563. a se illustrata ediderit Sallustii historici, quae superfuere, scripta, eaque Jesuitis, qui in Romano Collegio degebant, nuncupaverit. Vel antea probaverat omnibus suum in Latinam linguam studium, cum emisisset an. 1556. Venetiis *elegantiarum* librum, & quinquennio post *Orthographiae rationem*, quorum operum cum exemplaria jam deessent, iterum edenda curavit, addita orthographiae *veterum notarum explanatione*. Factum id Venetiis fuit an. 1566., & Venetias illum cum matre per haec tempora rediisse plures Paulli Patris testantur litterae. Neque multo post in Urbem remeavit, iterum Venetias, cumque ibi an. 1570. edidisset Nicolai Clenardi Institutiones linguae Graecae, & sua scholia in Caesarem, admonuit lectores qua ratione verae a falsis Manutianae editiones dignosci possent. Ait enim; *qui libri cum Aldi Junioris nomine, Seniorisque effigie in posterum edentur, eos tantum scito Manutianae editionis esse*. Tandem Manutii pertaesi Urbis decem fere post annos, quam in illa sedem collocaverant, ipsam deseruere, & cum esset Aldus Venetiis cum matre eo tempore, quo Paul-

---

i migliori ingegni accompagna; non dimeno io amerei più tosto, che egli avesse tardo e grosso ingegno con la modestia, che l'insolenza con acuto e presto ingegno.

lus pater ab ea abesse ob incommodam valetudinem cogebatur, de eo sic scribebat ad amicum. *Uxor & filius in Urbe, commoda uterque valetudine; illa rem domesticam; hic officinam emendandorumque librorum curam administrat egregie.* Factum est tamen Gregorii XIII. liberalitate, qui miro quodam studio optimas disciplinas amplectebatur, fovebat, alebat, ut Romae iterum Paullus retineretur, ubi cum in gravem morbum incidisset, vitam finivit prid. non. Aprilis an. 1574. Carissimi Patris mortem funusque Aldus praesens luctu & lacrimis prosecutus est. Nam Romam accessit, statim ac de periculosa ejus aegrotatione sibi nuncii tristes, nec varii venerunt. Ipsum post haec remeasse Venetias libri ab eo editi ostendunt (1), etsi magno desiderio teneretur vivendi Romae, quod ejus epistola, quam primum vulgavit Lazzarus Jesuita, quinquennio post Patris mortem ad amicissimum Muretum scripta declarat. Nam in maximis erat molestiis, & grave fortasse illi ipsum erat munus, quod habebat instituendi adolescentes, qui minoribus Reipublicae magistratibus gerendis (Secretarios vocant) destinantur. Non prius tamen patriam deseruit anno 1585. quo anno Bonouiam vocatus est, ut eam cathedram regeret, quam occupaverat vir summus Carolus Sigonius. Biennium ibi fuit, totidemque annos Pisis, ubi ab autumno an. 1586. ad aestatem usque an. 1588. Graecas & Latinas litteras docuit cum stipendio CCCC. centussium. Idem tum, eodemque stipendio sustinebat munus Bargaeus, sed huic facta fuerat potestas, ut a publicis lectionibus vacaret. Non tam Aldi fama, quam grato animo & liberali motus Franciscus Mediceus fuit, ut ipsum ad se se vocaret. Ediderat enim ille Cosmi I. vitam, cujus munus non potuit sibi non esse summe ju-

(1) *Plures etiam extant Aldi litterae in Tabulario Mediceo datae his temporibus Venetiis, & cum Decembri an. 1578. mitteret ad Franciscum I. funebrem orationem de Legati cujusdam Sabaudiae Ducis laudibus, quatuor horarum spatio se illam confecisse ait.*

eundum (1). Quanquam nemo non illius doctrinam honoraret, ob quam in Academiam Florentinam etiam adscriptus fuit (2) & majora a magno Duce expectare potuisset praemia, Etruriam tamen deserere voluit (3), cum rogaretur humaniores litteras in Gymnasio Romano

(1) *Pro hoc opere Franciscus donum illi dedit ccc centussium.*
(2) *Dixit in ea orationem de Poesi, quae est in manibus hominum.*
(3) *His litteris veniam abeundi petiit.*

Serenissimo Signor mio Colmo.

Quanto io stimo la servitù, che hò, e voglio havere, con V. A. S. tanto debbo haver cara la vita, per poter spenderla in servigio di lei. Onde venuto nelle vacanze dello Studio a Roma, per fuggir la stagione cattiva dell'aria di Pisa, havendo già con isperienza conosciuto, quanto poco giovevole mi sia, anzi quanto noccevole, anche il verno; sono consigliato, se voglio vivere, il che debbo volere, a procurare di mutar stanza, essendo quella città particolarmente a me molto e molto contraria. Il che non potendo io, nè dovendo far in alcun modo, senza il consenso, anzi comandamento di lei; vengo à supplicarla, che quanto hà cara la servitù mia, tanto voglia concedermi, che io sia suo servitore in questa città, dove io haverei disegno di consumar la vita mia, con la protetione di molti, e molti Illmi Sigg Card., miei padroni, con sodisfatione di lei, e con speranza ancora, che in questo accidente, essendole io debitore, per impresto havuto dal Camarlingo di Pisa di ordine del Serenissimo suo fratello di 600. Scudi, per la grave e numerosa condotta nell'andarvi, che mi costò più di mille Scudi, e per la spesa, che feci nella stampa, & ornamenti della vita del Serenissimo suo Gran Padre, che tutta donai a tutta la Corte di Roma, & a tutti i Prencipi di Europa, non che d'Italia, in numero di settecento, la quale faccio tuttavia latina, e spererò di presto appresentarle, vorrà riguardarmi con occhio benigno, e dando ordine, ch'io ne sia liberato, se così le parrà, far, che io la possa anche in questa Corte servire in ogni occasione lietamen-

Digitized by Google

publice docendi provinciam suscipere. Si fides Erythraeo esset, tum tantis premebatur pecuniae angustiis, ut foenerari plura centena aureorum centesimis usuris coactus fuerit ad devehendam in Urbem bibliothecam suam, quae ex multis millibus voluminum constabat. Alia de Aldo odiosissima sane memoriae mandavit Erythraeus, quae certissimis monumentis confutavit Apostolus Zenus, ad quem delegamus eos, qui scire cupiunt quid ipse de suis & alienis scriptis ediderit. Quanquam non aequaret doctrina & scribendi elegantia Paullum Patrem, multa tamen praeclara emisit, quibus antiquitas, historia, grammatica, poesis, eloquentia & moralis philosophia illustrantur. Nulla etiam Ciceronis pars est, quam ille commentariis, doctis sane & laboriosis, non explanaverit (1). Muneri tradendae eloquentiae addidit an. 1592. Clemens VIII. praefecturam Vaticani Typographii. Quinquennio post repentino obiit, quod malum crapula attulisse creditur. Intemperans enim in cibo & in usu rei familiaris fuisse videtur, quam ob rem aere alieno multis erat obstrictus, qui quidem violari jura sua minime pas-

---

te. Come farò in ogni tempo, e con ogni divotione & affetto, al pari di qualsivoglia suo bene e bene obligato servitore. E con questo pregandole compita felicità, me le inchino.

Di Roma il XII. di Luglio MDXXCIIX.

Di V. A. S,

Humil. & Obblig. Serv.
Aldo Manucci.

(1) *Dum Pisis fuit Aldus, Florentiae typis Marescotti imprimendam curavit elegiam unam & epigrammata tria Asinii Cornelii Galli a se tum primum e tenebris eruta.*

paſsi fuiſsent, si Aldus, quod falſo a nonnullis affirmatur, bibliothecam suam huic nostrae Academiae testamento legasset. Sed ad Academiam ipsam redeamus.

Luctum, quem haec ex morte Bargaei percepit, minime levasse videtur Dominicus Ponsevius Florentinus, cui an. 1596. commissum fuit onus docendi Graecas, ceterasque humaniores litteras. Extat illius oratio de laudibus scientiarum habita, cum primum cathedram conscendit, extant carmina quaedam ipsius tum Graeca, tum Latina ob ingressum Pisas Ferdinandi I. Magni Ducis, sed haec tanti non esse putamus, ut numerandus ille sit in iis praeceptoribus, qui Academiae gloriam auxerunt. Quare minime est mirandum si ultra annum in ea non mansit. Successit autem huic Franciscus Sanleoninius, ipse quoque Florentiae natus, de quo mirabilia prorsus praedicat Angelus Monosinius, ut eum parem ponere videatur Bargaeo ipsi & Petro Victorio (1). Extant quoque Ruperti Titii litterae datae Bononiae, ex quibus intelligi potest actum cum Sanleoninio de addicendo ipso Academiae Ferrariensi. Magna enim erat hominum opinio de ejusdem in litteris praestantia, minimeque erat obscurum ipsum philosophiae atque mathesis, quam etiam, ut alibi diximus, apud nos docuit, satis esse peritum. Quantum vero eloquentia valeret ex ea, quam de laudibus Bargaei dixit oratione conjicies, quae sic probata fuit Carolo Datio viro sane eruditissimi judicii, ut eam retulerit inter orationes, quas tanquam exemplaria Etruscae eloquentiae hujus cultoribus proposuit. Studio acriore, otio ac facultate discendi majore, & labore atque industria superiore facile potuisset Sanleoninius Academiae gloriam & nomen amplificare. Sed eum medio fere in cursu abripuit mors, quam Florentiae obivit III. Kal. Octob. an. 1600.

(1) *Ejus litterarum exemplar apud me est.*

Nullus tum in illius locum suffectus fuit. Biennio autem & amplius post venit ad nos Balthasar Ansideus Perusiae nobili genere natus circiter annum 1555. Tum parentum diligentia, tum magis sua sponte in omni genere honestarum artium, ac praesertim in Graecis Latinisque litteris institutus, tum sermonis, tum morum comitate, immo vultu ipso, ubi mire probitas elucebat, omnes non modo ad se diligendum, sed etiam ad amandum adigebat. Mirifica quoque erat in eo elegantia & munditia Latinae orationis, quam hauserat praesertim ex Horatii Cardanetti & M. Antonii Mureti scholis. De Mureto, ad quem audiendum Ansideus Romam venit an. 1577. nihil attinet dicere, quia pervagatum est illius nomen. Cardaneti autem ingenium, humanitatem, eloquentiam & doctrinam mirifice laudat Paullus Manutius (1), qui ejus Latinas litteras Filio suo legendas se dedisse ait, ut illius exemplo commoveretur, & quasi per illius vestigia ad eamdem gloriam contenderet. Extat autem una atque altera Ansidei epistola Latina ad Muretum (2), ex quibus de ejus scribendi elegantia deque ejus in praeceptorem pietate judicari potest. Testis est Jo. Nicius Erythraeus multas ad amicos alios dedisse ipsum Latinas epistolas cultu atque nitore refertas, atque in his ad Rupertum Ubaldinium, adolescentem summo ingenio, summaque expectatione, qui postea Cardinalis creatus est, & ad Ugonem ejus fratrem doctrinae ac sanctitatis laude praestantem. Utrumque discipulos Perusiae habuerat, eo tempore, quo in patrio Gymnasio humaniores litteras docebat. Multa jam de eo fama nunciabat, ex quo factum est, ut vere

---

(1) Lib. VI. ep. 14.

(2) *Vide* lib. IV. Epist. Mureti & Tom II. epist. Selectarum, *quas ex Bibliotheca Collegii Romani edidit Romae an.* 1758. *Lazzarus Jesuita. Inter Bonciarii epistolas una quoque reperitur Ansidei, & in libro, qui inscribitur Theatri Romani orchestra, extant quae ipse de laudibus Jo. Baptistae Lauri scripsit ad Octavianum Aquavivam.*

anni 1602. quando jam ceteri magistri erant in cursu, ad tradendas Pisis Graecas & Latinas litteras cum annuo stipendio CCC. centussium vocaretur. Mansit ibi triennium & amplius, & diutius mansisset, nisi Summus Pontifex Paullus V. motus commendatione Octaviani Aquavivae Cardinalis amplissimi, & judicio Antonii Quaerenghii eruditissimi viri Praefecturam Vaticanae Bibliothecae (Custodem appellant) illi demandasset. Magnum autem gratiae locum tenuit apud illum Pontificem. Nam quoties is in Cardinalium Senatu vel sententias rogaturus esset, vel verba facturus, quae secum ipse cogitaverat cum Ansideo familiarissime communicabat, & fama erat in illum ipsum Senatum cooptaturum hominem spectata doctrina, fide atque industria, nisi huic mors vitam citius, quam par erat (lucebat enim universae Urbi tanquam exemplum innocentiae) abstulisset. Obiit enim ex febri an. MDCXIV. prid. Non. Decembris, cum non adhuc sexaginta aetatis annos complesset, sepultusque fuit in S. Onuphrii Templo.

Cum a nobis discessisset an. 1606. Ansideus, omnes quidem ita judicabant, neminem Etruscorum esse, qui Ruperto Titio magis dignus esset honoratissimo loco. Natus is erat in Burgo S. Sepulcri III. Non. Martii an. 1551. patre Benedicto, matre autem Laura Picconia, quae familiae nobilissimae censebantur. Postquam in patria rudimenta litterarum perceperat, Bononiae primum, mox Romae easdem vehementius coluit, ac demum studiorum cursum Pisis confecit, cum inter Collegii, ut appellant, Ducalis alumnos cooptatus fuisset. Audivit Petrum Angelium, Borrium & Bonamicium, omnesque eos, qui Juris prudentiae antistites esse judicabantur, a quibus doctrinae insignia an. 1576. accepit. Post id Florentiam concessit non invitatus modo, sed & sustentatus (angusta enim ei erat res familiaris) a liberalitate & caritate suorum civium Petri Gherardii & Francisci Mugghionii. Facile illi fuit ob suavitatem morum, & modestiam singularem, & ingenii praestantiam, & doctrinae varietatem, cujus saepe indicia dedit iis in congressibus, qui Academiae vocitantur, multorum sibi benevolentiam conciliare, & quod plurimi sane faciendum

Digitized by Google

est, in admirationem sui traxit vel ipsum Petrum Victorium, qui de eo prorsus magna & magnifica scripsit ad Joannem Sambucum, & Joannem Cratonem, quorum magna erat auctoritas apud Rodulphum II. Caesarem, ut per eos in aula Titius locum obtineret, quo angustiis rei familiaris & nominis immortalitati consuleret. Dedit Mugghionius, ut ipse Titius grate testatus est (1), pecuniam ad iter suscipiendum, res tamen ad exitum miniae venit vel Germanorum culpa, vel, quod probabilius arbitramur, mutatione consilii. Nam cum Titius infirma & saepe etiam aegra valetudine esset, fortasse verebatur Germanici caeli inclementiam. Dum vero secum ipse cogitabat ecquodnam curriculum aliquando esset habitura sua industria, inopia & necessitate coactus caussas in foro defendendas suscepit, & optimus justitiae patronus judicatus est. Inter haec tamen nullam effluere patiebatur diem, quin ab agrestioribus forensibus musis ad mansuetiores rediret, per quas ad hominum famam pervenit. Prodierant jam in lucem multa ejus carmina tum Latina, tum Italica, (2) nec non orationes

---

(1) Tu rerum mearum statum importunissimorum hominum audacia concussum, cum propemodum corruisset, consilio sustinuisti, atque ope sublevasti, & cum Caesaris aulam certis de caussis adire cogitassem, dedisti pecuniam ad iter suscipiendum.

(2) Nereus in nuptias Sereniss. Ferdinandi Medicis & Christinae Lotharingiae Magnorum Ducum Etruriae, Carmen, quod Robertus Titius Burgensis ad ripas Arni, qua is Florentiam pellucentibus undis intersecat, Musis dictantibus, excipiebat; Florentiae apud Bartholomaeum Sermartellium 1589. in 4.

Carminum liber cum Petri Gherardi Burgensis carminibus: Florentiae apud Carolum Pectinarium 1571. in 8. *Epistola, qua Titius sua & amici carmina nuncupat Antonio Miliorio Patrono suo, data est ex Acad. Pisana.*

Sonetti IV. *Extant* p. 60. del Tempio al Card. Cinzio Aldobrandini. *Totidem extant* nel Peccator Contrito di M. Nicolò Lorenzini di Montepulciano.

Digitized by Google

quaedam, & commentaria in M. Aurelii Olympii Nemesiani Carthaginiensis, & T. Calphurnii Siculi *Bucolica*, in *Apes* Oricellarii, & in XII. libros *Syriados* Petri Angelii; sed illud majorum vigiliarum opus fuit, quod inscribitur: *Locorum controversorum libri X. in quibus plurimi veterum scriptorum loci conferuntur, explicantur & emendantur multo aliter, quam hacteuus a quopiam factum sit: Florentiae apud Bartholomaeum Sermartellium* 1583. Quod solebat nonnunquam in disputationibus a Justo Josepho Scaligero dissentire, quanquam hunc nunquam nominaret & laederet, & saepe etiam, quae disputabat, disserere mallet, quam judicare, haec tamen adeo irritarunt hominem gloriae percupidum, ut non solum oppugnaverit Titium, sed etiam injuriis & maledictis lacessiverit; utque liberius atque insolentius in ipsum inveheretur, sub ficto nomine Yvonis Villiomari Aremorici suum *Animadversionum* librum *in Locos controversos* Parisiis anno 1586. vulgavit. Magni interesse non ad sui modo, sed & ad Italorum omnium decus putavit Titius respondere graviter contra inimici contumelias, & cum ad amicum scriberet, inquit; *nolo me homines superbum judicent, quod nihil respondeam, neque contumeliosum, quod male respondeam*. Cum igitur an. 1589. Florentiae vulgasset *pro suis Locis controversis Assertionem adversus Yvonem quemdam Villiomarum Italici nominis calumniatorem*, nunquam a dignitate discessit, confirmavitque opinionem, quam illo priori libro excitaverat, se virum esse doctrina, atque optimarum artium studiis perfecte eruditum; & quod accuratius quoddam & exquisitius attulit orationis genus, ad elegantiae quoque laudem potuit adspirare. Non est credibile quanto cum plausu haec in universa Italia comprobata fuerint, & doluerunt multi vicem hominis, quod inopia cogeretur

---

Epigrammata quaedam Latina *variis in libris sparsa*.

Ecloga ad Hieronymum Guicciardinium Angeli F. in funere Cosmi I. *Cum aliis hujus generis carminibus edita fuit a Junctis an.* 1574.

Digitized by Google

bonum otium, & eximium ingenium in foro consumere. Oblata tandem an. 1597. mortuo Thoma Corraca, ei occasio fuit profitendi humaniores litteras in Lyceo Bononiensi, in quo, ipso teste, per novem annos sic fuit, ut nec plausum (1) nec lucrum quaerere unquam debuerit: *nam*, inquit ipse, *humaniores litteras de superiori eodemque principe loco docui cum eo honorario, quo majore nec Beroaldus, nec Robertellus, nec Corradus, nec Sigonius, nec Manutius, nec Corraca, nec quisquam alius unquam fuit cohonestatus.* Majora etiam sperare potuisset, nisi sui Principis voluntati parere coactus in Etruriam autumno an. 1606. remeasset. Stipendium, quod ei ab Academia pendebatur, pro tanti viri merito non erat admodum liberale. Vix enim illud ad CCC. centusses perveniebat. Neque id dolemus modo, sed illud multo magis, quod vix elapso biennio, caruit Academia ipsa voce eruditissima Titii, qui e vita excessit an. 1609. dum Florentiae aestivo tempore commorabatur. Ex Maria Mancinia plures suscepit liberos, quorum non dissimilis, vel etiam durior fuit fortuna. Nam ad vitam sustentandam coacti fuerunt vendere paternam bibliothecam multorum sane nummorum: concesserunt vero, quae manu scripta pater reliquerat, Francisco Mariae Ceffinio, qui pro suo singulari perpetuoque studio in Rupertum & litteras ejus vitam diligentissime declaravit (2). Eo in loco, quo operum indicem contexuit, testatur multa illum absolvisse publica luce digna, atque in his *Locorum controversorum X. libros posteriores*, longe quidem perfectiores iis, qui illi

(1) *Praelectiones quasdam Bononiae habitas ad Catullum, Virgilium, & ad Julium Caesarem, nec non orationem, quam dixit, in ingressu muneris in ipsa urbe vulgavit. Ibi quoque vulgavit* in Clementem VIII. Pont. Opt. Max. orationem & carmen, *nec non carmen aliud* ad Cyntium Aldobrandinum Cardinalem.

(2) *Extat haec in Parte II. Vol. XXXIII.* del Giornale de' Letterati d'Italia.

admodum adolescenti exciderunt, *apologiam* adversus Rodulphum Castravillam Dantis calumniatorem, *Commentarium de solvendis amoribus*, Cosmi Milesii exemplo conscriptum, *commentarios* itidem ad VII. Annaei Senecae de beneficiis libros, in Caesaris commentaria, scholia in universa Problemata Aristotelis, & hujus ĩgeneris alia plura, de quibus ipse quoque mentionem fecit vel in suis editis libris, vel in epistolis ad amicos, quos plures & illustriores tum in Italia, tum in transmarinis & transalpinis regionibus habuit. Nemo enim extitit, qui illi laudem non concederet hominis Graecis Latinisque litteris, philosophia, legum scientia, atque antiquitate, quam multis scriptis illustrandam suscepit (1), eruditissimi.

Eodem tempore, quo ad nos venit Titius, jussus fuit Graecus homo Georgius Moschettius Graecarum literarum rudimenta tradere. Soliti Doctores laudare in ingressu muneris disciplinam, quam profitebautur, Moschettius orationem habuit de laudibus Graecae linguae, quae est in manibus hominum. Probavit multis argumentis eam non solum utilem, sed etiam necessariam esse omnium disciplinarum cultoribus, & quamvis haec oratio, ut ipse ait, fusa ex tempore fuerit, plausu tamen tanto excepta ab auditoribus fuit, ut pene coegerint ipsum ad illam vulgandam. Cretensis hic locum an. 1609. fecit Georgio Coresio in Chio insula nato, qui in postulanda liberaliori mercede, quam quae sibi pendebatur, ea de se retulit, quae non parum valuerunt ad movendum Principis animum (2). In his hominibus e-

---

(1) *Pertinent ad hanc* de ritibus sacrorum commentarii, de coenis antiquorum, & de universo divinationis genere. *Ceterum tam bene noverat Titius antiquitatis monumenta, ut Gruterus ab eo quoque subsidia obtinuerit in suo veterum inscriptionum Thesauro conficiendo.*

(2) La mia condotta della lezione di lingua Greca nello Studio di Pisa fu per un anno solamente.

rat doctrina nec moderata, nec mitis, sed paullo asperior ac durior. Nosti Graecorum mores contentionum cupidos, loquaces, praefractos, & parum fideles. Moschettii nomen iterum apparet in albo Doctorum an. 1616. sed tum ei potestas facta fuerat vacandi a scholis. Abunde enim Graecarum litterarum studiosis satisfaciebat Franciscus Trinius Atheniensis, qui commendatione Barberinii & Bellarminii Cardinalium

---

Sendomi io contentato di questn solo tempo per obbedir V. A. e far conoscere se ero atto a sostener quella Catredra, o nò. Così dissi a Mons. Provveditore dello Studio, al Confessoro di V. A., alli Eccmi Sigg. Don Francesco & Sig. Don Carlo miei Signori, e protettori. Sicchè è finita.

Hora trattandosi di nuova condotta, & havendo io mostrato con il fatto della lezione in Cattedra, & ancora in casa, come si sà, & il Provveditore ne fa fede, mi pare di haver giusta causa di pretendere quanto il medesimo Studio dava al Moschetti.

Et che l'honore, & il bisogno mio ricerca questo, perchè da casa mia Isola di Scio, donde sono, mio padre, che è gentiluomo di scarse facultà, non può sovvenirmi, & io non potrei sendo forestiero sostenermi con meno delli dugentocinquanta scudi.

Al Persio Napoletano, che legge la medesima lezione in Bologna in Cattedra solamente, nè hà scolari, danno scudi cinquecento l'anno, & io mi son trovato ad insegnarli molte cose della lingua Greca.

Al Sozomeno stato mio scolare, che hora legge in Venetia, la Repubblica dà più di trecento scudi.

Il Contareno in Padova, secondo intendo, ha 400. scudi.

Niuno di questi ha il concorso di scolari, che hò io, nè legge, insegna con tanto profitto di scolari ancora in casa, come fò io, che se ritornerò alla patria mia, guadagnerò più di 400. scudi l'anno, così m'è ripromesso da mio padre.

Però non mi pare essere in pretensione, se non ragionevole, se per honore, e per bisogno, sendo forastiero, mi contenterò di nuova condotta, come la prima, con il salario di dugentocinquanta scudi soliti darsi dallo Studio medesimo. *Quod petiit facile obtinuit.*

Digitized by Google

lium amplissimorum ad nos venerat an. 1615. Quae de eo retulit Hieronymus a Sommaja (1) satis indicant mores, fortunam & doctrinam hominis, qui Pisis obiit X. Kal. Augusti an. 1626. quo tempore ei pro mercede pendebantur CCCL. centusses.

Serenissimo Gran Duca

(1) Francesco Trini Ateniese supplica a V. A S per la Cattedra di Greco in Pisa vacante per la partita del Coresio. Quest' è huomo di 32. anni, di mediocre presenza, e per relationi si hanno di persone fide degne, d' ottimi costumi, e di non mediocre letteratura, & in particolare d' esquisita peritia di lingua Greca, e così vien confermato da molti, e tra gli altri con grand' efficacia dalli Illustrissimi Bellarmino e Barberino, & anco in Firenze nelli abboccamenti seguiti con li Humanisti Franzese, e Vettori ha dato saggio di quanto sopra si è detto, & per questo e per essere stato 15. anni nel Collegio Greco di Roma, 9. Scolare, e 6. Lettore, pare che si possi con molta ragione tener per fermo che complirà bene a quanto ricerca la lettura, che domanda. Egli pretende provisione di trecento Scudi, & havendola s' offerisce far condotta di 5. anni, e forse anco la faria di più: allega per provare la sua intentione non havere cosa alcuna da vivere, & essere costretto dal salario della Cattedra in tutto, e per tutto remediare alle sue necessità. Dice che il Coresio, che aveva qualche soccorso di casa, tirava della stessa lettura Scudi 290. & in Padova il Sozomeno Scudi 300. & il Contareno Sc. 400. & in Bologna il Persio mentre visse Scudi 500. nondimeno credo che potria contentarsi con Scudi 250., essendo solo, e partendosi di casa Monsignor Magalotti, dove è certo sta con conditioni molto inferiori, & se bene il Coresio ne haveva 290. gli ottenne in tre volte, e dopo sette anni di lettura, e lesse due anni con 150. e Giorgio Moschetti 4. con Sc. 150. sicchè non pare habbi causa giusta di non tenersi ben trattato; e facendoli humilissima

Postquam e vivis excessit Titius, factus est humaniorum litterarum magister Angelus Monosinius Dionysii Florentini Filius, dum illustrioris personae conducendae spes esset oblata. Ejus familia e Prato Veteri originem trahebat; ipse vero Florentiae educatus multam operam dedit non Graecis modo & Latinis litteris, sed & Hebraicae linguae, Juris prudentiae, atque iis disciplinis, quibus rerum caelestium atque sacrarum cognitio continetur. Sic enim Ecclesiae militavit, vel gerens vices Ubaldinii Montis Politiani Episcopi & Cardinalis, vel Florentinam Paroeciam S. Donati regens, quam an. 1598. ejusdem commendatione obtinuit, ut omnes majoribus etiam honoribus illum dignum judicarent. Ceterum, ut de se ipse testatur, humili loco natus duro admodum initio usus erat adolescentiae; & cum Andreas Adrianius ejus praeceptor aliquando coram Ferdinando I. doluisset tale ingenium tam misera in fortuna versari, facile ab hoc subsidia habuit ad studiorum curriculum conficiendum, quorum caussa totum annum 1592. in Patavina Academia consumpsit. *Superiorem quidem nunquam, sed parem me illis esse factum spero* (his verbis scribebat ad amicum) *quorum industriae Principes nostri favere solent. Nec mihi quicquam in mentem venit optare, nisi ut aliquando possim civium meorum utilitati servire.* Multorum clarorum virorum testimonio, e quibus praesertim nominabo Jo. Nicium Erythraeum, qui ejus

---

reverenza li prego da Dio con tutto l'affetto ogni maggior contentezza, & esaltatione. A 18. d'Agosto 1615.

Di V. A. S.

Humiliss. & Devot.ss. Serv.
Girolamo da Sommaja
Provv. Generale.

imaginem expressit, & Leonem Allatium, dignum illum profecto judicasses gradu, quem in Academia nostra sustinebat. Nihilo tamen minus libuit Principi anno post quam ad nos venerat, in illius locum sufficere Gratiam Mariam Gratium in oppido Senensis ditionis, cui nomen Sinalunga, natum, de quo honorificentissima praedicant Senensium rerum Scriptores (1), ut, iis testibus, Monosinio illum inferiorem minime fuisse affirmare haud dubitemus. Uterque sacerdotes erant castissimi innocentissimique, uterque summam gravitatem cum singulari comitate conjungebant, sic ut omnes de illorum virtute commemorarent, uterque multam operam posuerant in Graecis Latinisque litteris addiscendis, sed quae in aliquo majore studio atque arte versantur, fortasse magis tenebat Monosinius. Hic edito an. 1604. Venetiis opere, quod inscripsit, *Flores Italicae Linguae, sive de congruentia Italici sermonis cum Graeco & Romano*, satis ostendit quam doctus esset in his tribus linguis, & quam merito illius aetatis homines ejus plauderent eruditioni atque elegantiae. Gratius autem sive ex Hispanica lingua (2), sive ex Graeca (3) quaedam verterit, aliorum ma-

L l l 2

(1) *Vid.* Ugurgieri Pompe Senesi.

(2) *Vertit in Latinam linguam meditationes de praecipuis festivitatibus Deiparae ab Andrea Capella Carthusiano scriptas: Venetiis 1605. in Italicam vero*. Discorsi, ovvero Sermoni sopra gli Evangelj di tutte le Domeniche dell' anno, Ferie di Quaresima e Feste principali, ne' quali si contengono esposizioni litterali, dottrine morali, documenti spirituali, avvisi ed esempj utilissimi ad ogni stato di persone di Alonso di Villegas Teologo e Predicatore di Toledo, nominati da lui quarta parte del Flos Sanctorum, e nuovamente tradotti di Spagnolo in Italiano del M. R. M. Gratia Maria Gratii con tavole, e indici copiosissimi. Venezia presso Gio Antonio e Giacomo de' Franceschi Parte I. 1603. Parte II. 1604.

(3) *Vide Apostolum Zenum*: Note alla Biblioteca del Fontanini Tom. II. p. 348. & *Paitonium*: Biblioteca degli Autori antichi Greci e Latini volgarizzati pag. 162. L. P. *Venetae edit. 1767.*

gis utilitati, quam suae gloriae consulere voluisse videtur, quanquam non mediocriter efferantur, quas suppeditavit Marco Antonio Gandinio Plutarchi opusculorum quorumdam moralium interpretationes. Quando haec elaboravit erat Venetiis, & ex ejus litteris ad Belisarium Bulgarinium, quae in publica Senensi bibliotheca extant, intelligi potest, semel iterumque Venetis, in Seminario primum, mox nescio quo alio in munere, illum fidem suam obligasse. Concessit deinde Mediolanum, ejus Urbis Archiepiscopo Friderico Borromaeo multis in rebus, sed praesertim in istituendis Seminarii alumnis, in comparandis codicibus Graecis & Latinis, & in ejus Synodalibus Constitutionibus latine exponendis (1) operam tribuens egregiam. Multarum quidem rerum peritus esse videbatur, & tragoediam confecit, de qua Bulgarinii judicium exquisivit, nec non poema, quod *Petriados* inscripsit, ac demum eclogas tres, & alia hujus generis plura Latina carmina, quorum mentionem fecit Zacharia Jesuita in suo *litterario itinere per Italiam*. Quid huic evenerit, postquam a nobis aestate an. 1613. discessit, prorsus ignoro. Monosinius autem Florentinam paroeciam S. Donati sanctissime rexit ad mortem usque, quam obivit ineunte Julio an. 1626. Ad Vecchiettos illius paroeciae patronos pervenerunt ejus-

(1) *Haec Mediolano non. Augusti 1597. scripsit ad Bulgarinium suum.* Sono horamai due mesi ch'io mi ritrovo in Milano al servizio dell' Illustrissimo Sig. Card. Borromeo . . . . Io son qui, nè so ancora con che carica. Son stato condotto per Lettore del Seminario, dove ho tavola e stanza per me, e per un servitore; ma ancora non mi è stato assegnato ufficio, nè credo che mi si assegnerà fino al principio de' nuovi studj. Il Sig. Card. mostra di vedermi volentieri, e mi ha favorito molte volte di ragionamenti molto domestici, dandomi frattanto carico di distendere latinamente un volumetto di constituzioni e decreti sinodali. *Harum rerum notitiam grate me debere profiteor eruditissimo homini Bartholomaeo Tavinio Senensi.*

dem scripta, quae cum videre mihi contigisset, nihil in iis inveni, quod publica luce dignum judicaverim.

Ob Gratii discessum per annum caruit humaniorum litterarum cathedra magistro suo; anno vero post ad eam regendam ex Gallia accitus fuit homo, cujus magnum erat nomen, cujusque vocandi auctores fuisse videntur Jesuitae, qui eum in suis antea habuerant. Is est Iulius Caesar Bulengerus Julio Luduni natus, qui vel ab adolescentia cum summa ingenii vi inflammaretur ad plures noscendas disciplinas, in divinis humanioribusque litteris praesertim excellere voluisse videtur. Has publice privatimque apud suos docuit, postquam Jesuitarum Societati nomen dederat. Aegre autem tulit filiorum fratris impuberum caritate se coactum fuisse novum amplecti vitae genus, quod naturae suae non admodum conveniebat. Itaque duodeviginti post annos, quam a Jesuitis suis discesserat, ad illos rediit, & rediisse videtur eodem ferme tempore, quo Academiam nostram reliquit. Nam an. 1614., ut innuimus, locavit huic operam suam ad quadriennium cum mercede M. centussium, cum pro viatico CCC. usque illi assignati fuissent, quod si liberalius factum existimabis, attribues Jesuitarum artibus, qui de illo prorsus mirabilia nunciabant (1). Vere anni 1617. petiit, ut sibi potestas fieret redeundi in Galliam cum Regis sui ad Etruriae Ducem Legato, quod ea conditione concessum est, ut Pisas remearet, cum studia instaurarentur. Neque id solum praestitit, sed se rogari etiam an. 1618. passus est, ut unius anni spatium ad suum munus prorogaretur. Quo expleto, ut diximus, ad Jesuitas, & ad Gallos suos rediit, ea mente, ut divinis praesertim rebus vacaret. Et quidem totos novem, quibus postea vixit, annos fuit om-

(1) *Extant in Magliabechiana Bibliotheca Carmina Crucis cujusdam Medicinae Doctoris, quibus gratulatur Academiae Pisanae, Etruriae, & Mediceis Principibus ob tanti viri in Etruriam adventum. Sane de ipso nunquam nisi honorificentissime decretum fuit.*

Digitized by Google

nibus innocentiae, & studii vindicandae religionis exemplum. Aestate an. 1628. Cadurci septuagenario major obiit, & quae reliquit scripta antiquitatem illustrantia immortalitatem nominis ei peperisse videntur (1). Sunt enim omni eruditionis genere, neque hac vulgari, referta.

Non modo magnum & mirabile, sed prodigio simile videri debet, hominem, qui ab illius ortu luminibus caruerat, ita rexisse humaniorum litterarum cathedram, postquam illam reliquerat Bulengerus, & ipsa per biennium siluerat, ut summis praeceptoribus par poneretur. Is est Ludovicus Scapinellius Mutinensis, qui natus creditur circiter an 1550. patre Antonio. Quod admirandum ingenium vel a prima aetate prae se tulit ad omne litterarum genus, magnopere curarunt ejus parentes, ut eo modo institueretur, quo poterat caecus, qui quidem tanta erat memoria, ut quae semel tradebantur, firmiter retineret, iisdemque

(1) *Vide haec in Thesauro Antiquitatum Graevii & Gronovii. Sunt autem*

De Sortibus.
De Auguriis & auspiciis.
De Ominibus.
De Prodigiis.
De Terraemotu & Fulminibus.
De Tributis & vectigalibus.
De Circo Romano.
De Conviviis.
De Oraculis & Vatibus.
De Templis Ethnicorum.
De Ludis Veterum.
De Pictura, Plastice, Statuaria.
De Triumphis, Spoliis bellicis, Tropaeis.

Multa horum scriptorum ediderat ipse Lugduni an. 1621. Vol. II. in fol. *His adde*: Diatribae ad Isaaci Casauboni exercitationes adversus Baronium; Lugduni 1617. & Historiarum sui temporis lib. XIII. ibid. 1619. in fol.

Digitized by Google

redderet verbis. Talis certe evasit, ut Latina & Italica carmina satis polita conderet, de philosophicis rebus docte & eloquenter dissereret, & in humanioribus litteris eos omnes vinceret, qui tum Mutinae celebrabantur. Ex quo factum est, ut Alphónsus Mutinensium Princeps non tam studio in litteras, quam in Deum pietate memorabilis nihil non ei concederet, & carissimum haberet. Quo illius fama illustrior esset, aegre illum ab se se dimisit. Concupivit enim doctrinae insignibus in Gymnasio Bononiensi decorari, ibique Eloquentiam profiteri. Non est credibile quanto eum plausu audiretur, quamque ad illum fierent concursus non discipulorum modo, sed & hominum litteris, genere, & dignitate praestantium, quod praesertim accidebat, quando orationes in instauratione studiorum habebat. De quo sic ei gratulatus est ipse Alphonsus Princeps, ut nihil benevolentius fieri potuerit (1). Nono, postquam ipse docebat Bononiae, anno, Graecus homo Joannes Cotunius, cui antea mandatum fuerat munus tradendi Graecas litteras, locum Scapinellii petiit, quod magnopere commovit discipulos, ac praesertim Mutinenses. Efflagitarunt itaque hi a Senatu, ut eam voluntatem, quam semper habuerat in Scapinellium, retineret, suoque in munere illum confirmaret, quod illis facile concessum est. Verum cum eidem denegata fuisset cathedra, ut loquimur, extraordinaria & vespertina, quae putabatur honoratior, homo, ceterum modestus & probus, exarsit iracundia, Bononienses deseruit, & ad suos Mutinenses rediit. Triennium & amplius apud hos publice eloquen-

(1) *En litterarum ejusdem exemplum*. Mi piace che le vostre fatiche nello Studio sieno ricevute con applauso, et che avvanziate nella fama altrettanto, quanto nella virtù. Io gradirò sempre che mi portiate dell'amorevolezza, e nell'ajutar la vostra fortuna lo farò con prontezza ugnale al merito, che vi rende capace de' miei favori. Dio vi feliciti. Modena li 28. Nov. 1610. Il Principe Ereditario di Modene. *Ex Volum. V.* della Biblioteca Modanese del Cav. Tiraboschi.

tiam docuit, cumque omnes nobiliori illum dignum theatro judicarent, factum est commendatione Alphonsi Principis, ut autumno an. 1621. Pisas vocaretur ad tradendas humaniores litteras. Nemo discipulorum doluit, quod datus sibi magister esset caecitate laborans, quin immo ejus exemplum maximum erat omnibus incitamentum laborum, & dum omnes illius miserabantur fortunae, ingenium & doctrinam summis efferebant laudibus. Mansit Pisis ad mensem usque Aprilem an. 1628. & abeundi justa visa est caussa incommoda valetudo, quam crassitudo Pisani aeris, de qua saepe querebatur, afferebat. Quanquam citius, quam par erat, missionem suam postulavit, nullum tamen annui stipendii detrimentum fecit, quod erat D. centussium (1). Tum ad Bononienses rediit, qui ut praeteritam culpam redimerent, primam eloquentiae cathedram cum stipendio centussium DCC. illi assignarunt, quod postea auxerunt usque ad DCCC. Exeunte an. 1653. cum feriandi gratia Mutinam venisset, ardenti febre correptus diem obiit supremum. Sine funeris pompa sepultus est in S. Vincentii Aede. Plurimi illum laudarunt, & ex multis clarorum virorum testimoniis, unum Tassonii exscribere lubebit, qui de eo honorificentissima cecinit in suo ludicro poemate *de rapta situla* (2). Nulla, quod sciam, opera edi-

(1) *De eo haec narrantur in monumentis Academiae*. Allo Scapinelli domandante licenza avanti tempo, e senza pregiudizio dello stipendio = Concedeseli come si domanda, e paghisili l' intera provvisione di tutto il tempo di quest' anno.

Leonardo Accolti 22. Aprile 1628.

(2) Cant. VIII.

Ma lasciar gli aghi e far venire intanto
Il cieco Scapinel con l' arpa e 'l canto.

Digitized by Google

edidit praeter *Carmen in nuptiis Serenissimi Alphonsi Principis Estensis & Isabellae Infantis de Sabaudia*, & pauca quaedam hujusmodi alia. Celebravit etiam hujus sanctissimae feminae soluta oratione funus, & haec quoque ad hominum manus pervenit (1). Permulta quidem in hac collegit Scapinellius, ex quibus intelligitur, virtutis perfectae matronam illam functam fuisse munere, ut mortem negligere potuerit, & ut satis superque vixisse videretur. Atque hic hujus voluminis finis erit, quo quantum muneri, quod mihi impositum est a Petro Leopoldo, quem extinctum lugemus, satisfecerim, non facile dixerim. Mihi quidem studium non defuit gratum animum testificandi huic Academiae & Principi, cui nunc paremus, omnium beneficentissimo, a quo ad hujusmodi scriptionis genus non modo invitatus, sed etiam lacessitus fui. Utinam dignitati ipsius Academiae consulere potuissem, amori certe meo erga illam consului.

F I N I S.

Questi in diverse lingue era eloquente
E sapeva in ciascuna a l' improvviso
Compor versi e cantar sì dolcemente
Ch'avrebbe un cuor di Faraon conquiso.
L'arpa al canto accordò subitamente,
E poichè fu d'intorno ognuno assiso
Col moto della man cessi alternando
Incominciò così tonoreggiando.

(1) *Haec funebris laudatio extat in libro, qui inscribitur:* Vita del P. Gio. Batista d' Este già Duca di Modena.

CURATORES SEU PROVISORES ACADEMIAE

PHILIPPUS MIGLIORIUS FLORENTINUS.	1543 — 1564.
ANTONIUS MIGLIORIUS FLOR.	1565 — 1573.
JOANNES TONSUS MEDIOLANENS.	1574 — 1587.
CAPPONUS CAPPONIUS FLOR.	1588 — 1603.
LUDOVICUS COVUS BRIXIENSIS.	1604 — 1607.
LAURENTIUS GONDIUS FLOR.	1607 — 1608.
ARCTURUS E COMITIBUS ILCII SENENSIS.	1608 — 1614.
HIERONYMUS A SOMMAJA FLORENT.	1614 — 1636.

Digitized by Google

RECTORES ET VICE-RECTORES ACADEMIAE.

1544. Annibal Fabronius Marradiensis V. R.
1545. Scipio Torquatus.
1546. Antonius Castiglia de Salamanca Hispanus.
1547. Joannes Domi e Caliari.
1548. Jo. Bapt. Massulonus Cremonensis.
1549. Antonius Frosina Siculus.
1550. Stephanus Andrei de S. Remo.
1551. Robertus de Chiavari.
1552. Vincentius Bauchierius Pistoriensis, & quia fuit jussu Principis amotus, ejus in locum suffectus fuit Hieronymus Lauricilla Siculus, & quia hic discessit & non rediit, loco illius lectus fuit Ascanius Urbinas.
1553. Alphonsus Torres Hispanus V. R., & quia discessit & non rediit, electus fuit Dominicus Vivaldus Genuensis.
1554. Thomas Manna Cremonensis V. R.
1555. Blasius Curinius Pontremulensis.
1556. Vincentius Amatus Pistoriensis.
1557. Hieronymus Calamire Hispanus V. R.
1558. Joseph Bapt. Focese Siculus.
1559. Persius Cattaneus Carrariensis.
1560. Gherardus Angerellus Lucensis.
Baccius Modestus Pratensis, quibus loco motis successit
1561. Octavianus Missinellius de Urbivento V. R.
1562. Annibal Fedelius Bargensis.
1563. Leonardus Mazola Romanus.
1564. Clemens Tucinus de Castiglione.

1565. Bartholomaeus Portius Collensis.
1566. Alexius Brogianus Florent.
1567. Caesar de Pace Siculus.
1568. Annibal Calvus Messinensis.
1569 Ludovicus de Severe Belga.
1570. Bartholomaeus Panichius de Petra Sancta V. R.
1571. Joseph de Horto Novo.
1572. Michael Castia de Spedia, & quia dignitate privatus, ejus locum occupavit Evander Honestius Castighonensis.
1573. Christophorus Venturinius Politianus.
1574. Bonifatius Vannotius Pistoriensis.
1575. Franciscus Limona Romanus V. R.
1576. Jo. Petrus Raynerius de Massa.
1577. Jo. Elias Pilosardus.
1578. Jo. Baptista Morotius Collensis.
1579. Marcus Aurelius Carassalius Placentinus, qui non se praesentavit ad reddendum Caputeum.
1580. Ludovicus Villanus Pratensis V. R.
1581.) Marius Inghiramius Volaterranus.
1582.)
1583.) Bartholomaeus Serraglius de Palaja.
1584.)
1585. Angelus Gratianus de Bistia.
1586. Joseph Calabro Panormitanus.
1587. Fabritius Morettus Pistoriensis.
1588. Stephanus Terius Pratensis.
1589.) Laelius Gavardus Asculanus Brixiensis.
1590.)
1591. Aeneas Martinengus Comes Villae Clarae, qui suscepit Doctoratus Insignia in Philosophia, in U. J. & in Theologia.
1592.) Philippus Mazzeus Lucensis, confirmatus a S. C. S.
1593.)

Digitized by Google

1594. Matthaeus Arexa Sassariensis.
1595. Andreas Lippius Aretinus.
1596. Joannes de Franciscis Sardus.
1597. Petrus Nuccius Pisciensis.
1598. Camillus Bozolus Ticinensis. Capite poenam expendit patrati homicidii die 25. Augusti hujus ipsius anni.
1599.) Julius Arquata Genuensis V. R. confirmatus in suo munere.
1600)
1601.) Thomas Pithonus Callaritanus V. R. Confirmatus Rector.
1602.)
1603. Carolus Bellatus de Massa.
1604 Dominicus Mainardus a S. Geminiano.
1605. Decius Archintus Mediolanensis. Die 8. Octobris veniam obtinuit discedendi ab Academia, eique successit Petrus Antonius Tuccinius de Castilione V. R.
1606. Jo. Baptista Brunettus Burgensis.
1607. Faustus Ganionius Politianus.
1608. Julius Santarellus Pisciensis.
1609. Andreas Rossius Pistoriensis.
1610 Baccius Vivianius Miniatensis.
1611. Augustinus Loglius Spedicensis, qui fugam arripuit ob patrata crimina: praemium CC. centussium promissum iis, qui ipsi vitam ademissent. XXI. Junii in ejus locum suffectus V. R. Substitutus Jo. Baptista Saperus Sardus, postea creatus V. R. Leonardus Spinula Genuensis, ac demum Hieronymus Chiesa Rector.
1612. Mathias Verten Germanus.
1613. Vincentius Arrighinius Lucensis.
1614. Jacobus Camanus Sardus V. R.
1615 Jo. Teuer Domicellus Sardus.
1616. Georgius de Georgis, qui discessit die 20. Feb. eaque propter in ejus locum suffectus Hiacyntus Diana Genuensis V. R.

Digitized by Google

1617. Talentus Talentius de Monte Catino.

1618. Caesar Albertus Lucensis V. R. sed jussu Principis Novembri ejusdem anni electus Rector Jo. Falconettus Plumbinas.

1619. Augustinus Tristagnus Sardus V. R. Substitutus, qui postea 25. Novembris fuit electus V. R.

1620. Jo. Baptista Tola Sardus.

1621. Jo. Pacecho Hispanus V. R: Substitutus, electus postea V. R. Generalis Franciscus Lazzania Genuensis.

1622. Dionysius Palearius Pedemontanus V. R. Substitutus: Novembri vero creatus Rector Julius Caesar Deodatus Lucensis.

Digitized by Google

ROTULI PROFESSORUM

QUI AB ANNO MDXLIII. AD ANNUM USQUE MDCXXII.
IN ACADEMIA PISANA FUERUNT (*).

THEOLOGIAE MAGISTRI.

Romulus Laurentianus Florentinus Servita. 1543 - 1544.
Hieronymus ab Auximo Augustinianus 1543 - 1549
Alexander e Monte Falcone Franciscanus 1544 - 1546.
Joannes Baptista Astensis Milliovacca Servita 1544 - 1555.
Franciscus Venturinius Pisanus Augustinianus 1549 - 1564.
Jo. Baptista de Urbino 1555.
Stephanus Contreras Hispanus 1556 - 1559.
Jacobus Tavantius de Plebe S. Stephani Servita 1560 - 1607.

Vices illius ad summam familiae praefecturam an 1576 evecti per triennium gessit Dominicus Silvanus Florentinus ex eodem ordine Servorum B. M. V.

Franciscus de Astudiglio Hispanus diebus festivis 1563 - 1566.
Cornelius de Martinis Ferrariensis Ordinis S. Francisci 1564 - 1567.
Dominicus Albitius Fl. Minorita 1568.
Antonius Baldosius Sardus Minorita 1569 1585.
Marianus ab Eugubio Franciscanus 1585 - 1588.
Laelius de Medicis Placentinus Ord. S. Francisci 1588 - 1603.
Franciscus Moritius de Monte Granario Minorita 1604 - 1607.
Laelius Balleonius Florentinus Servita 1607 - 1610.
Michael Angelus Cortonensis Minorita 1607.
Franciscus Lucianus Plumbinensis Minorita 1608 - 1611.
Laelius Marzarius Faventinus Minorita 1611 - 1615.
Jeremias Pellerius Florentinus Minorita 1615 - 1625.
Henricus Antonius Burgus e Castro Novo Scitpiae Servita 1620 - 1630.

(*) *Rotuli Academiae, seu conductiones Professorum plerumque fiebant aestate vel autumno; quapropter illorum conductionis annus incipit a Novembri, quo tempore ad Academiam accedebant, desinit autem in Junium. Et Novembri quidem an. 1543., cum renovata a Cosmo fuit Academia, scholas habere coeperunt conducti ab eo Magistri. Hujus & trium consequentium annorum rotulos invenire mihi haud contigit.*

SACRAE SCRIPTURAE MAGISTRI DIEBUS JOVIS ET FESTIVIS.

Prosper Rossettus Florentinus Servita 1589-1598.
Laelius Balleonius Florentinus Servita 1599-1602.
Vincentius de Civitella Dominicanus 1602-1609.
Albertus Campanius Florent. Dominicanus 1609-1618.
Laelius Marzarius Faventinus Minorita 1618-1623. *Rediit ipse od Academiam, ex qua discesserat triennio ante Fidei Quaesitor factus. Obiit autem ineunte Februario an.* 1623.

METAPHYSICAE MAGISTRI.

Jo. Franciscus Beatus Venetus Ordinis Praedicatorum 1543-1546.
Hieronymus Ubaldeus Dituta Perusinus Minorita 1546-1555.
Hieronymus Rossettus Florent. Servita 1547.
Jo. Bapt. Milliovacca Astensis 1555-1560.
Hieronymus de Cardona Hispanus 1560-1564.
Jo. Baptista Libtantius de Budrio Servita 1560-1590
Franciscus Venturinius Pisanus Augustinianus 1564-1589.
Prosper Rossettus Florentinus Servita 1589-1598.
Andreas Bellavita Pisanus 1589-1590.
Jo. Baptista Costaccius de V..co Augustinianus 1590-1618.
Laelius Balleonius Florentinus Servita 1598-1602.
Vincentius de Civitella Dominicanus 1602-1609.
Albertus Campanius Florent. Dominicanus 1609-1618
Aegidius Nuccius Pistoriensis Augustinianus 1618-1627.

JURIS CANONICI MAGISTRI.

Henricus Ormannus Volaterranus 1543-1547.
Franciscus Coscius Senensis 1543-1547.
Paradisus Mazzinghius Florent. 1544-1555.
Vincentius Godemius Pistoriensis 1544-1550.
Jo. Baptista Castilioneus Florent. 1545-1549.
Petrus Antonius Neruccius Geminianensis 1545-1556.
Nicolaus Bertrammus Senensis 1550-1553
Silvanus Guidius Volsterranus 1550-1556.
Antonius Ciofius Florent. 1549-1554.
Jo. Baptista Honestius Pisciensis 1550-1560.
Benedictus Bonus Cortonensis 1550-1556.
Donatus Malegonella Florentinus 1550-1589.
Simon Petrus Pitta Pisanus 1553-1608.
Martinus Sancassianus Pis. 1553-1556.
Hieronymus Malevolta Senensis 1555.
Antonius de Praetis de Monsilice 1556-1567.
Jo. Baptista Concinus Florent. 1560.
Jo. Baptista Patterius Pisanus 1560-1568.
Capponus Capponius Florentinus 1563-1587.
Laurentius Panutius Pistoriensis 1564-1573.
Hippolytus Seta Pisanus 1564 1579
Alexander Vena Pisanus 1566-1570.
Petrus Guerrazzius Pis. 1568-1572.
Vincentius Guidius Lucensis 1570-1578.
Jacobus Angelius Bargaeus 1572-1575.
Franc. Bertinus Coltensis 1572-1583.
1592-1602.

Digitized by Google

Silvius Perinianus Pisanus 1572-1577.
Camillus Venerosius Pis. 1573-1577.
Franciscus Santoregulus Pis. 1573-1577.
Quintilianus Mandosius Rom. 1577.
Joseph Cervelliera Pis. 1577-1585.
Joseph Bocca Pis. 1577-1610.
Vincentius Mazzuolus Pis. 1581-1600.
Petrus Soacius Patavinus 1585-1588.
Philippus Bonaventurius Flor. 1586-1592.
Hippolytus Accoltus Aretinus 1586-1592.
Thaddaeus Soacius 1588-1592.
Petrus de Nicolais Pis. 1589-1609.
Joan. Uguccionius Florent. 1589-1592.
Alex. Samminiatellus Pis. 1592-1610.
Hieronym. Marlianus Genuensis 1601.
Attilius Corsius Flor. 1602-1610.
Julius Sanszarrius Ticinensis 1604-1608.
Franc. Falconettus Florentinus Eques 1608-1640.
Paulus Ruschius Pis. 1607-1638.
Petrus Accoltus Aret. 1608 1627
Ant. Dias Pinto Lusitanus 1609-1610.
Petrus Girolamius Flor. 1610-1619.
Bened. Pinnelius Lusitanus 1610-1614.
Julianus Vivianius Pis. 1610-1612
Vincentius Maccantius Miniatensis 1612-1624.
Phil. Fachineus Foroliviensis 1614-1622
Carolus Antonius Thesaurus Pedemontanus 1616.
Alexander Puccinus Flor. 1617-1619.
Alexander Ambroginius e Foro Sempronii 1619 1620.
Laelius Mancinius e Monte Politiano 1619-1635.

ORDINARII ET EXTRAORDINARII JURIS CIVILIS MAGISTRI.

Joannes Franciscus Vegius Ticinensis 1543-1555.
Jo. Boncompanius Bonon. 1543-1544.
Antoninus Mediceus Camers 1543-1544.
Nicolaus Guicciardinius Fl. 1543 1554.
Hieron. Malevoltus Senens. 1543-1550.
Jo. Baptista Asinius Flor. 1544-1554.
Petrus Calefatus Plumbinens. 1546-1556
Jo. Roncagallus Ferrar. 1546-1550.
Nicolaus Belsraminius Sen. 1546-1550. 1553-1555.
Laurentius Maria de Nobilibus Lucens. 1547-1548.
Silvaticus Guidius Volster. 1546-1550.
Antonius Ciotius Florent. 1548-1549. 1554-1575.
Octavius Landus 1549-1551.
Jo. Baptista Orſinius Fulginas 1549.
Jacobus Mandellus de Alba 1551-1555.
Donatus Malegonella Florent. 1552.
Julius Salernus Ticin 1555 1563.
Rinaldus Rodolphus Perus. 1557 1560.
Annibal Nozzolinius Pis. 1557-1575.
Cappinus Capponius Flor. 1557-1563.
Jo. Bapt. Honestius Pisciens. 1560-1592.
Camillus Plautius Fontanellatensis 1562-1568.
Petrus Antonius Anselmius Florentinus 1562-1563.
Hieron. Papponius Pis. 1563-1598.
Petrus Guerrazzaius Pis. 1564-1568.
Carolus Bardellonius Mant. 1564-1568.
Alex Capponius Fl. 1567-1575.
Jacobus Angelius Bargaeus 1568-1572. 1575-1585. 1592 1609.
Martinus Spigliatus Flor. 1569-1580.
Bartholomaeus Romuleus Florentinus 1572-1576.
Jacobus Cantuccius Florent. 1572.
Leonardus Fabronius Flor. 1572-1583.
Jo. Guidius Volsterranus 1573-1574.
Petrus Nicolajus Pis. 1575-1588.
Benedictus Pescionius Fl. 1575-1581.
Hieronymus Menochius 1577.
Guerinus Soacius Patavin. 1579-1591.
Hippolytus Accoltus Aret. 1581-1586.
Franciscus Bertinus Collensis 1583-1592
Evander Benvolientius Sen. 1583-1586.
Pamphilus Columbinus Sen. 1585-1597.
Jo. Uguccionius Flor 1586-1589.
Sfortia Oddus Perusinus 1588-1592.
Leonardus Columbinus Sen. 1588 1592.
Cyprianus Pagnius Pis. 1589-1610.
Alexander Ro Medialanen 1592-1600.

Digitized by Google

Philippus Massinius Perus. 1591 - 1596.
Antonius Magnanius Pis. 1592 - 1596.
Philippus Bonaventurius Fl. 1592 - 1610.
Jacob. Ant. Marta Neap. 1597 - 1603
Andreas Fachineus Foroliviens. 1597 - 1608.
Antonius Curinius Pootremulensis 1598 - 1599. 1610 1634.
Franc. Lancillottus Perus. 1599 - 1603.
Octavius Compagnius Pistoriens. 1559.
Lucas Thomasinius Cupramontanus 1600 - 1607.
Antonius Ansaldius Miniatensis 1600 - 1607.
Franc. Angelius Bargaeus 1603 - 1609.
Polidorus Riva Mediol. 1603 - 1607 - 1610 - 1614.
Fabritius Matthaeus Foroliviensis 1605 - 1607.
Jo. Baptista Costeus Laudensis 1607 - 1608.
Sanctes Ballerinius Perus 1607 - 1634.
Petrus Accoltus Aret 1807.
Petrus Roncionius Pis. 1609 - 1619.
Christophorus Marttus Medices 1609 - 1611.
Turnus Pinoccius Senensis 1610 1614. 1620 1646.
Attilius Corsius Flor 1610 - 1613
Antonius Dias Pinto Lusitanus 1610 - 1618.
Adrianus Abramius Pis. 1611 - 1612.
Nicolaus Buonapartius Miniat. 1612 - 1623.
Petrus Rodrighes Lusitanus 1613.
Antonius Merenda Foroliviens. 1613 - 1624.
Benedict. Pinnellius Lusitan. 1614 1619.
Franc. Accarisius Senes. 1618 - 1622
Matthaeus Stephanius Fl. 1618 - 1621.
Marc. Ant. Sivorus Genuens. 1619 - 1621.
Alexander Puccinius Fl. 1619 - 1621.
Philippus Fachineus Foroliviensis 1622. 1641.
Jo. Viscontius Pistor. 1622 - 1624.
Camillus Accarisius Senens. 1622 - 1628.
Jo. Santinius Lucens. Eques 1622 - 1624.

PANDECTARUM INTERPRETES.

Jacobus Vias Massilianus 1591 - 1592.
Thomas Dempsterus 1616 - 1619.
Nicolaus Buonapartius Miniat. 1625.
Joannes Viscontius Pistor. 1624 - 1628.

CRIMINALIS JURIS INTERPRETES.

Rupertus Vannius Pis. 1544 - 1581.
Livius Statuccinius Collensis 1582 - 1588.
Lucas Thomasinius Cupramont. 1604 - 1606.
Hieronym. Tantuccius Sen 1607 - 1610.
Georgius de Mattos Pinnellius Lusitanus 1612.
Jacobus Vannellius Carrar. 1617 - 1625.

FEUDALIS JURIS INTERPRETES.

Hieronymus Papponius Pis. 1560 - 1570.
Camillus Venerosius Pis. 1570 - 1575.
Jo. Bapt. Guarnerius Pis. 1575 - 1587.
Hieron. Tantuccius 1607 - 1610.
Georgius de Mattos Pinnellius 1620 - 1624
Antonius Merenda Foroliviens. 1614 - 1619.

INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS INTERPRETES.

Jo. Baptista Asinius Flor. 1543 - 1544.
Rupertus Vannius Pis. 1543 - 1547.
Joannes Roncagallus Ferr. 1544 - 1546.
Nicolaus Beltramoinius Sen. 1544 - 1546.
Nobilius Genuensis 1544 - 1547.
Dominicus Bradius Flor. 1547 - 1549.
Angelus Romanus Aretinus 1546 - 1550.
Antonius Ciotius Florent. 1546 - 1548.

Digitized by Google

Petrus Portigianius 1546-1549.
Aloysius Cellesius Pistor. 1547-1549.
Hieronymus Papponius Pis. 1550-1556.
Gaspar Lusitanus 1550.
Petrus Guicciardinius Flor. 1550-1552.
Nicolaus Buonapartius Miniatensis 1551-1557.
Jacobus Baroncellus 1552-1554.
Annibal Nozzolinius Pis. 1553-1557.
Bernardus del Vigna Flor. 1556-1565.
Stephanus Bonfiglio Messinensis 1556-1558.
Pamphilus Columbinus Senens. 1557-1560.
Benincasa Benincasa Perus. 1560-1561.
Petrus Ant. Anselmius Flor 1560-1562.
Gaspar Taurellius e Burgo S. Sepulcri 1560-1562.
Petrus Guerrazzius Pis. 1560-1564.
Hieronymus Ugolinius 1560-1562.
Laurentius Beccius Castilionens. 1561-1567.
Nicolaus Calefatus Plumbinensis 1562-1567.
Jacobus Angelius Bargaeus 1561-1568.
Bernardus Neruccius de S Geminiano 1562-1565.
Franc. Berrious Collensis 1562-1573.
Camillus Venerosius Pis. 1562-1570.
Matthaeus Miniatensis 1565-1567.
Petrus Michael Giaccaraccius Sardus 1565-1567.
Franc. Lenzonius Flor. 1567.
Joseph Bocca Pis. 1567-1577.
Jo. Arieus Hispanus 1568.
Leonardus Fabronius Flor. 1568-1572.
Jacobus Castagnero Sardus 1569-1572.
Petrus Nicolajus Pis. 1570-1575.
Benedictus *P*escionius Flor. 1572-1575.
Jacobus Cautuccius 1573-1577.
Hippolytus Accoltus Aret. 1574-1581.
Franc. Gozzerius Aret. 1574-1578.
Petrus *P*aullus *P*erinus *P*is. 1575-1590.
Joseph Cervelleris *P*is. 1575-1577.
Silvius *P*erinianus *P*is. 1577-1582.
Pirrus Maurus Aret. 1577-1582.
Petrus Mormorsius Flor. 1577-1581.
Jo. Uguccionius Flor, 1581.

Alex. Samminiatellius *P*is. 1581-1592.
Bernardinus Nerettus Flor. 1581-1583.
Franciscus Giomius Eroporiensis 1581-1585.
*P*hilippus Bonaventura Florent. 1582-1586.
*P*etrus Fabronius Florentinus 1582-1588.
Antonius Magnanius *P*is. 1583-1591.
Joan. Compagnius Florentinus 1585-1589.
Franc. Jo. Victor. Flor. 1585-1587.
Franc. Balduinius Bargaeus 1588-1593.
Angelus Guazzesius Aret. 1589-1596.
Octavius Compagnius Pist. 1590-1594.
Zanobius Bonaventurius Fl. 1591-1595.
Antonius Curinius Pontremulens. 1592-1597.
Polidorus Riva Mediol. 1593-1596.
Marcus Ant. Asinius Flor. 1593-1596.
Jo. Bapt. Burghesius Sen. 1596 1598.
Leonardus Accoltus Aret. 1596.
Thomas Zimenes Lusitan. 1596-1598.
Miniatus Baldesius Flor. 1596-1598.
*A*nton. *A*nsaldius Minist 1597-1600.
Paullus Ro Mediolan. 1598-1600.
Petrus Gerius *A*ret 1598-1600.
Curtius Pacinellius *A*ret. 1599-1601.
Franc. Falconettus Flor. 1600-1602.
Fabritius Matthaejus Foroliviens. 1600-1605.
Ugolinus Verius Flor. 1600-1603.
Petrus Accoltus Aret. 1601-1607.
Jo. Franc. de Mansdoris Flor. 1601.
Julius Turinius Piscien. 1601-1603.
Bernar. Inghiramius Volat. 1602-1608.
Petrus Franc. Riccius Flor. 1603-1606.
Camillus Perinus Flor. 1603-1607.
Thomas Rusticius Fl. 1604-1607.
Bernardinus Facchineus Foroliv. 1604-1608.
Julius Pascius Collensis 1606-1613.
Petrus Roncionius Pis. 1606 1609.
Phil. Facchineus Foroliv. 1607-1614.
Cristophorus Martius Medices Florent. 1607-1609.
Carolus Antonius Thesaurus Pedemont. 1607.

Honoratus Scorza Genuensis 1607.
Petrus Girolamius Flor. 1607-1609.
Julianus Vivianius Pis. 1608 - 1610.
Jo. Angelius Bargaeus 1609 - 1611.
Christophorus Spinius 1609 - 1611.
Nicolaus Buonapartius Miniat. 1609 - 1623.
Antonius Cossus Sardus 1609 - 1611.
Vincentius Maccantius Miniaten. 1611 - 1612.
Paullus Troncius Pis. 1611.
Ant. Merenda Foroliviens. 1611 - 1613.
Jo. Baldovinettus Flor. 1611.
Franc. Pugnanius Pis. 1611.
Angelus Favilla Flor. 1611 - 1622.
Vincentius Frosinus Pis. 1612.
Laelius Mancinius Politianus 1612-1618.
Jacobus Vannelſius Carrariensis 1612 - 1618.
Franc. Schipisius Pis. 1612 - 1615.
Matthaeus Stephanius Fl. 1613 - 1618.
Alexander Puccinius Fl. 1613 - 1617.
Jo. Viscontius Pistor. 1615 - 1622.
Laelius Lanfranchius Pis. 1617 - 1620.
Cosmus Colluccius Flor. 1617 - 1621.
Jo. Bapt. Manuius Flor 1617 - 1641
Camillus Accarisius Senensis 1618 - 1622.
Vincentius Victorius Fl. 1618 - 1622.
Nicolaus Simius Luc. 1618 - 1631. (*) .
Petrus Panicalius Pis. 1618 - 1622.
Bernardus Flamminghius Miniatensis 1618 - 1626.
Benedictus Ammiratus Fl. 1620 - 1624.

MEDICINAE MAGISTRI.

Mathaeus Curtius Ticin. 1543 - 1544.
Franc. Gallus Pontremul. 1543 - 1547.
Nicolaus Boldonius Mediol. 1543 - 1554.
Jo. Argenterius Pedemont. 1545 1555.
Leonardus Jacchinius Empor. 1543 - 1547.
Michael Ang. Angelius Bargaeus 1543 - 1572.
Marcus Antonius Quarantoctus e Monte Catino 1544 - 1546.
Sebastianus Papareſlius 1547 - 1550. (**)
Bartholom. Baldinius Fl. 1547 - 1550.
Soccinus Bencius Ferrar. 1547 - 1554.
Vidus Vidius Fl. 1547 - 1569.
Barthol. Gatteschius e Strata 1549 - 1554. Supraord. 1573 - 1577.
Franc. de Garbo Fl. 1549.
Hercules Hebraeus 1550.
Henricus Mattisius 1550 - 1551.
Thomas Cornacchinius Aret. 1551 - 1554. 1577 - 1584.
Petrus Cappellus Fl. 1552.
Jo. Guial Maioricensis 1553 - 1555.
Damianus Montisianus Geminianensis 1554 - 1575.
Maximus Aquilanus Pis. 1554 - 1557.
Bernard. Paternus Salonicen 1555 - 1558.
Vincent. Ferrinius Pis. 1556 - 1564.
Dominicus de Camajore 1557.
Jo. Baptista Martius de Podio Bonitio 1557 - 1560 1568 - 1581.
Raphael Orsilagus Pis. 1560 - 1563.
Franc. Vivulus Fl. 1560 - 1566.
Dominicus Bertacchius de Camporeggiano 1563 - 1579.
Hier. Vectius Pistor. 1563 - 1586
Damianus Diaz Lusit. 1564 - 1609.
Andreas Caesalpinus Aret. 1567 - 1592.
Vidus Vidius Junior 1575 - 1583.
Julius Angelius Bargaeus 1577 - 1592.

(*) *Magnae expectationis magnaeque doctrinae adolescens hoc ipso anno obiit, cum teneret primum locum inter Institutionum Imperialium Magistros. Hunc honoratissimum locum tum occupavit Schipisius cum stipendio* CLX. *centussium.*

(**) *Praetermisimus supra (pag. 261.) mentionem facere de Paparellii medicis scriptis, quae edita fuerunt Maceratae an. 1582. in fol. Vel ante hoc tempus ediderit Perusiae librum* de Indicationibus Curativis.

Digitized by Google

Andreas Camutius *Mediol.* 1577-1587.
Joseph Capannolus Pis. 1581-1597.
Paullus Tonsus *Mediol.* (*) 1583-1587.
Rodericus Fonseca Lusit. 1584-1615.
Hippolytus Sestinus Bibbienensis 1585-1589.
Io. Talentonius Fivizzanensis 1586-1588.
Petrus Lupius Pis. 1586. 1606.
Jo. Bapt. Cortegnius Bagnonensis 1589-1612. 1515-1632.
Jacobus Lavellius de Castro Novo 1590-1593. 1620-1626.
Hieron. Mercurialis Foroliviens. 1592-1606.
Philip. Cavrianus Mantuanus 1593-1606.
Carolus Thomasius Corton. 1597.
Franc. Anselmius Pis. 1598-1612.
Ferd. Angelius Bargaeus 1602-1607.
Jacob. Blancardus de Laurentiis Genuens. 1606-1613.
Marcus Cornacchinius Aret. 1606-1621.
Julius Gustavinus Genuens. 1607-1636.
Julius Titius Pis. 1607-1629.
Matthaeus Carrara Bargaeus 1611-1628.
Joannes Ruschius Pis. 1612-1616.
Jacobus Maccolo Scotus 1613-1617.
Joannes Maccolo Scotus 1614-1618.
Jo. Bapt. Bellavita Pis. 1617-1630.
Oliverius de Celatis Pis. 1617-1649.
Stephanus de Castro Lusit. 1617-1640.

PHILOSOPHIAE MAGISTRI.

Mainettus de Mainettis Bononiensis 1543-1547. 1556-1572.
Branda Porrus Mediolan. 1543-1547. Supraord. 1555.
Remigius Miglioratus Burgensis 1543-1554.
Ant. Lapinius Flor. 1543-1551.
Barthol. Gatteschius Strat. 1543-1549.
Damianus Montisianius Geminianensis 1543-1554.
Jo Stroctius Fl. 1547-1554.
Simeon Portius Neap. Supraordinarius 1547-1554.
Silvaggius Ghettinius 1552-1560.
Hieronymus Borrius *Aret.* 1553-1559. 1575-1587.
Thomas Cornacchinius Aret. 1554-1557.
Franc. Verinus Flor. 1554-1590.
Franc. Vivulus Fl. 1557-1560.
Clemens Quarantoctus e *Monte* Catino 1560-1587.
Jo. Bapt. Mutius e Podio Bonitio 1560-1568.
Flaminius de Nobilibus Luc. 1563-1564.
Franc. Bonamicius Fl. 1565-1603.
Petrus Campusacchius Aret. 1568-1575.
Julius Licinius Flor. 1575-1596. 1606-1610.
Joseph Capannolus Pis. 1573-1585.
Rodericus Fonſeca Luſit. 1582-1584.
Tiberius Bellavita Pis. 1586-1592.
Dom. Maranta Fl. 1587.
Jacobus Mazzonius Caesenas 1588-1598.
Andreas Bellavita Pis 1595.
Franc. Anſelminus *Pis.* 1595-1598.
Carolus Thomasius Cort. 1598-1606.
Horatius Cornacchinius Aret. 1599.
Coſmus Boſcaglius Flor. 1600-1625.
Angelus de Aſtolfis de Monte S. Sabini 1604-1610.

(*) Pag. 285. *quo in loco mentionem feci Paulli Tonsi, mentionem quoque facere debuissem elogii, quod positum est in ejus sepulcro Pisis apud Carmelitas. En illud.* Paulo Tonso Mediolan. Patricio Hieron. J. C. Decurionisque Fil. Philosopho Medico humanioribusque litteris Latinis & Graecis ornatissimo Camillus Berzighelli amico cariss. *P.* Vixit an. XXXIIX. men. IV. Dies X. mortem obiit Kal. Octob. 1589.

Fortunius Licetus Genuens. 1605-1609.
Scipio Aquilonius *Pis.* Eques 1610-1623
Franciſcus Seghierius a *Monte* Carolo 1610 - 1640.
Flaminius Papazzonius Bonon. 1651 - 1654.
Auguſtin. Galleſius Bonon. 1614-1619.
Jo. Bapt. Fabronius *Marradien.* 1619 - 1625.
Bartholomaeus Talentonius Fivizzanenſis 1622 - 1645.
Nicolaus Anſaldius *Miniat.* 1622 - 1628.

ANATOMES MAGISTRI .

Realdus Columbus Cremonensis 1545-1548.
Gabriel Faloppius *Mutinensis* 1548 - 1551.
Michael Angelus Angelius 1552 - 1555.
Anton. *Ponzanellius* Sergianens. 1557. 1563.
Anton. Venturinius Sergianens. 1567 - 1585.
Fabritius Bartolettus Bonon. 1619.

DOCUERUNT CUM ANATOME CHIRURGIAM .

Joannes Ruſchius Pis. 1586 - 1616.
Petrus Ruschius 1616 - 1625.

BOTANICES MAGISTRI (*) .

Lucas Ghinius 1544 - 1555.
Andreas Caesalpinus Aret. 1555 - 1571.
Thomas Mermannius 1575 - 1582.
Baldellus Baldellius Cort. 1572 - 1596.
Joseph Rovezzanius *Pis.* 1597 - 1602.
Marcus Cornacchinius Aret. 1605 - 1606.
Horatius Cornacchinius Aret. 1606 - 1608
Dominicus Vigna Fl. 1609 - 1647.

MATHESIS MAGISTRI .

Julianus Ristorius *Pratens.* Carmelita 1547 - 1550.
Franciscus Ottonarius Florent. 1547 - 1550. 1555 - 1558.
Leonardus Leonardius Florent. 1547 - 1550.
Maximus *Aquilonius Pis.* 1550 - 1554.
*P*hilippus Fantonius Fl. 1560 - 1591.
Joseph Nozzolinius *Pis.* 1567 - 1577.
Franciſcus *Piſſerius* e *Monte* S. Sabini 1589-1592.
Galileus Galilejus 1592 - 1594 - 1610 - 1642.
Franciscus Sanleoninius Fl. 1598-1600.
*A*ntonius Santuccius a Ripomarance 1599 - 1613.
Benedictus Castellius Brixiens. 1613 - 1626.

LOGICES MAGISTRI (**).

Damianus Montisianius Gemin. (***) .
Thomas de Cattaro .
Silveggius Ghetinius .

(*) *Horum nonnulli praefecturam quoque gesserunt Horti Botanici . Gesserunt etiam , quamvis publice doctoris munere minime fungerentur, Laurentius Mazzanghius Bargaeus, Polydorus Mattheinius, Franciscus Malocchius, & Maccoli Fratres. De his omnibus, aliisque vide Vignam ad Theophrasti libros ec.*

(**) *Erant matutini & vespertini , & in iis fuere quoque Sophistae , qui acroases habebant diebus festis , ceterisque feriatis .*

(***) *Aperuit an.* 1543. *Logices scholam , & hanc rexit ab an.* 1555. *usque ad annum* 1560. *cum honorificentissimo titulo Supraordinarii .*

Camillus Mannuccius.
*P*etrus Cappelius.
Marius Marradius.
Bartholomaeus Balduinius
Lucas Antonius Bonicellius de Camajore.
Jo. Bonuccius Lucensis.
Agamemnon de Castello.
Franciscus Ciaccarinius.
Alexander Bruno Carmelita.
Franciscus Verinus Flor.
Raphael Carmelita.
Sebastianus de *P*uppio.
Carolus Regens S. Nicolai.
Franciscus Arduinus Calaber.
Augustinus Titius de Castiglione.
Andreas *P*ontremulensis.
Flaminius Nobilius Lucensis.
Franciscus Bonamicius.
*P*etrus Camposacchius.
Julius Angelius.
Aloysius Benvenutus Florentinus.
Julius Librius Flor.
Joseph Capannolus *Pis.*
Joannes Talentonius Fivizanens.
Rodericus Fonseca Lusit.
*P*etrus Gambarellius Florent.
Jo. Bapt. Forlitus Carmelita *P*anormitanus.
Horatius Mainettus Bonon.
Hippolytus Sestinus Bibienens.
Dominicus Silvanus Flor. Servita.
Andreas Bellavita *Pis.*
Jo. Dominicus Melis Sardus Minorita.
Leo Mauritius Aretinus.
*P*tolomaeus Nozzolinius *Pis.*
Marcus Ant. Malatesta *Pistor.*
Horatius Cornacchinius Aret.
*A*ntonius Laurentious *P*olitianus.
*A*ngelus *A*stulphus de Monte S. Sabini.
Cosmus Boscaglius Florent.
Scipio *A*quilanius *Pis.*
Fortunius Licetus Genuensis.
Franc. Seghierius de Monte Carolo.
Gregorius de Fantis Politian.
Ascanius de Clericis Aret.
Vincentius Vanoius Pis.
Gabriel Fonseca Lusitan.
Vincentius Gratis Florent.
Bartholomaeus Mancinius Polit.
Barthol. Talentonius Fivizanens.
Franc. Capannolus *Pis.*
Nicolaus Ansaldius Miniat.
Oliverius Celata *Pis.*
Georgius de Morsis Lusit.
Jo. Baptista Fabronius Marradiens.
Philippus Vernacinius Pis.

LITTERARUM GRAECARUM ET LATINARUM MAGISTRI.

Franciscus Robortellius Utinens. 1543-1549.
Quiricus Stroctius Florent. *1549-1565.*
Petrus Angelius Bargaeus *1549*-1596.
Paullus Viulardus Gallus 1576.
Bartholomaeus Mancinius Politianus 1577 1580.
Dominicus Mancinius Cortonens. 1581-*1586. 1588-1592.*
Aldus Manutius *1586-1588.*
Dominicus Pousevius Florent. *1596.*
Franc. Sanleoninius Flor. *1597-1602.*
Balthasar Ansideus Perusin. *1602-1606.*
Rupertus Titius Burgensis *1606*-1609.
Angelus Monosinius Flor. 1609-*1610.*
Gratius Maria Gratius Senens. 1610-*1613.*
Julius Caesar Bulengerus *1614-1619.*
Ludov. Scapinellius Mutinen. *1621-1628.*

GRAECI HOMINES, QUI GRAECA TANTUM DOCUERE.

Georgius Moschettus *1606*-1609. (*).
Georgius Corresius 1609-161*5.*
Franciscus Trinus 16*15-1626.*

(*) *Quod ejus opera utebatur Magnus Dux, cujus in exequendis mandatis aliquandiu etiam abfuit ab Etruria, non admodum consuluisse Academiae videtur, ad quam semel iterumque rediit.*

APPENDIX

MONUMENTORUM

(1) Materias singulis annis nostris Lectoribus praescriptas, ut unusquisque, quid praevidere debeat, congruo tempore scire possit, ordinare nobis optimum visum est.

Et inprimis statuimus, quod Ordinarii Juris Canonici de mane primo anno legant de constitutionibus usque ad titulum de officio delegati, 2. anno de probationibus usque ad finem libri; 3. de officio delegati usque ad finem libri; 4. de Judiciis usque ad titulum de probationibus. Ordinarii Juris Canonici de Sero primo anno incipiant titulum de Praebendis, & Dignitatibus, & continuative legant usque ad Titulum de Testamentis; 2. anno capiant Titulum de Testamentis, & legant usque ad titulum de Sponsalibus; 3. legant titulum de Sponsalibus usque ad titulum de accusationibus; 4. capiant titulum de accusationibus, & legant usque ad finem libri. Ordinarii Juris Civilis de Mane primo anno legant titulum de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio digest. vet., & continuative legant in illa prima parte; 2. anno legant titulum Codicis qui admitti cum materiis illius secundae partis, 3. titulum digest. si certum petatur cum seqq. in illa parte; 4. titulum codic. de edendo, & materias, ut supra prosequantur. Ordinarii Juris Civilis de Sero primo anno incipiant titulum digest. novi de oper. nov. nunc. prosequendo illam partem; 2. anno titulum delegat. p. cum sequentibus mate-

Digitized by Google

riis; 3. capiant titulum de verb. obblig. 4. titulum Inforliati soluto matrim., & ut supra proſequantur. Extraordinarii Juris Canonici de Mane omni tempore legant Decretum, prout a seniori ex Collegiis ante vacationes publicatum fuerit. Extraordinarii Juris Canonici de sero uno anno legant Sextum, altero Clementinas, eligendo titulos eo modo, quo de matutinis proxime dictum est. Extraordinarii vero Juris Civilis tam de Mane, quam de Sero legant semper in ea parte, in qua Ordinarii legent, diversos tamen titulos, & leges, quae ab Ordinariis incipientibus non legantur, capientes. Publicatio autem horum titulorum per Rectorem ante vacationes fieri debeat. Institutarii legant titulos publicandos ante vacationes generales per antiquiorem Doctorem ex concurrentibus, conformandos pro ut magis expediet cum Ordinariis vespertinis. Logici autem Ordinarii singulis annis in qualibet lectione legere teneantur introductionem Porphyrii, & librum posteriorem. Philosophi Ordinarii primo anno legant libros physicorum Aristotelis; 2. libros de Caelo; 3. de Anima. Philosophi extraordinarii primo anno legant libros Aristotelis de generatione; 2. libros meteorologicorum; 3. libros parvor. naturalium, incipiendo a libro de sensu. Metaphysici primo anno incipiant libros metaphysices Aristotelis continuando in dictis libris 2., e 3. anno. Theologi semper legant Magistrum sententiarum cum suis expositionibus. Medici Ordinarii Theorici primo anno legant libros artis medicinalis Galeni; 2. libros Aphorismorum Hippocratis, quem librum 3. quoque anno continuare debeant. Medici Extraordinarii Theorici primo anno capiant librum primi Canonis Avicennae prima fen. Secundo libros prognosticorum Hippocratis, 3. libros Galeni de pulsibus. Medici practici Ordinarii primo anno legant de Febribus Avicennae prima fen. 4. Canonis, 2. de Curis particularibus nonum librum Rasis ad Almansorem, 3. continuent eundem librum de Curis particularibus. Medici practici extraordinarii ſive matutini easdem legant

lectiones converso tamen ordine. Scilicet primo anno de curis particularibus, 2. Reliquum de curis, 3. de Febribus. Chirurgici legant practicam, prout eis videbitur. Deputati ad lecturam de simplicibus legant Dioscoridem. Astronomi primo anno legant auctorem spherae: 2. Euclidem interpretentur, 3. Quad. Ptolomaei Grammatici, & legentes Graecum legant prout auditoribus videbitur; nullus autem praedictum a nobis traditum ordinem immutare possit, nisi de Rectoris, & Consiliarorum licentia, qui de consilio Collegii Doctorum illius facultatis, de qua tractabitur, possint, per temporum vices & occasiones aliter, atque aliter deputare, & qui contra fecerit puniatur, ac si lectiones praetermisisset. Declarantes quod durante tempore circulorum omnes Collegae eumdem titulum, vel librum incipere, & continuare teneantur. Peracto vero dicto tempore liceat unicuique materias eo anno praescriptas pertractare, & ad ejus libitum legere, nisi specialiter aliquo casu contrarium dispositum sit.

(II.) *Viris Dilectis Filiis Archidiacono, & Archipresbytero ac Praeposito Ecclesiae Florentinae nunc, & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet.*

PIUS PP. IIII.

Dilecti Filii Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dudum felicis recordationis *Paulo PP. III.* Praedecessori nostro, pro parte dilecti Filii nobilis Viri *Cosmi Medicis* Florentiae, & Senarum Duci exposito, quod ipse pro Literarum studii incremento, & tam suorum Subditorum & aliorum Christi Fidelium, in scientia Literarum hujusmodi proficere cupientium commoditate, Studium Pi-

Pisanum propter retroactorum temporum calamitates non modice deterioratum ad primevam illius formam reducere; & propterea ex diversis Mundi partibus praeclaros Doctores, & Lectores conducere intendebat; ad quae non modici sumptus necessarii erant. Dictus praedecessor ipsius *Cosmi Ducis* in ea parte supplicationibus inclinatus, pro dicti Studii reparatione, & manutentione, certum subsidium, ad certum tunc tempus expressum, super fructibus bonorum Ecclesiasticorum in Dominio Florentino, cujus tunc ipse *Cosmus Dux* Dominus existebat, consistentium per quosdam primo imposuit, & exigi mandavit; deinde per eundem Praedecessorem accepto, quod ad perfectam Studii hujusmodi reparationem jam egregie incoeptam, & manutentionem, alio, & diuturniori subsidio opus erat, ipse similiter ad ejusdem *Cosmi Ducis* preces, certam Personam Ecclesiasticam per alias suas dedit in mandatis, quatenus subsidium unius integrae Decimae in ipsius Studii subventionem, reparationem, conservationem, & auxilium, *& non alios usus* convertendam, super fructibus, redditibus, & proventibus Beneficiorum hujusmodi Apostolica authoritate imponeret, & illud ab omnibus Personis Ecclesiasticis ad *Quinquennium* ex tunc computandum, exigeret, & perciperet.

Postmodum vero Piae memoriae Julius Pontifex tertius, & Praedecessor noster, & ad similes ejusdem Cosmi Ducis preces, dicti *Pauli*, ac etiam Rev. Memor. *Sixti IIII.*, *Innocentii VIII. Alexandri VI.*, *Leonis X. & Clementis VII.* Romanorum Pontificum, & Praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo, certa & tunc expressa Persona, per alias commisit, & mandavit, quatenus subsidium unius integrae *Decimae* hujusmodi, in praefatos, *& non alios usus* convertendum, super quarumcumque Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum ac Canonicatuum, & Praeben-

Digitized by Google

darum, Penſionum quoque, quantumcunque exemptarum, & immunium, & nullatenus reducibilium, ceterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ac quarumcumque Militiarum, & Hoſpitalium, (non tamen Beati Joannis Hieroſolimitani, ac in quibus Hoſpitalitas actu ſervaretur) & aliorum Piorum Locorum cum Cura, & ſine Cura Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, tam Virorum, quam Mulierum, & Mendicantium ex Privilegio, vel alia Bona immobilia, ſeu certos redditus habentium in dicto Dominio conſiſtentium, fructibus, redditibus, & proventibus per ſe, vel alium, *Authoritate Apoſtolica* imponeret, illudque ab omnibus venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Praepoſitis, Praelatis, Capitulis, Conventibus, Clericis, & Perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & Regularibus, & exemptis, & quantumcumque Privilegiatis (Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus dumtaxat exceptis) pro rata Bonorum ſeu reddituum eorundem ad *Quinquennium* a Calendis menſis Junii tunc proximi futuri computandum, perciperet & exigeret, plenam & liberam eidem Perſonae ſuper praemiſſis, ac etiam ad ea, quaſcumque alias Perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas cum plena libera & omnimoda facultate praemiſſa, ac omnia, & ſingula alia circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, loco ſuo deputandi facultatem, & poteſtatem concedens; ac decernens Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Praepoſitos, Praelatos, Capitula, Conventus, Clericos, & alias Perſonas ad ſubſidii per eam, ſeu aliam ad id ab ea, ut praefertur, deputandam Perſonam Impoſiti hujuſmodi ſolutionem efficaciter obligatos fore, & ad illius ſolutionem Sententiis, Cenſuris, & Poenis Eccleſiaſticis, ac etiam Interdicti appoſitione omnibuſque aliis Juris, & facti remediis per eam, & Perſonas ad id ab ea deputandas, partes cogi, & compelli poſſe: ac poſtremo ex iiſdem Cauſis commiſſionem, & mandatum d. Perſonae factum, ac poteſta-

tem, & facultatem illi sic, ut praefertur, attributam, nec non decretum, & alia praemissa, ac cum omnibus singulis in eis contentis clausulis Literas hujusmodi ad alios *Quinque Annos* a fine dicti ultimi Quinquennii computandos, ita ut interea eadem Persona per se, vel per alium subsidium unius integrae Decimae in praedictos & non alios usus convertendum, super fructibus, redditibus, & proventibus praemissis juxta ultimam dictarum Litterarum formam imponeret, & ad d. *Quinque Annos*, ut praefertur, perciperet, & exigeret, ipsique Archiepiscopi, Episcopi, & aliae Personae Ecclesiasticae ad posterioris subsidii hujusmodi solutionem efficaciter obligati essent, & ad id, ut praemittitur, cogi, & compelli possent, & in omnibus, & per omnia ac si ultimo d. Literae, non ad Quinquennium, sed ad Decennium, ut praemittitur, computandum emanassent, d. auctoritate Apostolica, per alias suas in forma Brevis Literas extendit, & prorogavit, prout in d. Literis plenius continetur. Cum autem sicut idem *Cosmus Dux* nobis nuper exponi fecit, finis ultimi Quinquennii praedicti jam praeterierit, dictumque Studium nondum sit plene restitutum; causae vero, propter quas subsidium praefatum impositum fuit, vel earum aliquae adhuc durent, & ad hoc ut idem Studium pristino statui & decori suo restituatur, ejusdem subsidii prorogatione opus sit, idcirco idem *Cosmus Dux* nobis humiliter supplicari fecit, ut pro ipsius reparatione, & conservatione subsidium unius *integrae Decimae* Fructuum Ecclesiasticorum in Dominio Florentino hujusmodi ad aliud Quinquennium prorogare aliasque in praemissis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur qui Literarum Scientiam mortalium generi prorsus necessariam, libenter ubique promovemus, tenoris Literarum praefatarum, & inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eorundem *Sixti*, *Innocentii*, *Alexandri*, *Leonis*, *Clementis*, *Pauli*, & *Julii*, praedecessorum vestigiis inhaerendo, supplica-

tionibus hujusmodi inclinati, Discretioni vestrae per praesentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus Vestrum subsidium unius integrae Decimae hujusmodi *in praefatos, & non alios usus convertendum*, super quarumcumque Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Personatuum, administrationum, & officiorum ac Canonicatuum, & Praebendarum, & Pensionum quoque Annuarum, quantumlibet exemptarum, ac immunium, & nullatenus reducibilium, etsi in illarum assignationibus caveatur expresse quod rata persolvenda, ratione praedicti subsidii, & quarumcumque Impositionum retineri non possit, sed de illa intelligatur fuisse factam Donationem inter vivos ex tunc prout ex die impositionis Decimarum hujusmodi, & e contra, ac cum aliis fortissimis Clausulis, & decretis, caeterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, & Hospitalium; non tamen Sancti Joannis Hierosolimitani, ac in quibus Hospitalitas actu servatur; & aliorum Piorum Locorum cum Cura, & sine Cura, Saecularium, & quorumvis Ordinum Regularium, necnon quorumvis Militiarum, tam Virorum, quam Mulierum, etiam Mendicantium, ex Privilegio, vel alias bona immobilia, seu certos redditus habentium in d. Dominio Florentino tantum, non autem Senarum consistentium, fructibus, redditibus, & proventibus universis ad aliud *Quinquennium*, a fine ultimi *Quinquennii per Julium* praedecessorem prorogati, sive concessi computandum, alias modo, & forma praemissis Auctoritate nostra imponere, ac per vos, vel per alium, seu alios, eamdem Decimam singulis Annis, d. durante Quinquennio, quod per praesentes prorogatum, sive concessum esse decernimus, exigere, recipere, & levare, ac in ejusdem Studii, *& non alios usus* juxta ipsius *Cosmi Ducis* ordinationem convertere curetis: Nos enim vobis, & cuilibet vestrum super praemissis omnibus, & singulis, & quoad ea, quascumque alias

Digitized by Google

Personas in dignitate Ecclesiastica constitutas cum plena, libera, & omnimoda facultate permissa, ac omnia, & singula alia circa ea necessaria, & opportuna faciendi, loco vestri deputare libere & licite valeatis plenam & liberam, Apostolica Auctoritate per praesentes concedimus facultatem, & potestatem: Decernentes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Praepositos, Praelatos, Capitula, Conventus, Clericos & Personas hujusmodi ad subsidii, per vos seu aliam Personam ad id a vobis, seu uno vestrum, ut praefertur, deputandam Impositi hujusmodi solutionem, efficaciter obligatos fore, & ad illius solutionem, sententiis, Censuris, & Poenis Ecclesiasticis, ac etiam Interdicti appositione, omnibusque aliis Juris, & facti remediis per vos, seu Personam ad id a vobis, seu uno Vestrum, ut praemittitur, deputandam, cogi, & compelli posse: non obstantibus praemissis, necnon omnibus illis, quae dicti Praedecessores in suis Literis voluerunt non obstare caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die Prima Septembris 1564. *Pontificatus nostri Anno quinto. Caesar Florierius.*

Cum autem sicut idem *Cosmus Dux* nobis nuper exponi fecit, dictum Studium, ut in debito statu manuteneatur, gravibus, assiduisque sumptibus, & expensis aliunde quaesitis indigeat, idque absque Sedis praedictae Benignitate, & annua Cleri praedicti contributione fieri minime possit, propterea d. Cosmus Dux Nobis humiliter supplicari fecit quatenus ipsam Annuam Decimam, *durante Studio* hujusmodi prorogare ac alias in praemissis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati litteras nostras praeinsertas cum Decretis, ac omnibus & singulis in eis contentis Clausulis, necnon commissionem, & Mandatum, ac Potestatem, & facultatem, & alia praemissa *durante eodem Studio Pisano*, ita ut vos per vos, vel alium, seu alios subsidium unius integrae Annuae Decimae in praedictos, & *non alios usus* convertendum

super fructibus, redditibus, & proventibus in praeinsertis Literis comprehensis, juxta earumdem praeinsertarum Literarum formam, & tenorem imponatis; & d. durante Studio, ut praefertur, percipiatis, & exigatis, Archiepiscopique, & aliae Personae sub dd. praeinsertis Literis comprehensae ad posterioris subsidii hujusmodi solutionem efficaciter obligati sint, & ad id, ut praemittitur, cogi compelli possint; & in omnibus, & per omnia, perinde ac si praeinsertae Literae hujusmodi, non ad *Quinquennium, sed durante Studio Pisano* emanassent, eadem auctoritate Apostolica per Praesentes extendimus, & prorogamus. Non obstantibus omnibus, quae in praedictis literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris Die tertia Septembris 1564. Pontif. Nostri Anno quinto.

(III.) *Die VIIII. Februarii an.* 1542.

Cognoscendo l' Illustriss. & Excellentiss. Sig. Duca, essere stata sempre molto gloriosa a Principi la protezione delle Lettere, e molto utile a Popoli lo studio delle buone arti, e che le Città, e Provincie sono state sempre felicissime sotto il Reggimento degl' uomini Litterati, o amatori delle Scienze, come ne resta ancora fresco exemplo, e chiarissima memoria dei tempi presenti sotto il Governo delli suoi Illustriss. Progenitori, dalli quali essendo stati favoriti, intrattenuti, e ajutati e di Libri, e di stipendj, così al servizio loro, come nello Studio di Pisa molti uomini excellenti in tutte le sorte delle discipline, fiorì questo Stato non meno della gloria delle lettere, che degl' altri beni della Pace. Però parendo a Sua Excellenza, che s' appartenga non solamente alla dignità, ma quasi al debito suo di conti-

nuare nella medesima protezione ereditaria de' suoi Padri, ha deliberato a benefizio e comodità universale di tutto lo Stato, e a conservazione, e ad accrescimento particolare della Città di Pisa, oltre al rinnovarvi al suo tempo, come altra volta si proporrà alle Magnificenze Vostre, il suo antiquo, e famoso Studio, e creare ancora in quella Città un Collegio di Scolari, nel quale senza alcuna spesa sieno raccettati, e muniti tutti quelli buoni ingegni, che oppressi dalla povertà domestica, non potrebbero senza simile ajuto, attendendo alle Lettere, mostrare l'eccellenza, e la nobiltà degl' animi loro; e perchè non è conveniente, nè possibile dargli principio, o mantenerlo senza una provvisione, e assegnamento d'entrate certe, e stabili, però il prefato Sig. Duca, e gli suoi magnifici Consiglieri con il parere di più savii Cittadini hanno, come di sotto, provisto, e deliberato.

Che per virtù della presente Provvisione s' intenda essere attribuita, e s' attribuisca pienissima autorità a Sua Eccellenza, e suoi Magnifici Consiglieri che per i tempi saranno, o a quelle Persone che da loro fossino legittimamente deputate, di creare nella Città di Pisa un Collegio di Scolari, & a quello assegnare per edificare, o rassettare tutte quelle abitazioni, e in quelli luoghi, modi, e tempi, e nel prefato Collegio accettare, e ammettere quel numero, e qualità di Scolari, e gli accettati permutare, o cassare, siccome a loro Signorie tante volte quante occorre liberamente parrà, e piacerà.

E per conservazione, e substentazione di tale Collegio da crearsi, e delli Scolari, che per i tempi vi saranno, s' intendino essere attribuiti, e applicati, come da ora si applicano tutti i Beni, immobili insino a questo giorno confiscati, de' quali per ancora non sia seguita l' alienazione; e similmente tutti quelli, che per l' avvenire si confischeranno per qualunque Magistrato, Officio, Rettore, e Officiale, tanto della Città, quanto del Dominio di

Sua Eccellenza, comprendendo ancora la Città di Pistoja, e suo Contado, e Montagna; e tutte le altre Città, Terre, Comunità e Luoghi delli quali fosse necessario fare espressa, e nominatamente menzione. Intendendo sempre di quella porzione, e quantità di Beni, che rimanessero o rimarranno netti al Fisco, di tutti gli debiti, e spese necessarie, e consuete farsi in simili esecuzioni, e incorporazioni; e che per le Capitulazioni o Privilegi concessi da questa Città o da sua Eccellenza non fussino applicati ad alcuna Città, Castello, Comunità, o luogo per qualunque cagione e uso, alli quali per la presente, e all'effetto predetto non s'intenda derogato, nè si deroghi in alcuno modo.

Sieno tenuti gli prefati Magnifici Uffizi, Ufficiali, e Rettori, o loro Judici, Cavalieri, Notai, e Cancellieri tutte le sentenze condemnatorie, colla confiscazione de'Beni, date nella Città di Firenze in fra un mese, e quelle, che saranno pronunziate da Rettori, o Officiali di fuori in fra due mesi, dal dì della data sentenzia, notificarle con mandarne la copia di esse, insieme con quelle note, che per all'ora possono avere degli Beni del Condennato, o Confiscato, al Provveditore del Collegio, del quale, di sotto si dirà, sotto la pena, per ciascuno delli Prefati Magistrati, Uffiziali, o Rettori, e loro Judici, Cavalieri, e Notari, che non osserveranno ec.

(IV.) *Copia della Riforma dello Studio di Pisa approvata da S. A. R.*

1. Li Dottori, che non saranno alle squole alla sua ora solita, siano appuntati al solito.
2. Li Bidelli al termine deputato faccino entrare in Cattedra senza che aspettino.
3. Non si legga più dell'ora.

4. Li

4. Li Dottori che procurassino gli strepiti delli scolari, venendo in notizia, perdino il salario di due Lezioni.

5. Lo scolare, che faccia tale strepito, doppo, che si sarà corretto la prima, e seconda volta, si privi per quell'anno di Pisa come discolo, e turbatore dello studio degl'altri.

6. Gl' impedimenti non si ammettino ai Lettori, se non consterà Causa Legittima.

7. Gl' Institutisti in Catedra, legghino solo il Testo con le glosse, e nel discutere le materie seguitino l' ordine sommario dell' Aretino, con allargarsi alle volte al Portio, e Fabro senza trattarle altrimenti da Ordinarj, ma per mera intelligenza dei termini.

8. In Casa legghino solamente il Testo dell' Instituta con le glosse.

9. Gli Estraordinarj Civili non eschino del Testo, Glossa, e Bartolo, accennando quando sia, o nò comunemente approvato, con indurre i testi allegati da lui, o dalla glossa, e con toccare pochi argumenti di quà, e di là, ma sì bene i più sustanziali.

10. Nissuno Ordinario, o Estraordinario, così di legge, come d'arte possa leggere in Casa, eccetto, che nelle vacanze, e contrafacendo, perda l'emolumento d'una Lezione.

11. Nel Leggersi la prima Terzeria si seguiti l'ordine del Decio senza distinzione di qualità d'articoli, e conclusioni: e chi ha da argumentare, si faccia per un giorno innanzi dire dal compagno sopra che abbia letto quella, e l' antecedente giornata, e quello voglia leggere la seguente: il che inteso, gli significhi sopra quale esso voglia argumentare.

12. In avvenire non si faccino accademie.

13. I Dottori dall' Ognissanti, alle vacanze vadino col loro abito longo, eccettuandone solo li Medici, che medicano attualmente, e gl' altri, così Legisti, come Artisti, che avessero giusto impedimento nella vita, e non osservando, pena mezzo scudo per ciascheduna volta, che saranno trovati senza.

Digitized by Google

14. Nessuno Scolare, o Dottore sostenga conclusione fuori di giorni di vacanze.
15. Tutti gli concorrenti devino circolare, non ostante esenzione concessa a qualsivoglia modo. Altrimenti perdino il salario di due lezioni per ogni volta, che ne mancheranno.
16. In Cattedra non si detti più, ma si legga a modo conveniente, e non osservandosi, il Rettore lo punisca arbitrariamente in pena pecuniaria, non passando la provisione di una Lezione.

Gio. Battista Concino.

(V) *Ordinazioni circa il modo di Dottorare.*

Non convenendo, che al Dottorato pervenghino quelli, che non hanno atteso agli Studj, e non sono diligenti, nè meritevoli di tanto grado, e non potendo esser tali per la lunghezza, e difficoltà delle scienze, senza continuare un debito tempo lo studio, udendo le Lezioni con assiduità, e diligenza; però volendo noi provedere, che questo onore sia debitamente collocato, e che i Giovani s'ingegnino di conseguirlo col mezzo del valore, e del sapere; rinnovando gl'ordini antichi della nostra Università dello Studio di Pisa, e quelli dichiarando, e riformando, dove pare sia più di bisogno, col parere delli Dottori di ciascheduno Collegio, e con il Consiglio dei nostri periti veniamo a fare l'infrascritte ordinazioni da osservarsi inviolabilmente dai Collegj del predetto Studio verso quelli, che vorranno conseguire la dignità del Dottorato.

1. Primieramente in corroborazione dello Statuto disponente, non potersi alcuno Dottorare se per cinq'anni non ha frequentato le

Digitized by Google

squole, e studiato diligentemente nella professione, nella quale vuol dottorarsi; Ordiniamo, che ciò si debba inviolabilmente osservare, e per testimonianza di avere atteso questi cinque anni intieri oltre alla prova della Matricola, doverà produrne le fedi delli Dottori, che averà udito di tempo in tempo, ovvero in mancanza di questi, di due legittimi Testimonj; cioè i Legisti d'avere udito Instituta, Estraordinario, & Ordinario Civile, e Canonico, quando voglia ancora dottorarsi in Legge Canonica.

2. I Medici, Logica, Filosofia, e Medicina.

3. I Teologi, Filosofia Naturale, Metafisica, e Teologia.

4. Dalli Forestieri, da quali non si possono dare così fatte Fedi, se ne dia almeno il giuramento, il quale si deva porre in Actis, & nel privilegio.

5. E quando per qualsivoglia tempo fosse opposto, e provato il contrario, vogliamo, che sia, e s'intenda ipso Iure nullo, e invalido il Privilegio, e cada quel tale dal grado del Dottorato, e suoi effetti come invalidamente conseguito.

6. Nella recitazione dei Punti assignati conforme allo Statuto, e all' uso, non si permetta in veruna maniera ad alcuno il tenerli dinanzi distesi, ne altra scrittura, altrimenti non possa essere ascoltato, nè approvato, nè il Cancelliere possa rogarsi del Dottorato suo; ma bensì si terranno innanzi li Testi stampati con la glossa ordinaria nelle leggi, come nell' altre professioni i Testi proprj di ciascheduna, concedendo però, che il Promotore eletto a darli la laurea gli sieda accanto a maggior sicurezza, e confidenza di esso Laureando.

7. E seguitando la consuetudine introdotta sin' ora, non ostante l' antico Statuto, che due Dottori devino con più obiezioni argumentare al Dottorando dopo la recitazione dei Punti; ordiniamo, che un solo arguente debba bastare, ma quello immediatamente avanti la detta recitazione, si debba trarre a sorte dal Priore del Collegio; E perciò si debba fare una borsa nel

Collegio dei Legisti, delli Dottori, che leggono l'Instituta, e l'Estraordinario, e nel Collegio degl'Artisti se ne imborsino dodici delle letture inferiori, e de' più giovini. E nel Collegio dei Teologi, come di minor numero, s'imborsino tutti, eccetto il Priore, e Promotore; Come ancora si farà negl'altri due sopraddetti Collegj, quando saranno di minor numero; e di questa borsa se ne tiri successivamente uno per volta. E quando sarà ridotto il numero in un solo Dottore, si ritornino a imborsare di nuovo tutti gl'estratti con quello, che era rimasto; E quel Dottore, che uscirà per sorte arguente, dovrà fare secondo l'uso un argumento per ciascheduno Punto, con quelle repliche, che a lui parerà, e che permetterà il Priore del Collegio. Al sopraddetto arguente per questa funzione di argumentare si dia lire una di vantaggio della massa comune nella distribuzione, che se ne fa secondo gl'ordini.

8. Avendo la consuetudine parimente introdotto di poter far numero maggiore di Promotori di quello, che disponevano gl'antichi Statuti; ordiniamo, che tutti gl'altri Promotori, eccettuati solamente li due primi, che siedono al lato del Laureando, debbano secondo la candidezza della loro coscienza dare il voto copertamente sopra l'approvazione, o reprovazione di quello.

9. E perchè nel tempo delle vacanze generali dell'Estate, spesso rimangono in Pisa pochi Lettori; perciò ordiniamo, che nessuno delli Stati Nostri possa Dottorarsi, se non nel tempo, che stà aperto, e che dura lo Studio, cioè dal primo di Novembre sino alli 22. del mese di Giugno seguente; ma in quanto alli Forestieri, che non sono nostri Vassalli, non essendo loro spesso comodo differire il Dottorarsi, & essere a Pisa in quel tempo; dichiariamo non esser compresi in questo nuovo ordine, ma possin farlo come prima in ogni tempo.

10. Essendo che ciascheduna professione, e scienza abbia le sue

proprie condizioni; però in ciascheduno Collegio si conviene osservare nell' assegnazione e recitazione dei Punti una certa determinata forma proporzionatá a quella professione, e scienza. Però nel Collegio dei Legisti doveranno avvertire, che prima che si proponga alcuno alla recitazione dei Punti, vada il Dottore, che lo propone, esaminando la sufficienza dello Scolare, e non lo trovando idoneo, l'esorti a continuare quel più di tempo nello Studio. Quando poi sarà ammesso all' assegnazione dei punti, la forma della recitazione di quelli sarà l'infrascritta, cioè.

Esplicare la continuazione del Titolo, farvi le premesse, dirne la divisione, ridurlo in sommario, figurare il caso, addurne la decisione, proporre le ragioni del dubitare, & addotta la ragione della decisione rispondere ai dubbi addotti in contrario, e poi soggiugnere i notabili, e la dichiarazione della glossa.

11. In quanto a quelli, che si vogliono dottorare in Medicina, dovranno i Dottori Medici secondo lo stile usato da loro dare prima i Punti tentativi sotto l'esamine del Priore del Collegio, e di un compagno, il quale però si debba trarre a sorte di tutti gl' ordinarj Medici imborsati a quest' effetto, e nel proporre il caso della infermità, dovranno gl' esaminatori andar variando a loro beneplacito.

12. Nella recitazione poi de' Punti dovrà mostrarsi la continuazione dell' Aforismo di Ippocrate assegnato, esplicarsi la intenzione, e la divisione, e riducendolo in sillogismi, esplicare le proporzioni, e poi addurre i notabili. Parimente nel punto di Filosofia, si doverà assegnare la continuazione del Testo Aristotelico, e la divisione, & esplicata l'intenzione del Filosofo, ridurre il Testo in sillogismi, e cavarne le conclusioni, e le prove, e dedurne i notabili.

13. In quanto alla Teologia scienza tanto alta, e profonda, nella quale consiste la salute dell' Anima, e la fede Cattolica, non si doverà ammettere nessuno all' assegnazione dei Punti, se pri-

ma dal Priore del Collegio con un Compagno eletto a sorte di tutti i Teologi, non sarà bene esaminato, e trovato intelligente, & idoneo.

Et nella esplicazione dei Punti doverà contenersi la continuazione dell' assegnata distinzione del Maestro delle Sentenze colle precedenti, e dividerla nelle sue parti, & assegnando in ciascuna la sua conclusione, quella esplicare, & addurne le prove.

14. Queste sopraddette ordinazioni, che noi bene informati aviamo fatte, comandiamo al Provveditore Generale dello Studio, che le faccia registrare, & aggiugnere al libro degli Statuti acciò, che venghino a notizia di ciascuno, e dalli Collegj dei Dottori siano intieramente osservate, e dai Rettori dell' Università, e dai Provveditori Generali dello Studio se ne procuri diligentemente l' osservanza, siccome richiede il debito della reputazione dei detti Collegj, & il benefizio degl' istessi Scolari, mentre che chiudendo la porta dell' onore, e del grado nelle scienze a quelli che poco pregiando le squole e l' imparare perdono vanamente gl' anni migliori, viene aperta solamente a quelli veri Studenti, li quali dando opera con Studio, e vigilanza alle Scienze, procurano di pervenire al desiderato acquisto, & al grado meritato di quelle del Dottorato.

Dato in Pisa questo dì 25. Gennajo 1610.

Il Gran Duca di Toscana.

Belisario Vinta.

Digitized by Google

INDEX
NOMINUM ET RERUM

A

ABramius Adrianus 226.
Academiae Piſis inſtitutae 41.
. . . . . . Rudium leges 41.
. . . . . . Umbroſorum inſtituta 43.
. . . . . . Theologorum 44.
Accariſius Camillus 230.
. . . . . . Franciſcus 228.
. . . . . . Joannes 231.
Accoltus Hippolytus 152.
. . . . . Leonardus 153.
. . . . . Petrus 153.
Albitius Dominicus 118.
Alciatus Andreas 167. 184. 219.
Aldobrandinii Cardinales 369.
Aldovrandius Ulyſses 298.
Ambroginius Alex. 162.
Anatomes vices 71 ejus Magiſtri 73.
Angelius Ferdinandus 315.
. . . . . Franciſcus 146. 222.
. . . . . Jacobus 98. 145.
. . . . . Joannes 146.
. . . . . Julius 97 280.
. . . . . Michael Angelus 81. 257.
. . . . . Petrus 96. 174. 297. 422.
Angeluccius Hieronymus 209.
Anſaldius Antonius 217
. . . . . . Nicolaus 381.
Anſelmius Anton. 192.
. . . . . . Franciſcus 376.
Anſideus Balthaſsar 442.
Aquilanus Maximus 274. 389.
. . . . . . Scipio 377.
Ardighellius Card. 30.
Aretinus Petrus 181.
Argenterius Joannes 254.
Aſinius Jo. Bapt. 173.
. . . . Marcus 173.
Aſtolphus Angelus 373.
Aſtudillius Franc. 121.
Avalos Alphonſus 34. 425.

B

BAldellius Baldellus 61.
Baldinius Baccius 261.
Baldoſius Antonius 118.
Balleonius Laelius 113. 125.
Ballerinius Sanctes 205.
Bardellonius Carolus 193.
Bartoletius Fabritius 84.
Beatus Jo. Franciſcus 128.
Bellarminius Nicolaus 139.
. . . . Rupertus Card. 198.
Bellavita Andreas 132. 373.
. . . . . Joannes 323.
Bellonus 55.
Beltraminius Nicolaus 184
Bencius Soc. in . . 263.
Benedictus Franciſcus 124.
Benevolentius Evander 203.
Benincasa Benincasa 190.
. . . . . . Joseph 56.
Bertacchius Dominicus 274.
Bertinius Franciſcus 144 . 47.

Digitized by Google

Blancardus Jacobus 315.
Bocca Josephus 147.
Boldonius Nicolaus 253.
Bonicellius Lucas Anton. 82.
Bonaonicius Franciscus 341. 353.
Bonapartius Nicolaus 239. 242.
Bonaventurius Philippus 149.
Bonconpagnius Jo. 178.
Bonius Benedictus 239.
Bonsius Dominicus 175.
- - - - Jo. Bapt. 175.
Brscalius Cosmus 103 373.
Botanicce Magistri 53. & seq.
Borrius Hieronyoius 281. 341.
Bulengerus Julius Caesar 116. 453.
Burgus Henricus Ant. 126.

C

CAballus Petrus 102.
Caesalpinus Andreas 55. an sanguinis circulationem invenerit 58. 278. 297.
Calvius Joanoes 70.
Calefatus Petrus 140. 281.
e Camajore Dominicus 274.
Campana Albertus 125.
- - - - - Franciscus 5 169. 178. 251.
Campanella Thomas 361.
Camposacchius Petrus 345.
Caoiutius Andreas 281.
Cantuccius Jacobus 193.
Capannolus Joseph 283.
Cappellis Blanca 59. 97.
Cappellus Petrus 274.
Capponius Alex. 193.
- - - - - - Capponus 34. 98. 143.
Carcanus Jo. Bapt. 75.
Cardus Angelus 381.
Carrara Matthaeus 312.
Cartegnius Jo. Bapt. 194.
Castellius Benedictus 104. 393. 404.
Castilionius Jo. Bapt. 138.
Castravilla Rudulphus 363.
Castrensis Rodricus 319. 324.
Cavalerius Bonaventura 401.
Cavianus Philip. Ant. 310.
Celata Oliverius 323.
Chaesius Barthol. 242.
Chimentellus Valetius 47.
Cintoletta Curtius 376.
Ciofius Ant. 140.
Ciollius Andreas 101.
Cittadinius Celsus 103.
Civitella Vincentius 125.
Clemens VIII. 60.
Collegium Ferdinandum 22.
- - - - - - Puteanum 22.
- - - - - - Riccium 20.
- - - - - - Sapientiae 18.
Columbus Realdus 73.
Columbinius Leonardus 198.
- - - - - - - Pamphilus 198.
Compagnius Octavius 216.
Concinius Jo. Baptista 97. 143.
Consiliarii Academiae 7.
Contreras Stephanus 121.
Coppius Jo. Vincentius 138.
de Cordova Hieronym. 131.
Coresius Georgius 399. 447.
Cornacchinius Horatius 63.
- - - - - - - - Marcus 63. 273.
- - - - - - - - Thomas 63. 272.
Corsius Attilius 150.
Cosmus I. 4. 13. 27. 28. 53. 71. 86 92. 95. 98. 106. 167 171. 172. 186. 234. 248. 249. 314. 331. 337. 338. 349 385. 438.
- - - - II. 36. 65. 102. 235. 270.
Costaccius Jo Bapt 132.
Costaeus Jo. Franc. 220.
Covus Ludov. 36. 180.
Criminale jus 86.
Curatorum Academiae munera 31. 38.
Curinius Ant. 214.
Curtius Matthaeus 93. 248.

D

DAtius Carolus 441.
Dempsterus Thomas 234 312.
Diaccetus Franc. 419.

Dias Pinto Antonius 153.
- - - - - - Damianus 288.
Diruta Hieronymus 129.
de Dominis Marcus Ant. 127.

E

E—

F

FAbronius Annibal 8.
- - - - - - - Jacobus 59.
- - - - - - - Jo Bapt. 382.
- - - - - - - Leonardus 194.
Facchineus Andreas 209.
- - - - - - Bernardinus 210.
- - - - - - Philip. 40. 210.
Falconettus Franciscus 151.
Faloppius Gabriel 76.
Fautonius Philippus 390.
Farnesius Alex. Card. 303.
Fava Peregrinus 167.
Ferdinandus I. 23. 65. 66. 99. 234
280. 307. 321. 353. 367. 426.
- - - - - - - II. 38. 159. 386. 400.
Ferrinius Vincent. 274.
Feudorum Cathedra 88.
Fonseca Gabriel 288.
- - - - Rodricus 285.
Franciscus I. 65. 96. 98. 147. 195.
438.

G

GAlilejus Galileus 39. 103. 150.
392. 393.
Gallesius Augustinus 378.
Gallus Franc. 249.
- - - - Georgius 257.
Gandavensis 122.
Garbus Franc. 271.
Gatteschius Bartol. 271.
Gaudentius Paganinus 64. 231. 320.
Gerius Petrus 228.
Ghettinius Selvaggius 340.
Ghinius Lucas 53.
Girolamius Petrus 37. 158.
Godemius Cosmus Vincent. 130.
Gondius Laurentius 36.
Grangius 401.
Grassius Jesuita 399.
Gratius Gratia 451.
Gregorius XIII. 178. 358.
Guerrazzius [illegible]
Guial Joannes 273.
Guicciardinius Nicolaus 170. 171.
- - - - - - - - Petrus 171.
Guidius Camillus 197.
- - - - - Jacobus 197.
- - - - - Joannes 197.
- - - - - Silvaticus 139.
- - - - - Vincentius 244.
Guiduccius Marius 399.
Gustavinius Julius 203. 316.
- - - - - - Jo. Bapt. 321.

H

HAllerius 56. 58. 60. 64. 75. 268.
309.
Hebraicae Linguae Cathedra 96.
Honestius Jo. Bapt. 98. 141.
Hortensius Martinus 402.
Hortus Botanicus 53.

I

IAcchinius Leonardus 258.
Ilcius Arcturus 36.
Iulius III. 17.
Iuris Civilis Magistri 266.
- - - Pontificii 133.

L

LAucellottus Franc. 216.
Laudrianus Franciscus 93.

Digitized by Google

Langius Octavius 184.
Lapinius Ant. 335.
Lavellius Jacobus 297.
Laureae qui decorabantur 12.
Laurentianus Romulus 506.
Lectionum Academiae initium, finis & forma 11.
Leonardius Joan. 386.
Leonius Aloysius 61.
Librarius Jo. [illegible]
Licetus Fortunius 328. 374.
Lucianus Franciscus 118.
Ludi ad oblectandos adolescentes 46. descriptio ejus, qui Pontis dicitur 47.
Lupius Petrus 294.

M

MAccantius Vincentius 161.
Maccolus Jacobus 68. 322.
- - - - - Joannes 68. 322.
Mainettius Mainettus 331.
Malegonella Donatus 141.
Malevolta Hieronymus 142. 176.
Malocchius Franciscus 67.
Mancinius Bartol. 434.
- - - - - - Dominicus 435.
- - - - - - Laelius 163.
Mandellius Jacobus 184.
Mandosius Quintilianus 146.
Manutius Aldus 436.
Marauta Dominicus 361.
Marlianus Hieronymus 149.
Marta Jacobus Ant. 212.
Martinus Cornelius 118.
Marzarius Laelius 118. 464.
Marzimedices Christophorus 225.
Massinius Philippus 199.
Mattisius Henricus 271.
Matthaejus Fabritius 222.
Matthaeinius Polydorus 67.
Maximilianus II. Caesar 94.
Mazzanghius Laurentius 65.
- - - - - - - Pancratius 70.
- - - - - - - Paradisus 138.
Mazzonius Jacobus 290. 362. 433.
Mediceus Ansuinus 169.
- - - - - Hippolytus Card. 136.
- - - - - Laelius 120.
- - - - - Leopoldus 408.
Medicinae Magistri 247.
Menochius Hieronymus 196.
- - - - Michael 60.
Mercurialis Hieronym. 60. 93. 195. 210. 297. 349.
Merenda Ant. 88. 210 212.
Mermannus Thomas 61.
Migliorius Antonius 30.
- - - - - - Philippus 27. 167.
Milioratus Remigius 255 336.
Milliovacca Jo. Bapt. 109. 130.
Monosinius Angelus 450.
Muntainius Michael 173.
Montalbanius Ovidius 55.
e Monte Falcone Alex. 109.
Montisianius Damianus 337.
Morgagnius Jo. Bapt. 78. 302.
Moritius Franc. 118.
Moschettus Georg. 393. 447.
Mutius Jo. Bapt. 276.
Muodinus 72.

N

NIcolaius Petrus 155.
Nobilius Flaminius 336. 356.
- - - - Laurentius Maria 184.
Nozzolinius Joseph 192. 391.
- - - - - - - - Ptolemaeus 192.
Nuccius Aegidius 132.
Numerarii Magistri 186.

O

ODdus Sfortia 199.
Oradinius Julius 170.
Orfinius Jo. Bapt. 184.
Ormannius Henricus 134.

Orsilagus Raphael 274.
Ottonarius Franciscus 386.

P

PAgnius Cyprianus 209.
Palearius Aonius 416.
Pallavicinius Dominicus 129.
Pandectarum Codex 233.
- - - - - - - Interpretes 233.
Panvinius Onuphr. 110. 303.
Pautius Laurent. 143.
Papazzonius Flaminius 377.
Papparellius Seb. 261.
Papponius Hieron 88. 98. 200.
Paterius Jo. Bapt. 143.
Paternus Bernardinus 274.
Paulus III. 17.
Pellerius Jeremias 121.
Perignanius Sylvius 144.
Pescionius Benedictus 197.
Petrus Leopold. M. D. 87.
Philosophiae Magistri 331.
Picchena Curtius 108.
Pifferius Franc. 391.
Pinellius Benedictus 156.
- - - - - Georgius 86. 88. 157.
Pinoccius Turnus 40. 224
Pistorienses in Collegium Ferdinandum admissi 22.
Pitta Simeon Petrus 142.
Pius IV. 17.
Platonicae Philosophiae Cathedra 96.
Plautius Camillus 191.
Politianus Angelus 233.
Ponsevius Dominicus 441.
Ponzanellius Ant. 82.
Portus Branda 332.
Portius Simeon 333.
de Praetis Ant. 143.
Pratenses in Collegium Ferdinandum admissi 23.
Privilegia Magistrorum & Scholarium 14.
Professorum vestis 16.
Puccinius Alex. 161.
Puteus Carolus Ant. 21. 99. 151. 369.

Q

QUarantoctus Clemens 260.
- - - - - - - - - Marcus Ant. 260.

R

RAinaldus Rodulphus 188.
Raudensis Alex. 206.
Rector Academiae 7.
Redius Franc. 64.
Ripa Polydorus 217.
Ristorius Julianus 385.
Robortellius Franc. 249. 411.
Romuleus Bartol. 193
Ronesgallus Jo. 180.
Roncionius Petrus 226.
Rossettus Prosper 123. 138.
Rovezzanius Joseph 62.
Ruschius Joannes 83.
- - - - - Paulus 157.
- - - - - Petrus 83. 85.

S

SAlernus Julius 188.
Samminiatellius Alex. 157.
Sanazzarius Julius 149.
Sancassianus Martinus 142.
Sanleoninius Franc. 392. 433. 441.
Santinius Joannes 231.
Santuccius Ant. 392.
Sarpius Paulus 58. 116.
Scaliger Justus Joseph 445.
Scapinellus Ludov. 454.
Scheinerus Jesuita 306.
Seghierius Franc. 380.
Seta Hippolytus 143.
Sextinus Hippolytus 294.
Sigonius Carolus 413. 417.
Silvanus Dominicus 463.
Sivorus Marcus Ant. 231.
Sixtus V. 358.
Soacius Ant. 148.

. . . . . Guarinus 196.
. . . . . Petrus 148. 196.
. . . . . Thaddaeus 148. 196.
Soccinius Faustus 118.
. . . . . Marianus 167.
a Sommaja Hieron. 37.
Speronius Spero 563.
Spigliatus Martinus 293.
Statacinius Lilius 86.
Statuta Academiae 5. 15.
Stephanius Mattheus 227.
Stroſtius Cyriacus 418.
. . . . . Joannes 338. 433.

T

TAlentonius Barthol. 384.
. . . . Joannes 289.
Tantuccius Hieron. 86. 88.
Tassus Torquatus 316. 359.
Tavantius Jacobus 111.
Taurellius Franc. 5. 92. 234.
. . . . . . Laelius 5. 15. 93. 97. 185. 234. 256. 335. 419.
Theologiae Magistri 106.
Thesaurus Carolus Ant. 162.
Thomasinius Lucas 86. 217.
Thomasius Carolus 371.
Titius Julius 321.
. . . . Rupertus 443.
Tonsus Jo. 31.
. . . . Paulus 285. 469.
Trinius Franc. 448.

V

VAnnellius Jacobus 86.
Vannius Ubertus 86.
Vecchius Hieron. 278.
Vegius Franc. 167.
Vena Alex. 145.
Venerosius Camillus 88. 246.
Venturinius Antonius 83.
. . . . . . Franc. 110. 131.
. . . . . . Ventura 83.
Verinius Franc. 341. 346. 352.
Uguccionius Joannes 150.
Vias Jacobus 234.
Victorius Petrus 96. 412. 419.
Vidius Senior 264.
. . . . Junior 270.
Vigna Dominicus 63.
Viata Belisarius 101.
. . . . Paulus 100.
Violus Franc. 278. 355.
Viscontius Joannes 239.
Viviauius Julianus 159.
Violardus Paulus 426. 434.
Uliverius Senensis 419.
Volaterrani in Collegium Sapientiae admissi 19. eorum Lyceum 134.
Urbanus VIII. 398.
Urbinas Jo. Bapt. 110,

Z

ZEnus Apostolus 440.

Digitized by Google

ERRATA — CORRIGE

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
15.	25.	me	cum
- -	27.	cum	me-
16.	ult.	existimans	existimantis
31.	25.	Puecin	Picio
34.	21.	vita	*deme quae sequuntur, quod haec vita sit inedita.*
- -	24.	Estensis	Astensis
44.	2.	Citramontanis	Ultramontanis
56.	25.	synonimo	synonymo
57.	10.	1569.	1567.
- -	11.	1692.	1592.
61.	18.	Cotrnnensis	Cortonensis
67.	20.	injicens	injiciens
68.	11.	Quaerabxt	Quaerebas
72.	15.	adjieendi	adjiciendi
75.	4.	sanginis	sangninis
77.	19.	poriitebatur	profitebatur
88.	17.	eum vocatus	cum antea vocatus
96.	7.	enjus tantummodn oratio extat in manibus hominum	quorum oratinnes extant in manibus hominum
- -	12.	exnalia	canales
104.	2.	noctuae adspicere	noctuae lucem adspicere
110.	22.	1575.	1565.
113.	9.	Greg. XV.	Greg. XIII.
120.	2.	recordantur	cnmmemorant
122.	23.	gerente	gerens
137.	1.	Interamni	Interamnae
142.	24.	collocarunt, qui	collocarunt eorum, qui
146.	31.	odiosium	odiosum
152.	2.	1641.	1640.
158.	6.	1510.	1610.
164.	10.	neque multo post e vita migravit	*Deme haec & adde.* Nihilo tamen minus anno post Academiam nostram reliquit, ut Patavinae operam suam locaret, in qua dum vixit (vixit autem ad annum usque 1654.) singularibus honoribus ac praemiis affectus fuit.
174.	4.	pugnantur	pungantur
196.	18.	Thadaeus	Thaddaeus
205.	11.	non solum	non tam
206.	8.	ab eo	vix ab eo

Digitized by Google

207.	lin. 24.	Quem cursum	*Hujus periodi loco lege.* Discessit a nobis an. 1600., & cum in Mediolanensem Senatum cooptatus fuisset, honoratissime vixit ad annum usque 1627.
216.	17.	quod cum	*deme* quod
233.	25.	latinatia	latinitatis
234.	24.	posse	non posse
239.	24.	patrui	*deme hoc verbum*
274.	13.	pepionum	peponum
286.	3.	quae plurimum	*deme* plurimum
292.	3.	quaerens	querens
303.	1	nomethalasmus	nomothelasmus
319.	23.	Frinciscum	Ferdinandum
323.	22.	dimissorum	demissorum
332.	14.	Achillinio	Achillino
345.	14.	Acadamiam	Academiam
348	20.	ipse ipse	ipse
366.	penult.	*1588.*	*1688.*
368.	26.	quod esset	quid esset
369.	1.	Caesanati	Caesenati
. . .	11.	Cinzins	Cynthius
370.	7.	CAESANATIS	CAESENATIS
371.	27.	Polistor.	Polyhistor
381.	4.	*1639.*	1640.
384.	7.	Alcmeonis	Alcmaeonis
396.	18.	emisphaerium	hemisphaerium
. . .	ult.	eccliptieam	eclipticam
398.	22.	citramontanis	ultramontanis
401.	11.	Analiticam	Analyticam
405.	1.	potuisset	potuerit
416.	19.	Verulamis	Verulanus
418.	12.	Zanobii	Zachariae
427.	22.	Franc.	Ferdinand.
438.	2.	ab ea	ab ea urbe
453.	7.	Julio Luduni	Julioduni
454.	6.	ab illius ortu	ab ipso ortu

4a6 2203414

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google